

LIBRARY
Brigham Young University





Unter gesetzlichem Schutze gegen Nachdruck und Uebersetzung.
Enregistré dans les bureaux du Ministre de l'Intérieur de la France.
Déposé au bureau de la Librairie institué au département de l'Intérieur à Bruxelles.
St. Louis Mo.: B. Herder, 17 South Broadway.

Oeniponte, Typis Wagnerianis.

THEOLOGIAE DOGMATICAE COMPENDIUM

IN USUM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

TOMUS II.


EDIDIT

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTOR, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA
PROFESSOR P. O.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS
ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO NONA EMENDATA.



OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1896.

282.61
H 948t
v.2

THEOLOGIAE SPECIALIS

PARS PRIOR

COMPLECTENS

TRACTATUS TRES


DE DEO UNO ET TRINO, DE DEO CREATORE ET DE VERBO INCARNATO.

AUCTORE

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTORE, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSORE P. O.

EDITIO NONA RECOGNITA.



OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1896.

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
LIBRARY
PROVO, UTAH

Unter gesetzlichem Schutze gegen Nachdruck und Uebersetzung.
Enregistré dans les bureaux du Ministre de l'Intérieur de la France.
Déposé au bureau de la Librairie institué au département de l'Intérieur à Bruxelles.
St. Louis Mo.: B. Herder, 17 South Broadway.

Oeniponte, Typis Wagnerianis.

Tractatus V.

De Deo uno et trino.

1. *Disputationis hujus momentum.* — Cum Deus omnium, quae cognoscere possumus, nobilissimum sit objectum, imo tantum, ut in ejus visione consistat nostra beatitudo aeterna: nemo non videt, quanti momenti et dignitatis ea pars sit theologiae, quae in contemplando ipso Deo unice versatur; et quamvis eum nondum cognoscere possimus, sicut est, sed tantum ex parte, per speculum et in aenigmate (1. Cor. 13, 12,), tamen vel imperfecta Dei cognitio summi est aestimanda. „Melius est enim, inquit s. Bonaventura in 3 d. 23 a. 1 q. 4, vel modicum quid de Deo scire, quam coelestium et terrestrium notitiam habere.“ Quocirca per os Jeremiae (9, 23 s.) ita loquitur Deus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus.* Insuper utilissima est accurata, quantum per vires in hac vita mortali licet, Dei cognitio. Quo enim sublimiori Dei idea fuerimus imbuti, eo sinceriori sensu reverentiae, humilitatis, amoris etc. replebimur studioque exardescemus virtutum: *Nosse enim te consummata justitia est, et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis* Sap. 15, 3. Multum deinde juvat Dei contemplatio ad altiorem rerum creatarum cognitionem, imo ad contemnenda omnia terrena secundum illa Pauli Philip. 3, 8: *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam J. Christi, Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Etsi vero nobis omnibus viribus est conandum in Dei proficere cognitione, memores tamen esse oportet modestiae, cautionis atque illius moniti Prov. 25, 27: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* [1]).

---

[1]) Cf. Basilius de Spiritu s. (opusc. XXXI) c. 1, qui ad Amphilochium n. 1 scribit: „Supra modum delectatus sum attentione ac vigilantia elucente in tua illa

2. *Tractatus divisio.* — Professio catholica de Deo ad hanc revocatur summam: Credo unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum: profitemur igitur aliquid unum, indistinctum, tribus commune, quod, ut videbimus, est natura; et aliquid proprium, distinctum, unde in divina natura sunt tres personae: quare disputationem de Deo in duas distinguimus partes, quarum prior Deum unum secundum naturam, altera Deum trinum in personis considerabit: quae partitio respondet illi Dionysii Areopagitae de div. nom. c. 2 quamque secutus est Jo. Damascenus περὶ ἡνωμένης καὶ διακεκριμένης θεολογίας.

PARS I.

DE DEO UNO.

3. Ad tria capita omnia revocabimus, quae de Deo quatenus secundum naturam est unus, disputari solent. Inquiremus scil.

1. in ejus cognoscibilitatem;
2. in divinae naturae proprietates perfectionesque; denique
3. in Dei vitam, quae intelligendo volendoque explicatur.

Caput I.

De habitu Deum inter et rationem humanam in ordine cognitionis.

4. Propter exortas nostra praesertim aetate controversias de rationis humanae viribus ad Deum cognoscendum, prius inquiremus, quid hac de re secundum doctrinam revelatam sit tenendum.

5. **Thesis LXXXVI.** ***Homo potest sine revelatione positiva solo rationis lumine Dei exsistentiam certo cognoscere.***

Declaratio. Thesim statuimus in primis contra illos, qui negant hominem posse solo rationis lumine ex rerum creatarum contemplatione ad Dei exsistentis notitiam pervenire sive propter nimiam rationis infirmitatem, sive quod non ea sit proportio inter finitum et infinitum, ut ex rerum finitarum

---

sententia, qua vocem nullam ex iis, quae in omni sermonis usu de Deo proferuntur, citra examen relinquendam esse putas.« Modeste de Deo esse disputandum agnoverunt vel gentiles. Ad rem sunt Senecae verba (7. nat. qu. c. 30): »Egregie Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de diis agitur. Si intramus templum compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, cum de deorum natura disputamus, ne quid impudenter aut ignorantes affirmemus aut scientes mentiamur.« Patrum testimonia de cautione in disputando de Deo cf. apud Petavium theologic. dogmatum proleg. c. 6, e quibus Rufinus comment. in symbol. apost. n. 1 ait: »Non me latet illa sententia sapientum, quae probe admodum dicit: quia de Deo etiam vera dicere periculosum est,« quae est Origenis hom. 1 in Ezech. In primis lege s. Gregorii naz. or. 1. theol. opusc. XXIX, 122 ss.

contemplatione possit erui notio infiniti, sive quod Deus sit prima veritas, quae prima omnium cognosci debeat: quique propterea exigunt vel **a.** institutionem seu revelationem quandam ipsius Dei pro primo homine, traditione dein ad ejus posteros propagandam (traditionalistae); vel **b.** visionem seu intuitionem quandam ipsius Dei sub ratione entis (ontologistae; cf. infra n. 11); vel **c.** specialem illustrationem mentis ad ordinem gratiae spectantem; vel **d.** ideam Dei infusam seu innatam. In thesi non agimus de facto, num quilibet homo solo rationis lumine ad hanc cognitionem perveniat, sed de potentia, num scil. deficiente etiam revelatione homo solo rationis lumine illam assequi possit, postquam ad sufficientem rationis usum pervenit. Thesis autem nunc est de fide [1]), ut patet ex conc. vaticani sess. 3 de revelatione cap. 2: »Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse: *invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom. 1, 20);« et can. 1: »Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, A. S.« De fide tamen non est rationem posse etiam probare Dei exsistentiam. Cum enim in canone prius diceretur: si quis dixerit, Deum ... rationis humanae lumine certo cognosci *et demonstrari* posse, A. S., deletum fuit a deputatione pro fide illud »et demonstrari.« Id tamen tenendum est ut doctrina catholica, nam tam Bautain, quam Bonnetty (ex decr. Indicis 11. Jun. 1855) subscribere debuerunt prop.: »Ratiocinatio Dei exsistentiam . . . cum certitudine probare potest.«

6. **Demonstratio.** Probatur **1.** thesis auctoritate Scripturae Rom. 1, 19 ss.: *Quod notum* (cognoscibile, τὸ γνωστόν) *est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura munda, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles* etc.; 2, 10 s.; Sap. 13, 1: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex . . . 3. Quorum* (elementorum) *si specie delectati, deos putaverunt: sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit. 4. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit, fortior est illis: 5. a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri . . . 9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare seculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Ps. 18, 1; Act. 14, 14 ss., ex quibus liquet, hominem posse scire, intelligere, agnoscere, videre, invenire Deum, idque

---

[1]) Varios errores et Ecclesiae de hac quaestione decreta recensent Heinrich dogm. Theol. t. I § 24; et III § 133; Kleutgen instit. theol. n. 114. 115; Scheeben t. I § 2; statum quaestionis bene exponit Granderath in const. dogm. conc. vat. illustr. p. 1 c. 2 comment. 2.

adeo facile, ut vani, insipientes dicendi sint ii, in quibus non subest scientia Dei, et qui de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset eorum artifex. Quinam vero est fons, unde hanc cognitionem haurire possint? Nulla fit mentio revelationis positivae, cujus tamen in primis mentio debuisset fieri ratione habita scopi auctorum inspiratorum: imo fons ab ea omnino distinctus indicatur, scil. quae videntur bona, opera, ea quae facta sunt. Atqui ex operibus et effectibus agnoscitur artifex conclusione prorsus rationali. Ergo solo rationis lumine de his, quae videntur bona, potuerunt homines intelligere eum, qui est, i. e. Deum. Quid, quod inventio notitiae Dei ex creaturis confertur cum inventione aliarum cognitionum rationalium (n. 7), quibus etiam facilior dicitur? Erit ergo et illa rationalis.

2. Thesis veritas luculentissimo patrum suffragio confirmatur, qui Scripturae doctrinam uberius exponentes perspicue docent, homines solo rationis lumine sine positiva revelatione ex contemplatione mundi ad Dei cognitionem pervenire posse.

Ex innumeris testimoniis [1]) unum vel alterum audiamus. Ita Jo. Chrysostomus hom. 3 in ep. ad Rom. n. 2: »Unde notum est, o Paule, quod Deus suimetipsius cognitionem gentibus indiderit? *quia,* inquit, *quod notum est ejus, manifestum est in illis.* At haec affirmatio est, non demonstratio. Tu vero mihi proba et ostende, cognitionem Dei manifestam fuisse illis, sed sponte illos praetermisisse. Unde ergo manifesta erat? vocemne ad illos emisit? minime: verum id effecit, quod magis illos quam vox quaelibet attrahere poterat: creatum orbem in medio posuit: ita sapiens, idiota, scytha, barbarus ex solo intuitu visibilium pulchritudinem edoctus ad Deum conscendere potest. Ideo ait: *Invisibilia enim ipsius a creatione mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod etiam propheta dicit: *Coeli enarrant gloriam Dei* (Ps. 18, 1). Quid enim dicent in die illa gentiles? ignoravimus te? Itane coelum non audistis ex solo aspectu vocem emittens? rerum omnium harmoniam et concentum clarius quam tubam clamantem etc., omnia in ordine manentia ac per pulchritudinem et magnitudinem creatorem praedicantia?« — Quae paucis ita complectitur Cyrillus alex., c. Julian. l. 2 c. 73: »Praeclara et eximia opera licet voce destituta tamen proclamant quodammodo scientiam artificis, quam in se ipsis velut radiis reflectunt.«

Eundem fere in sensum disserit s. Augustinus serm. 141 n. 1 de philosophis: »Quia viderunt etiam ipsi (quantum videri ab homine potest) Creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum, Paulus apostolus testis est, *cui utique debent credere christiani.* Ait enim, cum de talibus loqueretur . . . *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent* (Rom. 1, 18). Num-

[1]) Haec diligenter collegerunt Kleutgen, Theologie der Vorzeit t. 2 disp. 6 c. 2; Franzelin de Deo thes. 6; Stahl, die Lehre der Väter von der natürlichen Gotteserkentniss; Stentrup praelect. dogmat. de Deo uno th. 1 seq.

quid dixit eos non detinere veritatem? Sed veritatem in iniquitate detinent . . . Occurrebat autem, ut diceretur ei: Unde illi impii veritatem detinent? Numquid Deus ad quemquam eorum locutus est? Numquid legem acceperunt, sicut israelitarum populus per Moysen? Unde ergo detinent veritatem vel in ipsa iniquitate? Audite quod sequitur, et ostendit: *Quia quod notum est Dei,* inquit, *manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit.* Manifestavit illis, quibus legem non dedit? Audi quomodo manifestavit. *Invisibilia enim ejus per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Interroga mundum, ornatum coeli, fulgorem dispositionemque siderum, solem diei sufficientem, lumen noctis solatium: interroga terram fructificantem herbis et lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare, quantis et qualibus natatilibus plenum: interroga aëra, quantis volatilibus viget: interroga omnia, et vide, si non sensu suo tamquam tibi respondent: Deus nos fecit. Haec et philosophi nobiles quaesierunt, et ex arte artificem cognoverunt... Quod curiositate invenerunt, superbia perdiderunt . . . Ostende, Apostole, et sicut ostendisti nobis, unde potuerunt pervenire ad cognitionem Dei, *quoniam invisibilia ejus* etc., ita nunc ostende, quomodo dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt etc.« Et iterum in Ev. Jo. tr. 2 n. 4: »Quidam philosophi hujus mundi exstiterunt et inquisierunt Creatorem per creaturam, quia potest inveniri per creaturam, evidenter dicente Apostolo: *Invisibilia enim ejus* etc.«

3. Neque desunt rationes, quibus thesis confirmetur. Quarum prima sit: Dogma est fidei catholicae, lumen rationis Adae praevaricatione non fuisse exstinctum. Altera vero ex parte verissimum est, quod docet Augustinus in Jo. tr. 106 n. 4: „Haec vis est divinitatis, ut creaturae rationali ratione jam utenti non omnino ac penitus possit abscondi.“ Quo enim excellentior quis est, eo latius diffunditur ejus fama: quo potentior, eo magis se prodit sua in omnia potentia, praesentia, providentia. Fieri ergo non solum potest, ut homo rationis lumine perveniat in Dei cognitionem: verum etiam fieri nequit, ut rationis lumine utens Deum ignoret. Quis deinde sibi unquam persuadebit, rationem posse vi principii causalitatis ex rerum vel minimarum inspectione legitime pervenire in cognitionem causae earundem: si vero illud rerum universitati applicet, statim coecutire ac nisi revelatione juvetur videre non posse, etiam rerum ordinatissimam universitatem habere suam causam? Hinc ad rem idem s. doctor incredulum ita alloquitur in Ps. 73 n. 25: „Unde scio, quia vivis, cujus animam non video? unde scio? Respondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus agnosco viventem, ex operibus creaturae non potes agnoscere creatorem?“ Similia habet serm. 2 n. 4. — Quare Gregorius naz.: „Ratio, inquit or. 28 n. 16, a Deo data et omnibus congenita et prima in nobis lex (scil. causalitatis) omnibusque conserta ad Deum nos deducit ex visibilibus.“

7. **Thesis LXXXVII.** ***Tanta autem facilitate ratio humana in Dei cognitionem pervenire potest, ut 1. ignorantia Dei exsistentis invincibilis nequeat admitti; ut 2. ea cognitio vero quodam***

sensu naturalis, congenita, innata cum patribus dici possit; nec tamen propterea 3. recurrendum est ad ideam Dei innatam.

Demonstratio p. I. Facilitatem rationalis cognitionis Dei testatur s. Scriptura et diserte Sap. 13, 9: *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare seculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* et aequivalenter, sive cum eos, qui hac notitia carent, vocat insipientes, amentes, inexcusabiles Ps. 13, 1; Sap. 13, 1; Rom. 1, 20; hinc Hieronymus ep. 60 n. 3: „Absque notitia Creatoris sui omnis homo pecus est;" sive cum universum exhibet voce non submissa sed elata gloriam Dei proclamans, adeo ut Dei cognitio quasi auditu, visu ac propemodum tactu attingi possit. *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annunciat firmamentum . . . Non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum* etc. Ps. 18, 1 ss. *Nimirum interroga jumenta et docebunt te, et volatilia coeli et indicabunt tibi. Loquere terrae et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit?* Job 12, 7 ss. Quae verba pulchre s. Thomas lect. 2 ita explicat: „Tunc autem homo creaturas interrogat, quando eas diligenter considerat; sed tunc interrogatae respondent, cum per considerationem ipsarum homo percipit, quod tanta ordinatio et convenientia, quae invenitur in dispositione partium in ordine universi, nullo modo posset esse, nisi ab aliqua superiori sapientia dispensante." Sap. 13, 5 (n. 6[1]); *Quaerere Deum si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum* Act. 17, 27.

Quod et patres passim docent, sive cum hanc cognitionem homini insertam dicunt; sive cum praeeunte Tertulliano de spectac. c. 2 docent: „Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem." Merito ergo scribit s. Bonaventura in itiner. mentis c. 1: „Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, coecus est; qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est; qui ex his effectibus Deum non laudat, mutus est; qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est."

8. Ignorantia invincibilis oriri potest vel ex defectu mediorum et haec proprie est invincibilis; vel ex defectu omnis impulsus adhibendi media, etiamsi suppetant, quo in casu ignorantia est potius inculpabilis. Neutra concedi potest in homine ratione utente relate ad cognitionem Dei exsistentis: ut patet ex dictis. Si enim hinc quidem universum Dei exsistentiam ita praedicat, ut surdus et coecus sit, qui hoc praeconium non percipit; inde vero homo, qui Deum ignorat, amens, insipiens, inexcusabilis dicitur: ignorantia invincibilis locum habere nequit. Quod et patres passim cum Augustino in Ps. 20 n. 9 docent: „Deus ubique se-

cretus est, ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere et quem nemo permittitur ignorare." Cf. in primis Tertullianus Apolog. c. 17. opusc. XIX, 92. Ad haec conscientia omnes obligat quam primum pervenerint ad rationis usum. Obligationis autem cognitione includitur notitia supremi cujusdam legislatoris. Quare bene Hugo a s. Victore in summa sent. tr. 1 c. 3: „Deus, inquit, sic ab initio temperavit notitiam sui, ut sicut nunquam totus potuit comprehendi, sic nunquam prorsus potuit ignorari. Ideo autem totus noluit manifestari, ut fides haberet meritum: nec totus occultari, ut infidelitas de ignorantia non excusaretur."

Hinc liquet quid de atheis, de hominibus scil. qui Deum ignorent censendum sit. Distinctione scil. facta inter notitiam Dei rudem, inchoatam, cum ipso rationis usu consertam et notitiam excultam, reflexam: negamus esse homines ratione utentes, qui omni careant Dei notitia. Sed quia prima Dei notio omnibus communis subest libertatis usui, quae ea uti, eam excolere, sed et negligere, obscurare, etiam pervertere et corrumpere potest: hinc non negamus esse atheos practicos ex corruptione et perversitate cordis, qui vel **a.** ita vivant ac si nullus esset Deus; Deum non curent nec de eo cogitare velint, vel **b.** de ejus exsistentia dubitent nolentes attendere ad rationes, quae ejus exsistentiam demonstrant, vel **c.** primam Dei notionem ita rationis abusu corrumpant, ut idololatrae, quorum de Deo opiniones atheismo aequivalent, vel **d.** etiam rationes speciosas conquirant ad Dei exsistentiam negandam. Nullatenus tamen concedimus esse atheos theoreticos et positivos, qui rationibus innixi vere sibi persuaserint non esse Deum atque in hac persuasione cordis tranquillitatem et quietem repererint.

9. **Demonstratio p. II.** Duplex distingui debet Dei cognitio: rudis altera, inchoata, communis: altera jam distinctior, perfectior, locupletior. Haec sane fructus est studii et reflexae inquisitionis, hinc labore acquisita. Prior vero dici potest naturalis, congenita etc., ut liquet ex plurimis patrum effatis, quae diligenter collegerunt Thomassinus de Deo I, 1 ss., Staudenmaier theol. dogm. t. 2 p. 1 § 20. Et merito cognitio illa naturalis, congenita etc. vocatur, quae ab explicatione usuque rationis sejungi nequit, quae sponte sua oboritur in nobis ex contemplatione universi, qua homo, quin insipiens censeatur et amens, carere nequit. Ejusmodi vero est cognitio Dei rudis et communis. Unde vel Cicero scribit de divinat.: „Esse praestantem aliquam aeternamque naturam et eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum coelestium cogit confiteri." Cf. De San tr. de Deo uno p. 1. c. 3. 4.

10. **Demonstratio p. III.** Non est nostrum data opera refellere idearum innatarum theoriam, cujus multiplicem expositionem reperies apud Tho-

massinum I, 20: id unum contendimus, neque Scripturae testimonia, neque patrum effata, quae afferri solent, huic sententiae favere, cum vel ad rem non sint, vel commode possint secundum sententiam nostram exponi. Ad rem non sunt Scripturae effata, ut vel obiter legenti patebit. Ea sunt Ps. 4, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui;* Joan. 1, 9: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* Rom. 2, 14: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*; Job 36, 25. Patres vero cum notionem Dei innatam vocant, hac voce significant tantum vel cognitionem, quae altas egerit in anima radices, vel quae sponte sua ipsius naturae rationalis impulsu citra diuturnum studium in nobis oboritur, ad oppositionem illius, quae meditatione acquiritur et labore vel deforis beneficio alieno, proindeque non est multorum. Quare secundum s. Thomam super Boëth. prooemii q. 1 a. 3 ad 6: »Dei cognitio nobis innata esse dicitur, in quantum per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse.« Et revera patres ejusmodi effatis non negare Dei cognitionem mediatam, quae sit ex rerum creatarum consideratione, patet manifesto ex thesi seq. Ceterum eorum effata non pauca propterea etiam ad rem non sunt, quod in illis sermo non est de cognitione Dei rationali, sed de cognitione salutari fidei, hominis christiani, habitu igitur fidei coelitus praediti, qui diffusam habet caritatem in corde suo per inhabitantem Spiritum s., in quo clamat Abba Pater (Gal. 4, 6). Cf. Stentrup th. 1. 5.

11. **Thesis LXXXVIII.** ***Multo minus statuere licet, naturalem esse homini cognitionem Dei immediatam et directam.***

Declaratio. Propositionem, quam thesi rejicimus, a conc. vaticano damnari postulavit [1]) Joachim card. Pecci, modo summus pontifex feliciter regnans Leo XIII., cum Xysto card. Riario Sforza, nam in ea continetur ontologismi forma et velut summa. Censent scil. hujus erroris patroni, Deum humanae menti seipsum immediate videndum praebere non quidem clare ut beatis, sed obscure et confuse sub ratione entis, veri, boni simpliciter: unde sicut lux oculis nostris affulgens objecta ipsis exhibet et visibilia efficit, ita in luce hujus visionis omnia nos intelligere ideoque ante omnia per seipsum immediate Deum cognosci. Hanc vero cognitionem tuentur reflexione fieri clariorem ac distinctam: contemplatione enim rerum sensibilium mentem excitari ad distincte considerandam partem aliquam determinatam intuitus directi. Quae opinio omnino est rejicienda, unde etiam congregatio s. inquisitionis 18. Sept. 1861 censuit propositiones, quibus ontologismus enunciatur, tuto tradi non posse. Inter has 1. est: »Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.« 2. »Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.« 5. »Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.« Huc referri debent opiniones Rosmini prop. 1—7. reprobatae a congregatione s. Officii 14. Dec. 1887, quarum 5. sonat: »Esse, quod homo intuetur, necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium, atque hoc est Deus.«

---

[1]) Cf. eorum postulatum in actis conc. vat. collect. lac. VII, 849 ss., in quo invenies etiam rationes gravissimas, quibus postulatum suum muniunt.

12. **Demonstratio. 1.** Immediata Dei cognitio est idem atque immediata Dei visio, ut notat s. Thomas c. gentes III, 53. Et sane Deum immediate cognoscere est cognoscere Deum in se ipso seu per ejus essentiam [1]: quod fieri nequit nisi ipse Deus sese praesentem menti videndum exhibeat, ut ontologistae ultro concedunt, imo tuentur. Atqui immediata Dei visio secundum scholasticos et etiam patres, est prorsus supernaturalis et cuivis intellectui creato indebita, ut data opera ostendemus in tr. de Deo Consummatore th. 247; eaque promittitur tantum praemii instar pro altera vita 1. Jo. 2, 3; Matth. 5, 8; 1. Cor. 13, 12; 1. Tim. 1, 17; 6, 16. Ergo naturalis dici nequit homini Dei cognitio immediata.

2. Patres et theologi scholae data opera disserunt de ratione, qua homines non solum ad distinctam et reflexam Dei notionem, sed ad ipsam etiam primam Dei notitiam perveniunt. Atqui constanter docent per ea quae facta sunt, ex creaturis nos Deum cognoscere atque in Dei cognitionem pervenire. Quod si accuratius in modum naturaliter Deum cognoscendi inquirunt, triplicem distinguunt, scil. viam causalitatis, viam negationis, viam excellentiae (n. 20); et etiamsi subinde concedunt cognitionem Dei esse immediatam, naturalem, congenitam etc., excludere volunt tantum operosam implexamque deductionem, non medium creaturarum, ut patet ex iis ipsis patribus, ad quos adversarii provocant, qui vel generatim statuunt, homines nonnisi ex visibilibus ad invisibilium notitiam pervenire posse, ut Gregorius naz. or. theol. 2 n. 6; vel speciatim docent, ideo cognitionem Dei esse naturalem, congenitam etc., quod homo natura ipsa impellente ex contemplatione mundi ad Dei cognitionem perveniat.

Ita Tertullianus de resur. carnis n. 2 ait: »Deum mundi omnibus naturaliter notum (esse) de testimoniis operum;« et contra Marc. I, 10: »A primordio rerum conditor earum (creaturarum) cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, ut Deus cognosceretur . . . Nec hoc (quod Deum cognoscant) ullis Moysis libris debent. Ante anima quam prophetia. Animae enim a primordio conscientia Dei dos est, eadem nec alia et in aegyptiis et in syris et in ponticis . . . Nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit: semper intelligetur, semper audietur, etiam videbitur, quomodo volet. Habet Deus testimonium totum hoc quod sumus et in quo sumus.« Quapropter pulchre ait, Deum ‚armasse tantis operibus notitiam sui‘. — » Quis, inquit s. Hilarius in Ps. 52 n. 2, mundum intuens, Deum esse non sentiat?« cf. in Ps. 122 n. 2. — Ad rem etiam Gregorius M. explicans Job 36, 25 scribit Moral. XXXVI, 25: »Omnis homo eo ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse, quem videlicet jam videre est dominationem illius ratiocinando conspicere. Cum vero dictum sit: *Omnes homines vident eum,* recte subjungitur *unusquisque intuetur procul.* Procul quippe intueri eum est non jam

---

[1]) Cf. s. Thomas in l. 4 sent. dist. 49 q. 2 a. 1.

illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum admiratione ratiocinando conspicere.« — Quare merito statuit Laur. Justinianus de casto connubio Verbi c. 18: »Quemadmodum in patria Deus speculum est, in quo relucent creaturae: ita in via creaturae sunt speculum, in quo creator videtur.« Ideoque inculcat s. Thomas de verit. q. 18 a. 2: »Nos aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus«, et passim alibi.

3. Damnata est a Clemente V. cum conc. viennensi Beguardorum prop. 5: „Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum.“ Atqui anima humana non amplius indigeret lumine gloriae ipsam elevante ad videndum Deum, si visio Dei ipsi esset naturalis.

Praeterea sequeretur, homines jam modo esse beatos, cum in visione secundum Scripturas consistat nostra beatitudo. Neve excipiant ontologistae, nos Deum nunc obscure videre, beatitudinem vero consistere in clara Dei visione. Respondet enim s. Thomas de verit. q. 18 a. 1: »Quidam dixerunt, quod Deum per essentiam videre non solum contingit in patria, sed et in via, quamvis non ita perfecte in via sicut in patria . . . Sed istud dictum est contrarium Scripturae testimoniis, quae concorditer in divina visione beatitudinem ultimam hominis ponunt. Unde ex hoc ipso quod aliquis Deum per essentiam videt, beatus est . . . Non est autem possibile, ut ultimus terminus perfectionis humanae accipiatur secundum aliquem modum intelligendi, quia in istis modis intelligendi possunt considerari infiniti gradus, quo unus alio perfectius intelligit; unde oportet quod ultimus terminus humanae perfectionis sit in intelligendo aliquod perfectissimum intelligibile quod est essentia divina. In hoc igitur unaquaeque rationalis creatura beata est, quod essentiam Dei videt, non ex hoc quod ita limpide vel plus vel minus eam videt. Non igitur visio beati a visione viatoris distinguitur per hoc quod est perfectius et minus perfecte videre, sed per hoc quod est videre et non videre.«

4. Haec theoria viam sternit pantheismo. Si enim proprie rerum notiones non sunt nisi modificationes, limitationes idearum entis, veritatis, bonitatis etc., quae jugiter obversantur intellectui dum intelligit et judicat, hisque notionibus exhibetur ipsum esse divinum videndum: unum idemque esse erit commune Deo rebusque finitis, modo tantum diverso, Deo illimitate, modo finito aliis rebus, qui est ipse pantheismi error. Unde liquet, adversariorum errorem niti idearum confusione. Confundunt notionem entis in genere, quod utique de omnibus rebus creatis praedicatur, unica tantum nota constat et quod omnia participare concipiuntur, cum notione entis, quod est plenitudo τοῦ esse, τὸ ὄν et ὁ ὤν. Cf. Stentrup th. 13.

5. „Praeterea, inquit s. Thomas super Boëth. de Trin. q. 1 a. 3, cum in divina essentia omnia, quae dicuntur de ipsa, sint unum, nullus erraret circa ea, quae de Deo dicuntur, quod experimento patet esse falsum. Et iterum ea, quae sunt prima in cognitione intellectus, oportet esse certis-

sima: unde intellectus certus est, se ea intelligere, quod patet in proposito non esse."

6. Denique eorum, quae immediate et intuitive videmus, habemus cognitionem propriam. Atqui nostra de Deo cognitio est analogica tantum. Ergo eum immediate et intuitive non videmus.

13. **Scholion.** *De Augustini sententia.* — Quod si patres, nominatim Augustinus, videntur docere, intellectui nostro obversari ipsum Deum qua summam justitiam, veritatem, pulchritudinem etc., ideoque qua normam omnis justi et veri, secundum quam omnia dijudicemus, vel nos in Deo omnia videre veluti in sole omnia illustrante: notari debet haec non posse ita accipi, ut adversentur certissimae doctrinae s. Scripturae ipsorumque patrum, invisibilia Dei *per ea, quae facta sunt, intellecta conspici,* nosque Deum cognoscere per speculum, in aenigmate. Hinc ea esse explicanda vel de cognitione Dei non intuitiva, sed abstractiva, quam gradatim assequimur et expolimus, et ex qua, quo perfectior ea est, mira lux refunditur, ut sublimiori ratione cognoscamus ordinem universum creatum atque possibilem; vel causative, quatenus Deus suprema veritas propemodum irradiando indidit nobis lumen intellectuale, intellectum, qui ad intellectus divini similitudinem expressus improssus habet supremas normas legesque cogitandi naturaliterque tendit ad legendas i. e. intelligendas ideas et veritates, quas mens divina archetypa in creaturis et per creaturas expressit atque manifestat. Ita illa patrum dicta explicare solet s. Thomas ut 1 q. 12 a. 11 ad 3: »Omnia dicimur in Deo videre et secundum ipsum de omnibus judicare, in quantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus et dijudicamus: nam et ipsum lumen naturale rationis participatio quaedam est divini luminis: sicut etiam omnia sensibilia dicimur videre et judicare in sole i. e. per lumen solis . . . Sicut ergo ad videndum aliquid sensibiliter non est necesse quod videatur substantia solis: ita ad videndum aliquid intelligibiliter non est necessarium quod videatur essentia Dei;« et forte melius Quodlib. 10 q. 4 a. 7: »Ab una prima veritate multae veritates in mentibus hominum resultant, sicut ab una facie hominis resultant multae facies in speculo fracto. Haec autem resultatio veritatis est quantum ad duo, scil. quantum ad lumen intellectuale, de quo in Ps. 4, 7: *Signatum est supe nos lumen vultus tui, Domine;* et quantum ad prima principia naturaliter nota sive sint complexa sive implexa. Nihil autem possumus veritatis cognoscere nisi ex primis principiis et ex lumine intellectuali, quae veritatem manifestare non possunt, nisi secundum quod sunt similitudo illius primae veritatis, quia ex hoc etiam habent quandam incommutabilitatem et infallibilitatem. Sic ergo in prima veritate secundum suam essentim non omnia videntur a nobis in statu viae, cum nec ipsa per suam essentiam a viatoribus videatur: sed in ipsa ratione suae imaginis scil. veritatis ab ea exemplatae omnis veritas a nobis cognoscitur; et exinde est quod duo idem verum vident, in quantum ab eadem prima veritate resultat exemplata veritas in mente utriusque; et ita intelligendum est dictum Augustini [1]).«

---

[1]) Cf. etiam 1 p. q. 88 a. 3 et q. 84 a. 5; super Boëthium de Trinit. q. 1 in prooemium a. 1 ad 1: ›Deus nos docet interius in naturali cognitione, quod naturale lumen in nobis causat, et illud dirigit in veritatem; in aliis vero etiam lumen novum infundendo.‹ Cf. Kleutgen Philosophie der Vorzeit t. 1 disp. 5; Franzelin

14. **Thesis LXXXIX.** ***Dei exsistentia rationis argumentis comprobatur.***

Declaratio. Praecipua argumenta, quibus Dei exsistentia comprobatur, ad quasdam revocabimus classes. Deus innotescit creaturae rationali per suas ad extra manifestationes. Duplex autem secerni potest Dei manifestatio, quae duplici respondet ordini divinitus instituto, naturalis scil. et supernaturalis; huic innititur argumentum theologicum, quod petitur ex omnibus factis extraordinariis et stupendis historice indubiis, quibus quadruplex humani generis stadium, primitivum, patriarchale, legale et christianum continetur: haec enim evidenter maximum naturae moderatorem, sapientissimum humani generis provisorem, vindicem sanctitatis manifestant.

Manifestationes naturales in duo summa genera rite dispescuntur, quorum alterum iis constat, quae in mundo elucent, alterum vero iis absolvitur, quae in hominum natura deprehenduntur: unde duplex prodit argumentum, cosmologicum alterum, alterum anthropologicum. In ipso autem mundo duo considerari possunt, materia et forma, qua illa pondere, numero ac mensura ita temperatur ut decore niteat, ordine excellat, ac mira pulchritudine cohonestetur. Si materiam consideras, cum ea undique appareat contingens, quae in se rationem sui sufficientem non habeat sive quoad elementa, sive quoad quantitatem et molem, vires, locum aliasque proprietates, cumque multae cernantur in rerum natura mutationes et effectus, argumentum prodit metaphysicum, quo ex contingentibus inferimus ens necessarium, ex effectibus ultimam aliquam causam, quae non sit ab alio, sed rationem suae exsistentiae in se habeat (cf. opusc. XXVIII, 26 ss.). Si formam ordinemque attendis, prodit argumentum physicum: ordo enim tam concinne compositus, in quo omnia tam apte suis destinantur finibus, sapientissimum exigit artificem. Si enim nemo prudens opus vel minimum apte elaboratum ut horologium, machinam etc. casui adscribat vel causa carere affirmet: quam irrationale erit, horologium

---

thes. 11; Stentrup l. c. th. 2; Heinrich § 136; Scheeben Handbuch der kath. Dogmatik § 2. 61; De San tr. de Deo uno p. 1 c. 2. De doctrina s. Bonaventurae, qua etiam nonnulli in hac quaestione abutuntur, cf. Katholik 1870 I, 404 ss. Sufficiant nobis quae habet in 2. d. 23 a. 2 q. 3, ubi de variis modis cognoscendi Deum ita habet: „Quidam innitentes auctoritatibus male intellectis dixerunt, Deum nunquam immediate videri nec in via, nec in patria . . . Sed ista positio haeretica est . . . Secundus modus dicendi est, quod Deus a purgatis mentibus non solum in patria, sed etiam in statu innocentiae et in statu viae in seipso videri habet, nec est differentia nisi in gradu, quod clarius et perfectius in statu gloriae videbitur. Hanc autem positionem suam ex auctoritatibus Augustini eliciunt. Sed haec positio, etsi non sit adeo veritati adversaria sicut prima, nihilominus tamen dictis sanctorum non consonat . . . Et communiter doctores in hoc concordant intelligentes illud quod dicit Apostolus, quod quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Unde si quae auctoritates illud dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae, quod videatur in sua essentia, sed quod in aliquo effectu inferiori cognoscitur . . . Unde in solo statu gloriae Deus videbitur immediate et in sua substantia, ita quod nulla erit ibi obscuritas. In statu vero innocentiae et naturae lapsae, videtur Deus mediante speculo, sed differenter, quia in statu innocentiae videbatur Deus per speculum clarum . . . in statu vero miseriae per speculum obscuratum.“

mundanum universitatemque rerum, quam nunquam satis mirari possumus, casui adscribere vel affirmare eam causa intelligente carere.

In homine vero animadvertimus **1.** certas leges, quibus humanae mentes in sua explicatione subsunt subjectaeque reguntur; **2.** immutabiles sempiternasque ideas, quibus praelucentibus omnia ab hominibus judicantur, et de quibus nemo hominum judicat; **3.** practica principia, quibus non modo honestum a turpi secernimus. verum illud nobis indictum, hoc autem vetitum experimur; **4.** perpetuum et insuperabile pondus, quo voluntates in felicitatem, quae par sit restinguendae siti, rapiuntur; **5.** expressas necessaria quadam naturae impulsione preces, quibus et nostram fatemur indigentiam et nosmet ad fontem totius bonitatis sanctitatisque recipimus; tandem **6.** miras subitasque rerum conversiones, quibus effectum est, ut humana familia vel in suam perniciem ruens cohiberetur, vel torpore stertens excitaretur vel ad meliora progrediens juvaretur. Ex quibus prodeunt **1.** argumentum psychologicum, quo Deum animae auctorem moderatoremque cognoscimus; **2.** argumentum ontologicum, quo Deum assequimur ipsam veritatem fontemque omnis veri; **3.** argumentum ethicum, quo Deum agnoscimus summum legislatorem; **4.** argumentum teleologicum, quo Deum tamquam finem nostrumque summum bonum detegimus; **5.** argumentum mysticum, quo Deum ceu misericordem parentemque benignissimum complectimur (opusc. XV, 53 s.; XIX, 93), et **6.** argumentum historicum, quo Deum humani generis provisorem discimus. Cum ergo undique Deus se menti humanae manifestet, mirum quoque esse non debet, quod humanum genus communi consensu quasi naturae rationalis voce Dei exsistentiam profiteatur, qui consensus novum argumentum esse potest pro asserenda contra incredulos hac veritate fundamentali [1]).

Ex hisce argumentis unum alterumque eligemus et paulo accuratius exponemus, sed praevie notamus: **a.** argumenta pro exsistentia Dei non seorsum esse expendenda, sed inter se conferri debere, quia alterum altero confirmatur; **b.** quando agitur de Dei exsistentia ostendenda, non requiri definitionem Dei perfectam et adaequatam, sed sufficere definitionem nominis, qua Deus exhibetur ens supremum et sufficientissimum, a quo rerum universitas aliquo modo pendet. Vindicata hujusmodi entis supremi exsistentia **c.** ulterioribus ratiociniis facile ostendi, omnes notas, quas idea Dei perfecta complectitur, eidem convenire, praesertim ex aseitate et absoluta necessitate exsistendi, quae enti primo et supremo propriae sunt.

15. **Demonstratio. 1.** Dei exsistentia probatur ex contingentia mundi: Nihil exsistere potest, nisi exsistat ens necessarium. Quidquid

---

[1]) Cf. Passaglia et Schrader in ed. theologic. dogmatum Petavii t. 1 de Deo append. ad l. 1 c. 2, ex qua potiora decerpsimus. Plura argumenta praeclare evoluta reperies in aureo libello Lessii de providentia Numinis; apud Stentrup l. c. th. 7; Kleutgen q. 1 a. 8; Gutberlet Lehrb. der Apol. p. 1 s. 2 § 7; s. 3 § 3; Scheeben § 62; Hammerstein Gottesbeweise und moderner Atheismus, Treviris 1894 ed. 4., l. valde utilis. Possunt autem haec argumenta ad animandam fovendamque in Deum fidem magna cum populi cultioris utilitate in concionibus fusius evolvi, ut et patres suo exemplo nos docent. Habes supra specimina n. 6[2]; alia reperies in opusculis, ut ex ordine et pulchritudine mundi III, 97 ss.; XV, 44 ss.; XXIX, 149 ss.; XLI, 11 ss.; XLIV, 73 ss.

enim contingens est, rationem exsistentiae suae habet in alio ente, quod et ipsum si contingens est, ab alio iterum ente dependet. Cum autem series entium contingentium non possit procedere in infinitum, ens necessarium exsistat necesse est, quod rationem exsistentiae rerum contingentium per ipsam experientiam comprobatae contineat. Atqui ens necessarium non potest esse nisi Deus; nam eo ipso quod absoluta necessitate exsistit, prorsus independens est, et cum rationem rerum contingentium in se contineat, res autem mundanae omnes sint contingentes, mundus ab ipso dependere censeri debet. Ens autem independens, a quo mundus dependet, ab omnibus existimatur esse Deus. Exsistit ergo Deus.

2. Mundus exhibet complexum causarum subordinatarum i. e. causarum, quae simul sunt effectus. At causae subordinatae exigunt causam absolute primam, quae non est subordinata, sed vim causandi et proinde etiam esse suum ex se habet. Ejusmodi autem causa est Deus, utpote a se exsistens et activitatem causarum subordinatarum determinans. — Cui simile est argumentum ex necessitate primi motoris deductum. Motus qui in mundo deprehenditur, ex primo quodam motore non moto originem ducit. Omne enim quod movetur, ab alio movetur: unde sequitur principium quod movet et movetur, non posse esse primum, quia ab alio moveri debet, et proinde, cum processus in infinitum repugnet, omnem motum ultimo repetendum esse ex principio, quod movet quin moveatur. Principium quod movet, quin moveatur, non potest esse materia, sed debet esse spiritus, qui libero voluntatis imperio eoque aeterno motum aliquo tempore exstiturum determinet, quia hoc tantum in casu fieri potest, ut motus producatur, quin in ipso principio movente adsit motus proprie vel improprie dictus.

3. Consideratio obvia docet in mundo vigere ordinem teleologicum, i. e. causas naturales apte dispositas esse ad fines convenientes assequendos; docet e. g. conditiones telluricas sapientissime dispositas esse ad promovendam et conservandam vitam organicam; item in quolibet organismo plura esse instrumenta summo artificio concinnata ad obeundas peculiares functiones, et has iterum mirum in modum conspirare ad totum organismum exornandum, tuendum et conservandum. Jam vero nemo non videt, dispositionem hanc finibus assequendis idoneam nonnisi ab auctore intelligentia praedito eoque sapientissimo provenire posse, qui finibus mente conceptis media adaptaverit. — Idem probatur ex ordine mundi universe spectato. Mundi compaginem admodum harmonice esse digestam ne illi quidem negare possunt, qui ordinis teleologici exsistentiam in dubium vocant. Atqui ordo quilibet auctorem prodit intelligentem, qui opus ordinatum aut immediate per se aut certe mediate per causas a se adornatas produxerit. Nam ordinis ratio exigit, ut plura dis-

ponantur juxta certam aliquam relationem, ad certam aliquam normam, quod fieri non potest nisi ab ente intelligenti. Ergo admitti debet, mundum, qui ordinem insignem prae se fert, originem debere auctori sapientissimo, et hoc eo magis quia ordo mundi tam multiplex est et ubique atque constanter vigere cernitur. Etiamsi hoc argumentum per se non probet, mundi auctorem esse sapientiae infinitae, id certe evincit eum esse summe sapientem [1]).

4. Accedit argumentum ex communi persuasione generis humani deductum, quod argumentum morale vel historicum vocari solet. Monumentis antiquis et veterum auctorum testimoniis nec non observationibus ethnologicis recentioris aetatis comprobatum est, persuasionem de numinis exsistentia pervulgatam esse et a prima memoria pervulgatam fuisse apud omnes gentes utut diversas: ex quo patet, persuasionem hanc censendam esse oraculum ipsius naturae rationalis, ideoque falsam haberi non posse.

16. **Thesis XC.** ***Homo Deum comprehendere nequit; quadamtenus tamen ejus naturam et perfectionem cognoscere potest.***

Declaratio. Expedita quaestione, num homo solo lumine rationis Dei exsistentiam cognoscere possit, altera solvenda est, num scil. homo, cognita jam exsistentia Dei, ipsam Dei essentiam et naturam vel solo rationis lumine vel lumine supernaturali adjutus cognoscere valeat. Qua in quaestione duplex error vitandus est, alter Aëtii, qui teste Epiphanio haer. 76 »cum suis commentus est . . . tam Deum novi sicut meipsum, imo non tantum meipsum quantum Deum.« Vindicabant sibi scil. eunomiani cognitionem Dei comprehensivam, quos secuti sunt lullistae. Alter error huic plane oppositus est quorundam gnosticorum, secundum quos nihil de Deo scire possumus. Contra utrumque errorem statuitur thesis, cujus prior pars diserte enunciatur in cap. ‚Firmiter‘ conc. lateranensis IV., in quo Deum profitemur ‚incomprehensibilem‘, quam professionem repetit conc. vaticanum sess. 3 c. 1. Verum quaeritur, quid veniat nomine comprehensionis et quo sensu credendus sit Deus incomprehensibilis. Varia est enim vocis illius significatio. Hic eam eligimus, qua designat cognitionem perfectam, quae adaequat exhauritque omnem objecti cognoscibilitatem adeo ut nihil eorum, quae huic sive formaliter sive virtualiter insunt, praeter notitiam sit cognoscentis. Quo autem determinato sensu Deus credendus sit incomprehensibilis, ab Ecclesia non est definitum neque satis inter theologos convenit. Cum vero in definitione Ecclesiae Deus dicatur simpliciter incomprehensibilis, saltem de fide est, eum esse incomprehensibilem viribus naturalibus cujuscunque intellectus creati. Theologice tamen certum videtur Deum incomprehensibilem esse non solum cuicunque intellectui creato naturali, sed etiam intellectui cuivis supernaturali lumine aucto; non solum potentia Dei ordinaria, sed et potentia absoluta. Cf. Suarez de Deo II, 5.

---

[1]) Cf. ad hoc argumentum uberius evolvendum et illustrandum auctores in disciplinis physicis expertos, quos magno numero laudat Hettinger Apol. des Christenth. I, 1, 169 ed. 6. (seu in annot. ad diss. 3).

17. **Demonstratio p. I.** Oppositus error refutatione vix indiget. „Ausus est homo dicere, inquit ad rem Chrysostomus hom. 2 de incompreh. n. 3, novi Deum, ut Deus se ipsum novit. Haeccine confutatione indigent, haeccine demonstratione? An non satis est haec solum proferre verba, ut eorum tota impietas reveletur? Etenim haec insania perspicua est, amentia inexcusabilis, novus impietatis modus.“ Thesis

1. probatur ex divinis literis, quae eam tradunt: **a.** aequivalenter: ita enim legimus Eccli. 43, 32 ss.: *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus;* **b.** a fortiori, cum docent, nos ne opera quidem Dei neque ejusdem consilia, judicia, vias assequi Job 11, 7 ss.; Sap. 9, 13 ss.; Rom. 11, 33; **c.** comparate: ita enim scribit Paulus: *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est . . . Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (1. Cor. 13, 9 ss.): ex quibus liquet, nostram de Deo cognitionem in hac vita esse partialem, inchoatam, perficiendam, obscuram et aenigmaticam.

Neve quis excipiat ultimis textus paulini verbis promitti nobis cognitionem Dei comprehensivam: nam particula *sicut* non est nimis urgenda, alioquin sequeretur, nos Deum cognoscere posse cognitione infinita, si nostra cognitio aequaret divinam; sed sensus est, ita nos cognituros esse Deum immediate, absque medio in altera vita, sicut Deus nos immediate videt: idem ergo hoc inciso enunciatur, quod priori: *tunc autem facie ad faciem,* cui parallele respondet. Verum tamen est, hoc et prioribus testimoniis probari tantum Dei incomprehensibilitatem pro praesenti vita.

2. Eadem veritas probatur ex patribus, qui non solum **a.** Aëtii opinionem stultitiae, temeritatis, praesumptionis arguunt, sed et **b.** experientia propria et argumentis refellunt. „Quo intellectu, inquit Augustinus de Trinitate V, 1, Deum capit homo, qui intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit?“ „Si minutissimae formicae naturam, scribit s. Basilius ep. 16, nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei vim te imaginari gloriaris?“ Absoluta Dei incomprehensibilitas sequitur **c.** ex iis, quae docent de mysteriis circa Deum vel prae intellectu angelico (I. n. 488 s.). Haec enim supponunt Deum vel angelis incomprehensibilem. In primis **d.** eam docent, cum ex comprehensione Dei, quae in divinis literis Filio et Spiritui sancto vindicatur, horum inferant divinitatem. Imo vero quidam patrum illam adeo urgent,

ut incurrerint accusationem denegatae vel beatis visionis Dei, ut disserentes de visione Dei videbimus. Cf. patrum doctrinam apud Petavium de Deo VII, 3 s. Inter eos eminet Chrysostomus in praeclaris homiliis de incomprehensibili (opusc. XXIX).

3. Probatur ratione. Comprehensio enim ea est cognitio, quae adaequat objectum, ita ut nihil sit objecti extra, nil praeter notitiam, adeo ut haec omnem illius cognoscibilitatem exhauriat. Atqui intellectio quaecunque finiti intellectus finitae quoque est virtutis: nequit igitur adaequare et exhaurire infinitum, quod proportione comprehensionis et adaequationis non respondet nisi menti infinitae. Hoc vero argumentum evincit, Deum esse cuicunque intellectui creato incomprehensibilem. Cf. Thomas c. gentes III, 55; Lessius de div. perf. I, 2.

18. Quod si beati Deum vident, non tamen eum comprehendunt; nam etsi eum vident et totum vident, non vident eum perfecte seu, ut ajunt, totaliter, non exhauriunt totam ejus cognoscibilitatem. Quod ita expressit s. Thomas in 1 q. 12 a. 7 ad 2: »Non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid ejus sit, quod non videatur; sed quia non ita perfecte videtur, sicut visibilis est. Sicut cum aliqua demonstrabilis propositio per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid ejus quod non cognoscatur, nec subjectum, nec praedicatum, nec compositio, sed tota non ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibilis est.« Hinc merito dicitur Deus inscrutabilis. Cf. Thomassinus de Deo VI, 19, qui bene inculcat de hac quaestione nonnihil implexa, memores nos esse debere ipsam Dei incomprehensibilitatem esse incomprehensibilem.

19. **Demonstratio p. II.** Haec per se patet: nam ut Deus quadamtenus cognoscatur, sufficit, ut praeter exsistentiam aliquae saltem cognoscantur perfectiones divinae. Atqui evidens est, nos lumine rationis, longe magis praeeunte lumine revelationis, plura de Deo cognoscere. Ad rem Irenaeus IV, 6: »Dominus autem non in totum non posse cognosci et Patrem et Filium dixit. Ceterum et supervacuus fuisset adventus ejus. Quid enim huc veniebat? an uti diceret nobis: nolite quaerere Deum; incognitus est enim et non invenietis eum?« Imo ut notat Thomas in Boëth. de Trin. c. 2 q. 2 a. 3: »De nulla re potest sciri an est, nisi quoquo modo de ea sciatur, quid est vel cognitione perfecta vel cognitione confusa.«

20. **Scholion I.** *Triplex modus cognoscendi Deum.* — Deum autem quadamtenus cognoscimus notionibus tum affirmantibus, tum negantibus, tum iis, quae secundum excessum appellantur. Qui triplex cognoscendi modus ejus est indolis, ut cognitio per affirmationem, per negationem et per excessum non una ab altera seorsim consistat, sed una alteram implicitam habeat et ex omnibus una compleatur cognitio Dei. Triplicem hunc modum cognoscendi Deum s. Thomas passim exponit. Cf. in 1 dist. 35 q. 1 a. 1, ubi triplici hac via ostendit Deo inesse scientiam; in Boëthii prooemium q. 1 a. 2; 1 p. q. 12 a. 12; c. gentes III, 49; lect. 6 in Rom. 1, 19, ubi inter alia scribit: „Haec autem tria

(*invisibilia* Dei, sempiterna ejus *virtus* et *divinitas,* quae Paulus l. c. nominat), referuntur ad tres modos cognoscendi supradictos: nam invisibilia Dei cognoscuntur per viam negationis; sempiterna ejus virtus per viam causalitatis; divinitas per viam excellentiae." Qua in doctrina doctor angelicus secutus est patres, imo sacram Scripturam, quae triplicem hanc viam, causalitatis, excellentiae et negationis indicat. Cf. Ps. 93, 8 s.; Rom. 1, 18 s. — Sap. 13, 3 ss. (n. 6[1]); Matth. 7, 11. — Is. 40, 12 ss. Ad illius uberiorem explicationem haec notentur:

1. Nos de Deo habere oportet aliquas saltem notiones affirmantes: de eo enim solum omnia negantur, quod non est, seu de nihilo. Quamvis

2. notionibus affirmantibus de Deo aliquid praedicemus, quod ei est proprium et essentiale, eae tamen non sunt propriae, sed analogicae tantum, utpote ex creaturis haustae. »In nominibus, inquit Thomas 1 p. q. 13 a. 3, quae Deo attribuimus, est duo considerare scil. perfectiones ipsas significatas . . . et modum significandi. Quantum igitur ad id, quod significant hujusmodi nomina, proprie competunt Deo . . . Quantum vero ad modum significandi non proprie dicuntur de Deo, habent enim modum significandi, qui creaturis competit.« Creaturis scil. competunt perfectiones per modum qualitatum, ab invicem distinctae et propemodum discretae, limitibus circumscriptae, per participationem etc., qua ratione in Deo non sunt. Quare si modum spectes, conveniunt Deo illa nomina eminenter.

3. Cum notiones nostrae de Deo affirmantes sint imperfectae, adhibendae sunt negationes, quibus a Deo removeamus imperfectiones creaturarum proprias notionesque affirmantes corrigamus, perficiamus, expoliamus [1]). Quocirca in Deo »privationes, ut ait s. Maximus in Dionysii l. de div. nom. c. 4, sunt efficaces positiones, quae etsi ejus, quod non est, notionem habere videntur, in Deo tamen, qui substantiam omnem et essentiam superat ac nihil est eorum, quae sunt, excellentiam significant.« Quod inductione notionum negativarum infiniti, immensi etc. patet. Imo non desunt, qui cum Damasceno F. O. I, 4 statuant: »Convenientius esse ita de Deo praedicare aliquid, ut ei omnia detrahantur, quippe nihil est eorum, quae sunt, non ut nihil sit, sed ut sit supra omnia, quae sunt, imo vero supra ipsum esse.« Quod jam commendat Augustinus enar. 2 in Ps. 26: »Totum ab animo rejicite, et quidquid occurrerit, negate. Cognoscite infirmitatem cordis vestri et quidquid occurrerit, quod cogitare possitis, dicite: non est illud. Non enim si illud esset, mihi jam occurrisset;« in Joan. tr. 102 n. 4. Hinc Dionysius Areop., qui has privationes admodum amat, in theol. mystica c. 5 scribit: »Rursus autem ascendentes dicimus, quod (Deus) nec anima sit, nec mens . . . vel rationem vel intelligentiam habeat; neque sermo est, neque intelligentia; neque dicitur vel intelligitur . . . nec est potentia, neque lumen, neque vivit, neque vita est, neque substantia est . . . neque veritas est . . . neque spiritus est . . . neque tene-

---

[1]) Praedicata ergo negativa tribuuntur Deo proprie; positiva analogice; ea vero, quae perfectionem mixtam significant, metaphorice. Cf. Rogacci Del Uno Necessario p. 1 c. 12. Patrum effata ad hanc doctrinam illustrandam cf. apud Petavium l. 1 c. 5. 6; Thomassinum de Deo l. 4 cc. 7—11. Cf. Kleutgen instit. l. 1 q. 2 c. 4 a. 4.

brae est, neque lumen, nec error, neque veritas etc.« Cf. Corderium in h. l.

4. Optimum vero erit, notiones affirmantes negantesque apte conjungere. Qua suavissima connexione, ut loquitur Damascenus l. c. c. 12, mutuo corriguntur et perficiuntur atque exinde oriuntur notiones secundum excessum (καθ' ὑπεροχήν), quibus Deus concipitur ut ὑπεραγαθός, superbonus, supersubstantialis etc. Quod theologi nonnulli illustrant similitudine ex re arithmetica derivata, scil. sicut si numero adjicitur zero, illius valor multum crescit et augetur, ita notio affirmans per negantem limitibus, quibus coarctabatur, liberatur et in infinitum dilatatur. Alia comparatione utitur Scheeben n. 58 praeeunte Frassen Scot. acad. de Deo disp. a. 2 q. 1 scil. pictoris, sculptoris et poetae, qui alicujus rei nituntur sistere imaginem: primus translatione colorum in tabulam, alter remotione eorum, quae sunt dissimilitudinis causae, tertius comparationibus et hyperbolis.

5. Hinc liquet, has tres vias cognoscendi Deum non se mutuo excludere, verum potius se mutuo includere ad unam complendam Dei cognitionem. Quamobrem conjunctim proponuntur in Ecclesiastico, ubi auctor inspiratus post praeclaram operum divinorum descriptionem concludit 43, 29 ss.: *Multa dicemus et deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus* συντέλεια λόγων τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός. Est autem Deus τὸ πᾶν ut causa exemplaris eminens, complectens eminenter et virtualiter omnium perfectiones. Hoc autem cognoscimus via causalitatis. *Gloriantes ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super* (παρά praeter, extra) *omnia opera sua,* consequenter nihil est eorum, quae illa sunt (hoc assequimur per negationem)... *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc* ὑπερέξει γὰρ καὶ ἔτι . . . *quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio?* En viam excellentiae. Ita et s. Thomas de pot. q. 7 a. 5 ad 2: »Secundum doctrinam Dionysii tripliciter de Deo (nomina) dicuntur. Primo quidem affirmative, ut dicamus *Deus est sapiens.* Quod quidem de eo oportet dicere propter hoc, quod est in eo similitudo sapientiae ab ipso fluentis. Quia non est in Deo sapientia, qualem nos intelligimus et nominamus, potest vere negari, ut dicatur *Deus non est sapiens.* Rursum quia sapientia non negatur de Deo, quia ipse deficiat a sapientia, sed quia supereminentius est in ipso, quam dicatur aut intelligatur: ideo oportet dicere, quod Deus sit *supersapiens.* Et sic per istum triplicem modum loquendi, secundum quem dicitur Deus sapiens, perfecte Dionysius dat intelligere, qualiter ista Deo attribuantur.« Hinc merito Deum dicimus gut (die Güte selbst) allgütig, übergut.

21. **Scholion II.** *Genesis cognitionis Dei.* — Si via indicanda est, qua ad pleniorem aliquam Dei notitiam pervenire nobis licet, ea sic poterit describi: **1.** Affirmando cognoscimus via causalitatis Deum ut causam universi ab eo distinctam et improductam; **2.** negando excludimus imperfectiones creaturarum et limites τοῦ esse: qua negatione efficaci **3.** affirmamus in ipso plenitudinem τοῦ esse et consequenter omnis perfectionis et simul negamus illas perfectiones Deo inesse eo modo, quo insunt creaturis. Hinc **4.** Deum apprehendimus vere super omnes creaturas

evectum, supra id quod concipere possumus, ut incomprehensibilem. In qua apprehensione in praesenti vita consistit vera Dei cognitio secundum patres, quorum sensa bene expressit Minucius Felix in Octavio n. 18: „Soli sibi tantus, quantus est, notus, nobis vero ad intellectum pectus angustum est, et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. Eloquar, quemadmodum sentio: magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non novit" i. e. fateatur se non nosse Deum sicuti est.

22. **Scholion III.** *De ineffabilitate Dei.* — „Voces sunt, inquit s. Thomas in 1 p. q. 13 a. 1, signa intellectuum et intellectus (conceptus) sunt rerum similitudines; et sic patet, quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic potest a nobis nominari." Quare sicut Deus est incomprehensibilis, ideoque nullo verbo interno spiritus creati repraesentabilis, ita etiam est ineffabilis i. e. sicut adaequate a nullo intellectu creato concipi potest, ita neque potest verbis adaequate ab ulla creatura exprimi atque definiri; et sicut omnes nostri de Deo conceptus deficiunt ab adaequata cognitione, ita omnia nomina, quae Deo tribuimus, deficiunt ab adaequata significatione, non enim eum significant sicut est.

Ineffabilitatem Dei pulcherrime patres describunt. »Quaeres quid sit Deus? inquit Augustinus in Ps. 85 n. 12. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit* (1. Cor. 2, 9). Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit?« Imo dicit idem s. doctor, Deum esse magis ineffabilem, quam sit incomprehensibilis. Saepe enim contingit, ut difficilius sit aliquid verbis enunciare, quam illud quoquo modo intelligere; unde pronunciat de Trin. VII, 4: »Verius cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur.« Et contra Adimantum Manichaei discipulum c. 7: »De qua (majestate divina) quidquid dictum fuerit, indigne dicitur, quia omnes opes linguarum omnium ineffabili majestate praecedit.« — Et egregie Novatianus de Trin. c. 2: »Sentire Deum taciti aliquatenus possumus, ut autem ipse est, sermone explicare non possumus. Sive enim illum dixeris lucem, creaturam ipsius magis quam ipsum dixeris, ipsum non expresseris. Sive illum dixeris virtutem, potentiam ipsius magis quam ipsum dixeris et deprompseris. Sive dixeris majestatem, honorem ipsius magis quam ipsum illum descripseris. Et quid per singula quaeque percurrens longum facio? Semel totum explicabo. Quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis et virtutem quam ipsum explicaveris. Quid enim de eo condigne dicas aut sentias, qui omnibus et sermonibus et sensibus est major? Nisi quod uno modo et hoc ipsum quomodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet quid sit Deus mente capiemus; si cogitaverimus id illum esse, quod quale et quantum sit, non possit intelligi, nec in ipsam quidem cogitationem possit venire . . . Quid enim de eo (ut iterum repetam) condigne dicas, qui est sublimitate omni sublimior, et altitudine omni altior et profundo omni profundior et omni luce lucidior, et omni claritate clarior, omni splendore splendidior,

omni robore robustior, omni virtute viritior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, et omni fortitudine fortior, et majestate omni major, et omni potentia potentior, et omnibus divitiis ditior, omni prudentia prudentior, et omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni justitia justior et omni clementia clementior?«

Chrysostomus hom. 1 quod daemones non gubernent mundum n. 3: »Quemadmodum laevia et lubrica corpora, licet innumeris manibus teneantur, nobis elabuntur et facile effugiunt, sic et Dei benignitatem, quantiscunque nominibus complecti conamur, ne sic quidem comprehendere possumus, sed verborum nostrorum imbecillitatem ejus magnitudo longo superat intervallo.« — Gregorius Mor. XXVII, 16: »Si homo de Deo loqui coeperit, illico quam sit nihil homo ostenditur, quia magnitudinis illius immensitate devoratur et quasi in profundum raptus absconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipsa sua ignorantiae angustia deglutitur. Loquitur enim caro de spiritu, circumscriptus de incircumscripto, creatura de creatore, temporalis de aeterno, mutabilis de immutabili, mortalis de vivificante, et cum in tenebris positus internum lumen sicut est nesciat, homo de aeternitate disserere cupiens, coecus de luce loquitur.« Idem s. doctor Mor. l. 20 c. 32 n. 62 acute notat: »In Scriptura s. cum de Deo aliquid indignum dicitur, movetur loquentis animus, velut si aliquando de Deo aliquid dignum dicatur. Pene omne quippe, quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua? Sanctus autem Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quam sint ineffabilia summa et divina, his etiam verbis nonnunquam de Deo utitur, quae apud homines habentur in vitio, ut ex his, quae indigna videntur hominibus et tamen dicuntur de Deo, admoneantur scire homines, quod nec illa jam Deo digna sint, quae dum digna habentur apud homines, digna putantur Deo.« Qua de re bene disputat s. Thomas in 1 dist. 34 q. 3 a. 2; de verit. q. 10 a. 7 ad 10. Unde praeclarissime infert s. Augustinus Confess. l. 1 c. 4: »Vae tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.«

23. Propter hanc ineffabilitatem vocant patres Deum ἀνώνυμον i. e. absque nomine, quamvis illum etiam duplici alia de causa ita appellent; nomen scil. alicui imponere est superioris, quo caret Deus; et ratio impositionis (saltem inter homines) est, ut quis ab aequali distinguatur. Etsi autem Deus a nobis comprehendi et hinc adaequate enunciari nequit, poterit tamen, quia quadamtenus a nobis cognoscitur, quadamtenus etiam nominari: qua duplici propositione patrum dissidium apparens circa Dei nomina apte componitur. Imo quia Deum propter infinitam suam perfectionem nostrique intellectus angustias innumeris mentis conceptibus apprehendimus, innumeris quoque nominibus et praedicatis designare licet; quocirca Dionysius Areopagita sicut Deum dixerat ἀνώνυμον, ita etiam vocat de div. nom. c. 1 πολυώνυμον seu πανώνυμον. Ad rem. s. Augustinus in Jo. tr. 13 n. 5: »Omnia possunt dici de Deo et nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quaeris congruum nomen? non invenis; quaeris quoquo modo dicere? Omnia invenis.« Quae omnia paucis, sed pulchre, in hymno 29 v. 11 ss. sect. I. (Mig. 37, 508) complectitur s. Gregorius naz.:

In te omnia permanent, ad te confestim festinant omnia,
Tu omnium finis, tu unus et omnia et nihil rerum.

Cum neque unum sis, neque omnia, quem te appellem,
Qui es solus innominabilis et omninomius? [1]).

Caput II.

De perfectionibus seu proprietatibus essentiae divinae.

24. Cum in Deo perfectiones identificentur cum essentia divina (n. 37), hanc eo melius cognoscemus, quo plenius illas noverimus. Quocirca conc. vaticanum sess. 3 cap. 1 Deum recensitis ejus perfectionibus ita describit: „Sancta catholica apostolica romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.“ Quare perfectiones divinas, non omnes quidem, verum eas, quarum consideratio theologo vel magis necessaria est vel magis utilis, expendemus. Eae solent etiam proprietates et attributa dici.

Attributi nomine designatur sensu latiori quidquid de Deo praeter ipsius essentiae notionem concipitur et praedicatur, qua significatione complectitur etiam proprietates personales: sensu strictiori magisque vulgato designat eam perfectionem divinam, quae formae instar divinae essentiae quasi superadditae concipitur, ut sapientia, bonitas. Si hac accipitur significatione, distinguitur a proprietate, quae non concipitur ut forma quaedam, sed ut modus proprius et internus divinae essentiae, ut esse infinitum, immensum etc. Hoc autem assignari potest discrimen inter proprietates et attributa, quod haec quadamtenus a creaturis participari possunt, ut sapientia etc., sed illae creaturis communicari nequeunt. Proprietates grammatice designari fere solent praedicatis negativis, ut immensus, infinitus etc.; attributa vero praedicatis positivis, ut benignitas, sapientia [2]) etc.

25. Multipliciter distingui perfectiones vel proprietates divinae solent. Distinguuntur enim **1.** in proprietates personales et essentiales,

---

[1]) Cf. de nominibus Dei Thomas 1 q. 13; Kleutgen Theolog. der Vorzeit t. 1 disp. 2 cap. 4; de potioribus Scheeben § 66; Heinrich § 158.

[2]) Cf. Scheeben § 70; Heinrich § 167. Ceterum quod nomen *perfectio* attinet, bene notat s. Thomas c. gentes I, 28: „Sciendum tamen est, quod perfectio Deo convenienter attribui non potest, si nominis significatio quantum ad sui originem attendatur. Quod enim factum non est, nec perfectum dici posse videtur. Sed quia omne quod fit, de potentia in actum deductum est et de non esse in esse, quando factum est, tunc recte perfectum esse dicitur quasi totaliter factum . . . Per quandam igitur nominis extensionem perfectum dicitur non solum quod fiendo pervenit ad actum completum, sed etiam id, quod est in actu completo absque omni factione, et sic Deum perfectum esse dicimus.“

de qua distinctione alias; **2.** in affirmativas seu positivas et negativas; **3.** in communicabiles et incommunicabiles, quae cum priori fere coincidit; **4.** in absolutas et respectivas, quae respiciunt creaturas; denique aliis partitionibus omissis **5.** in quiescentes et actuosas seu in perfectiones essendi et operandi. De his in sequenti sectione, de prioribus in hac agemus.

26. Initio autem de infinitate disseremus, quae ceteras perfectiones virtute complectitur.

Thesis XCI. ***Deus simpliciter est infinitus seu infinitae perfectionis. Hinc 1. insunt ei perfectiones omnium creaturarum, non tamen 2. omnes uno eodemque modo, sed perfectiones, quas simplices vocant, formaliter, mixtae vero eminenter.***

Declaratio. Infinitum illud dicimus, quod negative nullos habet realitatis et perfectionis limites, quod affirmative totam entis realitatisque plenitudinem complectitur, adeo ut nulla perfectio in tota entis latitudine concipi possit, quae in illo vel formaliter vel eminenter non contineatur. Infinitum autem considerari potest **1.** materialiter, et ita est complexio omnium perfectionum; **2.** formaliter, et sic continetur carentia omnimoda termini et limitationis; **3.** radicaliter, si consideratur illius radix, quae est ipsa summa independentia et necessitas exsistendi seu ut ajunt aseitas. Pro triplici hac consideratione Deus merito praedicatur παντελής, ὑπερτελής, αὐτοτελής.

Perfectiones simplices illae dicuntur, quae pura realitate constant et in sua notione nullam involvunt imperfectionem, ut bonitas, sapientia etc.; et quamvis nomina, quibus eae designantur, modum creaturis competentem adsignificent, is tamen non est de ratione et definitione perfectionis, adeo ut non pereat formalis notio earum, si tollitur modus ille (cf. n. 20[1]). Perfectiones vero mixtae eae vocantur, quae una cum realitate defectum admixtum habent, qui est de ratione formali illius perfectionis, ut esse corporeum, ratiocinandi facultate praeditum etc. Non desunt theologi, qui perfectiones distinguant in mixtas, simplices et simpliciter simplices. Mixtam eam dicunt, quae excludit perfectionem majorem a subjecto; simplicem, quae aequalem; simpliciter simplicem, quae nullam excludit [1]). — Aliquam perfectionem inesse formaliter significat (ontologice) inesse secundum suum proprium determinatumque conceptum. Inesse vero eminenter significat, inesse perfectionem non cum ea imperfectione, quam adsignificat vel adjunctam habet, sed altiori et praestantiori ratione. Quod ita explicat Lessius l. 1 c. 4: »In rebus

---

[1]) Cf. s. Anselmus Monologii c. 15 opusc. t. 28. Alii paulo secus perfectionem simplicem et simpliciter simplicem accipiunt. Illius nomine intelligunt perfectionem, quae vi sui formalis conceptus neque includit neque excludit limitem sed ab eo penitus praescindit. Contra perfectio simpliciter simplex est perfectio pura atque vi sui formalis conceptus excludit a se omnem limitem seu defectum. Cf. De San Tr. de Deo uno t. 1 p. 1 c. 1 n. 16.

creatis ut aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur: primum est, ut id, quod continet, sit praestantioris naturae, quam id quod continetur; si enim non est praestantius, non est ratio, cur illud dicatur esse in eo eminentiori modo, quam in se ipso . . . alterum est, ut illud, quod minus praestans est, in illo praestantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimum quatuor modis: **1.** si res per seipsam sit in alia tamquam in causa . . . sic qualitates et accidentariae perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant . . . **2.** si sit in alia per sui quasdam similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cum ea intelligit . . . **3.** secundum vim agendi vel extendendi se ad objecta, ut cum quidquid potest causa inferior, potest causa superior nobiliori modo . . . **4.** secundum ordinationem et aestimationem seu secundum rationem boni et appetibilis. Sic media sunt eminenter in causa finali, quia solum propter finem aestimantur et ad illum ordinantur, et tota illorum bonitas a fine pendet. Hi quatuor modi perfectissime locum habent in Deo etc.« Virtualiter vero inest aliquid, si subjectum id producere possit; ad quod tamen necessarium est, ut subjectum eam perfectionem seu realitatem formaliter vel eminenter possideat. Aequivalenter aliquid inesse dicitur, si inest alia perfectio, quae eadem vel similia praestare possit.

27. **Demonstratio p. I.** Infinitas Dei probatur **1.** Scripturae effatis, quibus **a.** affirmatur, magnitudinis Dei i. e. perfectionis non esse finem, numerum, terminum. Ita Ps. 144, 3: *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis* (hebr. investigatio). Quem in l. scribit Hilarius n. 6: „Haec Dei prima et praecipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suae habet et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enunciatur, temporibus non subditur. Arctus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentia ipsius nescit, et aliquam emetiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur.“ Quibus **b.** praedicatur *major omni laude* (n. 18[1]. 20[5]); laus enim est in ratione perfectionis: si ergo illius nullus esse potest terminus, nec hujus erit limes; quibus **c.** dicitur: *Domine, quis similis tibi* Ps. 34, 10; Is. 46, 9 etc.; vel *solus praestans, solus justus et omnipotens et aeternus* 2. Mach. 1, 8; 1. Tim. 6, 15 etc.; vel super omnia elatus aliaeque perfectiones exclusive ei tribuuntur; quibus **d.** dicitur ipsa vita, sapientia, virtus (n. 37) etc.; nec **e.** probandi vi carent illa testimonia, quibus Deus salutatur *omnipotens,* vel sistitur ut fons, e quo omnis perfectio fluat Rom. 11, 36; 1. Cor. 8, 6, et prae quo *omnes gentes quasi non sint . . . quasi nihilum et inane reputatae sunt* Is. 40, 15. 17; Sap. 11, 23. Hinc enim liquet, Deum fontem esse inexhaustum omnis perfectionis.

2. In primis vero id probatur verbis Dei ad Moysen: *Si dixerint* (filii Israel) *mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est* (ὁ ὤν) *misit me ad vos* Ex. 3, 13 s. (coll. Is. 41, 4; 43, 10 s.; Jo. 8, 58; Apoc.

1, 4. 8). Hisce enim Deus sibi vindicat τὸ esse tamquam proprium, quo a reliquis distinguitur, sine ulla limitatione simpliciter: seu ut vulg. Dionysius ait de div. nom. c. 5 § 4: „Deus non quadamtenus est ens, sed simpliciter et infinite totum in se esse comprehendit et praeoccupat.“ Quod si Deo competit esse purum simpliciter, non quadamtenus, nulla perfectio ei deesse potest.

Quae interpretatio et illatio luculento patrum suffragio confirmatur. Cf. Petavius I, 6. »Quis est (Deus)? interrogat s. Bernardus de consid. V, 6. Non sane occurrit melius, quam *qui est*... Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est *est;* nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse: si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti.« Et Jo. Damascenus F. O. I, 10 docet: »Ex omnibus porro nominibus, quae Deo tribuuntur, nullum aeque proprium videtur atque ὁ ὤν *qui est:* quemadmodum ipsemet cum Moysi in monte responderet, ait: *Dic filiis Israel: Qui est misit me.* Nam totum esse veluti immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiae pelagus complexu suo ipse continet.«

3. Probatur infinitas Dei **a.** ex ipsa notione τοῦ esse, quae Deo ex Scripturae patrumque doctrina plenissime competit. „Secundum modum quo res habet *esse,* inquit s. Thomas c. gentes I, 28, est suus modus in nobilitate; nam res secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis majorem vel minorem, dicitur esse secundum hoc nobilior vel minus nobilis. Igitur si aliquid est, cui competit tota virtus essendi, ei nulla nobilitas deesse potest, quae alicui rei conveniat. Sed rei, quae est suum esse, competit esse secundum totam essendi potestatem ... Deus igitur, qui est suum esse ... habet esse secundum totam virtutem ipsius esse. Non potest ergo carere aliqua nobilitate, quae alicui rei competat. Sicut autem omnis nobilitas et perfectio inest rei secundum quod est, ita omnis defectus inest ei secundum quod aliqualiter non est. Deus autem sicut habet esse totaliter, ita et ab eo totaliter absistit non esse.“ Deinde **b.** ibi est limitatio, ubi esse distinguitur ab essentia, ab hac recipitur. Atqui in Deo nullum discrimen inter esse et essentiam, est irreceptum. Ergo tantum patet essentia quam esse i. e. illimitate.

Praeclarissime vero id ostendit s. Bonaventura in itinerario mentis c. 5: »Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad essentiae unitatem, primo defigat aspectum in ipsum esse, et videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse, quia ipsum esse purissimum non occurrit, nisi in plena fuga (τοῦ) non esse, sicut et nihil (scil. occurrit) in plena fuga (τοῦ) esse. Sicut igitur omnino *nihil* nihil habet de esse nec de ejus conditionibus, sic e contra ipsum *esse* nihil habet de non esse nec actu nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum aestimationem nostram ... Vide igitur ipsum purissimum esse, si potes, et occurret tibi, quod ipsum non potest cogitari ut ab alio acceptum, ac per hoc necessario cogitatur ut omnimode primum, quod nec de nihilo nec ab alio potest esse. Quid enim est per se, si

ipsum esse non est per se nec a se? Occurret etiam tibi ut carens omnino (τῷ) non esse, ac per hoc ut nunquam incipiens, nunquam desinens, sed aeternum. Occurret etiam tibi ut nullo modo in se habens nisi quod est ipsum esse, ac per hoc ut cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam ut nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de non esse, ac per hoc ut summe actualissimum. Occurret ut nihil habens defectibilitatis, ac per hoc ut perfectissimum. Occurret postremo ut nihil habens diversificationis, et per hoc ut summe unum. Esse igitur, quod est esse purum et esse simpliciter et esse absolutum, est esse primarium, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum et summe unum. Et haec sunt ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum esse cogitari horum oppositum, et unum horum necessario infert aliud.« Quod brevissime expressit Hilarius in Ps. 2 n. 13: »Ipse est, in sese est, secum est, a se est, suus sibi est, et ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis, qui nihil aliud quod in se posset incidere per id, quod ipse sibi totum totus est, reliquit.« Lege et Lessium l. 1, qui hos proponit fructus c. 6 ex infinitatis divinae consideratione colligendos: »**1.** ut summa reverentia et humilitate cum Deo agamus et coram eo ambulemus . . . **2.** ut Deum supra omnia sincerissima caritate et benevolentia amemus; **3.** ut Deum supra omnia diligamus amore ut sic dicam concupiscentiae, sive ut eum super omnia desiderabilia desideremus; **4.** ut cognoscamus servitutem Dei esse nobilissimam eamque rebus omnibus, etiam sceptris et imperiis anteponamus.« En argumentum utilis concionis! Cf. Suarez de Deo l. 2 c. 1 s.; Scheeben § 71.

28. **Corollarium.** Merito infert doctor angelicus 1 p. q. 13 a. 11: „Dicendum, quod hoc nomen *qui est* triplici ratione est maxime proprium nomen Dei: **1.** quidem propter sui significationem, non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse. Unde cum esse Dei sit ipsa ejus essentia et hoc nulli alii conveniat . . . manifestum est, quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum . . . **2.** propter ejus universalitatem. Omnia enim alia nomina vel sunt minus communia, vel si convertantur cum ipso, tamen addunt aliquid supra ipsum secundum rationem. Unde quodammodo informant et determinant ipsum . . . **3.** vero ex ejus consignificatione: significat enim esse in praesenti, et hoc maxime proprie de Deo dicitur, cujus esse non novit praeteritum vel futurum."

29. **Demonstratio p. II.** Hinc sequitur, Deo inesse omnes perfectiones creaturarum. Cum autem Deo infinito nulla insit imperfectio, inerunt perfectiones mixtae sine defectu, quem habent admixtum; ergo eminentiori ratione, quam earum notio prae se fert; simplices vero, cum pura realitate constent earumque defectus imperfectio foret, secundum suam propriam rationem i. e. formaliter.

30. **Thesis XCII.** ***Cum infinita Dei perfectione intime nexa est summa ejusdem simplicitas.***

Declaratio. Ex dogmate de infinitate Dei sponte sua sequuntur magni momenti corollaria: prius tamen quam ea inferimus, de simplicitate

est disserendum, ut infiniti notio et ratio magis illustretur et perficiatur. Simplex directe opponitur composito, in quo duo considerari possunt, elementum materiale i. e. partes, et formale, illarum scil. unio. Quo minor inter partes distinctio, quo intimior earundem unitio, eo magis compositum ad rationem simplicis accedit. Nomine autem partis intelligitur ens incompletum, imperfectum, quod per alterum se ipsi communicans et uniens perfectionem accipit, ideoque quadamtenus est in potentia. Ex quibus liquet **1.** simplex esse maxime unum in se, utpote carens vel partibus; **2.** compositionem oriri ex imperfectione, cum scil. aliquid sibi non sufficit. Ideoque **3.** id, quod vi suae essentiae omnem perfectionem possidet et non extrinsecus adscitam habet, esse simplex; compositionemque **4.** in iis tantum locum habere, in quibus potentia et contingentia obtinent. Quare **5.** ens, quod compositione non indiget ideoque simplex est, maxime erit perfectum, ejusque simplicitas definiri posset: illa entis praerogativa, vi cujus omnem perfectionem, quam habet vel habere potest, per se sine ope cujuslibet elementi aut auxilii, quod ei posset quoquo modo accedere aut recedere, obtinet. Ab aliis definitur perfectio entis, vi cujus ab eo quaevis compositio et compositionis possibilitas exclusa est. Thesis, quatenus Deum affirmat esse simplicem, de fide est; profitemur enim in definitione fidei conc. lateranensis IV divinam naturam ‚omnino simplicem‘, quod repetitur in conc. vaticano (n. 24).

31. **Demonstratio.** Omissis patrum effatis [1]), qui passim docent Deum esse summe simplicem, simplicissimum, adeo simplicem, ut prae ipso omnis creatura censeri debeat composita, eamque perfectionem colligunt ex summa Dei unitate, ex praerogativa, qua est primum principium, ipsum esse et ipsa veritas: probari potest summa Dei simplicitas via affirmante.

1. De ratione omnis realis compositionis est potentia, nam vel quaelibet pars est in potentia ad aliam tamquam ad actum, vel saltem omnes partes simul ad totum, in quo omnes perficiuntur, totum enim majus quid et perfectius est singulis partibus: hinc etiam in partibus reperitur essentialis perfectionis limitatio, quae nulla compositione infinita reddi potest, mutua ab invicem dependentia. Atqui haec in ente, cujus essentia est esse, infinito, plane necessario et independenti admitti nequeunt.

2. Deus ita absolute est alpha et omnium primus, ut nihil ante ipsum neque re neque ratione esse cogitarive queat. Apoc. 1, 8: *Ego sum α et ω principium et finis;* quibus similia habes 21, 6; 22, 13; Is. 41, 4; 46. 6; 48, 12. Atqui compositum suis componentibus est posterius, neque dignitatem primi omnium principii tueri potest: nam in composito partes rationem τοῦ α, et si dissolvatur τοῦ ω habent. Ergo ens quo prius, eo simplicius esse debet.

3. „Omnis compositio indiget aliquo componente: si enim compositio est, ex pluribus est. Quae autem secundum se sunt plura, in unum

[1]) Cf. Petavius II, 1 ss. Stentrup th. 15; Thomassinus IV, 1 ss.

non conveniunt, nisi ab aliquo componente uniantur. Si igitur compositus esset Deus, haberet componentem: non enim ipse se ipsum componere posset, quia nihil est causa sui ipsius; esset enim prius se ipso, quod est impossibile. Componens autem est causa efficiens compositi. Ergo Deus haberet causam efficientem et sic non esset causa prima . . . 4. In quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius . . . quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem, quod est in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum... nulla igitur compositio ei accidere potest." Ita s. Thomas contra gentes I, 18; cf. 1 q. 3 a. 7.

32. **5.** Probatur summa Dei simplicitas via excludente removendo a Deo omnem compositionem.

Propositio I. *In Deo nulla est compositio ex potentia et actu, ergo Deus est actus purissimus.*

Declaratio. Potentia et actus, quando sibi opponuntur, duplici significatione, generica scil. et specifica accipi possunt. Sensu generico potentia significat capacitatem quamcunque alicujus ad aliquid, quae etiam dicitur potentia passiva, estque principium patiendi seu recipiendi; actus vero hujus capacitatis expletionem adaequatam vel inadaequatam. Sensu specifico potentia designat vim facultatemque substantiae virtute agendi praeditae, quae propterea dicitur activa: actus vero hujus virtutis explicationem exercitiumque [1]). In qualibet re creata compositio ex potentia et actu reperitur, non vero in Deo: et quaelibet realis compositio sive physica sive metaphysica revocari potest ad compositionem ex potentia et actu. Quare si hac caret Deus, omni caret compositione reali ideoque erit simplicissimus.

33. **Demonstratio.** **1.** Probatur prop. ex notione omnibus infixa, Deum esse ens, quo melius concipi nequeat. Melior autem est actus quam potentia; **2.** ex infinitate Dei, quae incrementi est incapax. Perficitur autem potentia actu; **3.** ex praerogativa, qua Deus est ὁ ὤν; ubi autem potentia, ibi deficit saltem aliqua realitas seu aliquod esse. Denique **4.**

---

[1]) S. Thomas in I dist. 42 q. 1 a. 1 ad 1: „Potentia primo imposita est ad significandum principium actionis; sed secundo translatum est ad hoc, ut illud etiam quod recipit actionem agentis, potentiam habere dicatur, et haec est potentia passiva, ut sicut potentiae activae respondet operatio vel actio, in qua completur potentia activa: ita etiam illud, quod respondet potentiae passivae quasi perfectio et complementum, actus dicatur." Et de pot. 1 a. 1: „Actus est duplex, scil. primus, qui est forma, et secundus, qui est operatio . . . unde et similiter duplex est potentia: una activa, cui respondet actus, qui est operatio, et huic primo nomen potentiae videtur fuisse attributum. Alia est potentia passiva, cui respondet actus primus, qui est forma, ad quam similiter videtur secundario nomen potentiae devolutum." De propositione cf. c. gentes I, 16.

apud Patrem luminum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (Jac. 1, 17). „Sed quid, subdit dial. 2 adv. ar. Cyrillus alex., hoc aliud est, quam conversio et crassa veluti vicissitudo, a potentia migrare in actum?“ Iisdem fere argumentis probatur, in Deo non esse compositionem ex facultate et actu, sed unicum esse actum. Unde Irenaeus docet I, 12 n. 2, Deum non secundum aliud cogitare et secundum aliud velle, quia „totus est cogitatio, totus voluntas, totus mens, totus lux, totus oculus, totus auditus, totus fons omnium bonorum;“ quae repetit Epiphanius haer. 33 n. 2. Quare Deus, cum in eo nulla sit potentia, sed tantum actus, *actus purissimus* est, et ejus actualitas adaequat potentiam, seu tantum est quantum esse potest.

34. **Propositio II.** Dogma est catholicum contra anthropomorphitas statutum, *Deum non coalescere ex partibus physicis,* cujuscunque demum generis sint, ideoque neque esse corporeum neque habere corpus. Quod probatur non solum corollarii modo, sed etiam **1.** ex divinis literis sive cum **a.** Deus eximitur ex ordine substantiarum, quae corporeae sunt negaturque ei similitudo cum illis Ex. 20, 4; Deut. 4, 15 ss.; 27, 15; Ps. 96, 7; 105, 19 s.; Is. 40, 18; 46, 5 etc.; sive cum **b.** simpliciter invisibilis 1. Tim. 6, 16 praedicatur: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* sive cum **c.** dicitur Hebr. 12, 9 *Pater spirituum; veritas* ipsa, *vita, caritas* 1. Jo. 4, 8 ss.; 5, 20 etc. Accedit **2.** unanime suffragium patrum, qui oppositi erroris patronos inter haereticos numerant, anthropomorphismum vero qua errorem, cogitationem turpiter vanam, stultam sententiam, stultissimam haeresim etc. damnant. Quod si **3.** in divinis literis Deo adscribuntur membra humana, haec ei tribuuntur, vel quatenus humana forma apparuit, vel sensu metaphorico. »Stolidi, inquit ad rem Theodoretus q. 20 in Genesim, non adverterunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem audientium infirmitati sermones accommodare.« Cf. Damascenus F. O. I, 11.

35. **Propositio III.** *In Deo nulla est compositio ex essentia et exsistentia* sicut in creaturis, in quibus exsistentia non est de essentia, sed ad hanc veluti dono Dei creantis accedere concipitur. Probatur **1.** Exod. 3, 14 (cf. n. 27), ubi Deus sibi tamquam proprium, quo a ceteris distinguitur, τὸ esse, profecto actuale, vindicat. Atqui quod alicui ita est proprium, ut eo constituatur et ab aliis distinguatur, est essentiale. Significat ergo Deus, exsistere sibi non esse accidentale, sed essentiale, non esse extrinsecus adscitum, sed sibi insitum. Ad haec **2.** ens, de cujus essentia non est exsistentia, est contingens, in potentia, ideoque si revera exsistit, productum. Atqui Deus non est ens contingens, sed necessarium; non est in potentia, sed actus purissimus; non est productus, sed improductus; ergo exsistentia est de ejus essentia: neque hujus tantum pars, nec proprietas essentialis essentiam consequens, ut patet, sed cum ea plane identificata. Cf. s. Thomas 1 q. 3 a. 4; Suarez de Deo I, 2.

36. **Propositio IV.** *In Deo nulla est realis compositio ex essentia et proprietatibus seu perfectionibus, sed hae omnes cum divina essentia identificantur.*

Declaratio. In creatis individuum superaddit aliquid essentiae i. e. plures notae proprietatesque in conceptu alicujus individui includuntur, quam in conceptu essentiae, qua individuum in sua specie constituitur. Nam praeter notas essentiales complectitur proprietates accidentales notasque individuantes, quae pro diversitate individuorum sunt diversae et quibus ab aliis ejusdem speciei distinguitur. Contendimus autem, in Deo idem esse divinitatem et Deum, seu in Deo nihil esse praeter ejus essentiam proindeque nullum esse reale discrimen inter hanc et perfectiones, omnesque perfectiones cum hac identificari. Hanc veritatem ad doctrinam catholicam pertinere, patet ex conc. toletano XV a. 688 et rhemensi (a. 1148), cui interfuit Eugenius III., quod contra Gilbertum porretanum [1]) statuit: „Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Sicubi vero dicitur, Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse et alia hujusmodi, credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse; nonnisi ea unitate unum, quae est ipse; nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse i. e. seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum." Refertur autem in hoc conc. praeter alias propositiones et hanc fuisse damnatam: „Quod divina natura, quae divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma qua Deus est, quemadmodum humanitas homo non est sed forma, qua homo est."

37. **Demonstratio.** Probatur propositio **1.** loquendi ratione s. Scripturae et patrum, qua Deus non solum dicitur bonus, sapiens, quod etiam de creaturis dici potest; sed ipsa bonitas, sapientia Jo. 1, 4; 5, 26; 14, 6; 1. Jo. 1, 8; 1. Cor. 1, 24 etc., quod de creaturis dici nequit. Nam ut scribit s. Leo ep. 15 ad Turribium (opusc. XXV, 127) c. 5: „Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est, sed multi participes sunt veritatis et sapientiae atque justitiae. Solus autem Deus nullius participationis indigus est, de quo quidquid digne utcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia." Hac autem praedicandi ratione significatur, per-

---

[1]) Cf. de Gilberti porretani aliorumque erroribus Gaufredus l. contra ejus errores (Mig. 185, 395 ss.), Petavius, I, 8 et 12 s.; Stöckl Gesch. der Philos. des Mittelalt. I, § 79—83; De Sant. 1 p. 2 c. 2. Putant nonnulli eum admisisse reale discrimen tantum inter naturam et personas, divinitatem et Deum, non vero inter essentiam et attributa et inter haec ipsa. Doctrinae catholicae adversatur etiam sententia Hermesii (Dogmatik t. 1 p. 133) negantis proprietates Dei esse ipsum Deum; adversantur opiniones Hesychastarum, qui diu et vehementer turbarunt ecclesiam graecam. Distinctionem nimirum realem admiserunt essentiam Dei inter et operationem lumenque quoddam divinum. Cf. KL.² V, 1960 ss.

fectiones in Deo non esse qualitates ut in creaturis, sed esse idem seu identificari cum divina essentia.

2. Confirmatur assertio celebri patrum axiomate, quod Augustinus ita enunciat de civ. Dei XI, 10: „(Deus) ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur. Nam utique pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater." Atqui Deus absolute i. e. non respectu alterius personae divinae dicitur habere sapientiam, bonitatem, potentiam etc. Est ergo sapientia, bonitas, potentia; quare hae perfectiones ab ejus essentia non distinguuntur [1]).

3. Axiomatis acute hanc reddit rationem s. Anselmus Monol. c. 16: „Si (divina natura) non est justa nisi per justitiam, nec justa esse potest nisi per se, quid magis conspicuum, quid magis necessarium, quam quod eadem natura est ipsa justitia?" Quae ratio enucleatius ita potest proponi: Deus est justus. Atqui nemo est justus nisi per justitiam. Ergo Deus est justus per justitiam. Jam quaeritur, utrum sit justus per justitiam, quae est ipse, an per justitiam, quae non est ipse. Si illud, probata est assertio, in Deo perfectiones identificari cum essentia; si alterum, certe Deus non est justus per se, sed per justitiam adscitam, participatam, acceptam: verum tunc Deus non amplius esset a se, independens, actus purus, quod falsum ostendimus. Quam disputandi rationem de singulis Dei perfectionibus repetere licet.

4. Sed insignis plane est disputatio s. Bernardi serm. 80 in Cant. n. 6: »Divinitate, inquiunt (Gilbertus ejusque asseclae), Deus est, sed divinitas non est Deus . . . Sed si Deus non est, quid est? Aut enim Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse (hoc enim erat, quod Gilbertus negabat), sed ne nihilum quidem (ut opinor) dabis, quam usque adeo necessariam Deo esse fateris, ut non modo absque ea Deus esse non possit, sed ea sit. Quod si aliquid est, quod non est Deus, aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat, ut aut majorem fatearis aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus; si par, duo sunt summa bona, non unum: quod utrumque catholicus refugit sensus. Jam de magnitudine, bonitate, justitia sapientiaque idem per omnia, quod de divinitate, sentimus: unum in Deo sunt et cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quam unde magnus; nec aliunde justus aut sapiens, quam

---

[1]) Bene Bandinus l. 1 sent. dist. 8: »Spiritualis quoque creatura multiplex est. Quippe anima licet corpori comparata sit simplex, eo quod particulatim per spatia loci non diffundatur, sed ubicunque est, tota est: tamen nec in ipsa vera simplicitas est. Cum enim aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, possintque haec et alia innumerabilia in animae natura inveniri, constat ipsam non simplicem esse, sed multiplicem, cum nihil horum sit anima, sed haec ipsa habeat. Denique quidquid in Deo est, Deus (supple, est): unde et ejus simplicitas apparet, praesertim cum idem sit habitum et quod habet.«

unde magnus et bonus; nec aliunde denique simul haec omnia est, quam unde Deus, et hoc quoque nonnisi seipso.« Atque iterum adversus eundem Gilbertum de consid. V, 7: »Mihi vero non deest, quod cogitem melius hujusmodi Deo tuo. Quaeris quid? *Mera simplicitas.* Vero judicio natura simplex multiplici antefertur. Scio, quod ad haec respondere solent: Non multa, inquiunt, sed unam tantum divinitatem, quae omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum: et non ad merum simplex pervenistis, neque ad id, quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex, quod vel uni fuerit obnoxium formae, quam nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor: ne is quidem, qui vel duplex est, erit meus. Habeo enim meliorem. Esto quod hunc numeroso et multiplici anteponam: sed plane prae simplici sperno. Meus Deus ipse catholice est. Tam non habet hoc et illud, quam non haec et illa. Est qui est, non quae est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis; non habens, quod ad numerum dividat, non quae colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat ut omne quod factum est, sed neque formae, ut illis visum est . . . Si cor tuum usque huc ascendere potuit, Deum tuum infra quomodo collocabis? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est; in hoc interim gradu suspicio illum: et si alter potior appareret, illum potius darem. Numquid verendum, ne cogitatio transvolet illum? Quantumcunque in altum proficiat, ultra est. Infra quod homo cogitare possit, Altissimum quaerere, ridiculum est: statuere, impium. Ultra, non citra quaerendus est. Ascende adhuc, si potes, ad cor altius et exaltabitur Deus. Non est formatus Deus: forma est; non est affectus Deus: affectio est. Non est compositus Deus: merum simplex est. Et ut liquido noveris, quid simplex dicam: idem quod unum. Tam simplex Deus, quam unus est. Est autem unus et quo modo aliud nihil. Si dici potest, unissimus est... Nihil in se nisi se habet.« Cf. Kleutgen Theol. der Vorz. t. 1 d. 2 c. 2.

38. **Scholion.** Haec praedicandi ratio, qua de Deo praedicata substantiva abstracta affirmantur, est admodum apta ad Dei perfectionem et excellentiam significandam. Exprimit **1.** summam ejus simplicitatem: praedicata enim adjectiva bonus, sapiens etc. semper adsignificant aliquam compositionem, adjacentem, inhaerentem perfectionem. Nam qui est bonus, est habens bonitatem; qui vero dicitur habere bonitatem, videtur ab ea distingui, non esse ipsa bonitas: ideoque ut sit bonus, ab ea informari debere; informatio vero supponit compositionem. Exprimit **2.** perfectionis divinae infinitatem; quid enim bonitatis illi deesse potest, qui est ipsa bonitas? Exprimit **3.** perfectionem originalem, nam bonitas non alia bonitate, sed se ipsa est bona, ideoque significat **4.** Deum non esse bonum secundum qualitatem, sed secundum essentiam. Tamen quia ejusmodi praedicata substantiva perfectionem exhibent abstractam (a subjecto scil. per mentis operationem), ne quis putet Deum habere esse tantum in abstracto et ideale, seu tantum in hominum mente, neque esse in se et per se subsistentem: juverit praedicatis substantivis et abstractis addere praedicata concreta atque etiam dicere, Deum esse bonum, sapientem etc., quo significetur ejus objectiva subsistentia. Quare duplex haec praedicandi ratio tam per nomina abstracta quam per con-

creta se mutuo perficit et complet. Hinc s. Thomas in 1. d. 33 q. 1 a. 2: „Unde patet quod . . . neutra ratio (abstracti et concreti) secundum totum Deo competit: nec abstractum propter imperfectionem, nec concretum propter compositionem. Sed quantum ad aliquid utrumque vere dicitur, quia et concretum propter perfectionem (subsistentiae) et abstractum propter simplicitatem.“ Cf. 1 p. q. 3 a. 3 ad 1; q. 32 a. 2. Ad rem vero q. 40 a. 1 ad 1 docet: „Propter divinam simplicitatem consideratur duplex realis identitas in divinis eorum, quae differunt in rebus creatis. Quia enim divina simplicitas excludit compositionem formae et materiae, sequitur quod in divinis idem est abstractum et concretum ut Deitas et Deus. Quia vero divina simplicitas excludit compositionem subjecti et accidentis, sequitur quod quidquid attribuitur Deo est ejus essentia et propter hoc sapientia et virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt divina essentia.“

39. **Corollaria.** Ex his sequitur **1.** *Deum esse suam essentiam.* „In omni enim eo, inquit s. Thomas c. gentes I, 21, quod non est sua essentia sive quidditas, oportet aliquam esse compositionem. Quum enim in unoquoque sit sua essentia, si nihil in aliquo esset praeter ejus essentiam, totum quod res est esset ejus essentia, et sic ipsum esset sua essentia. Si igitur aliquid non est sua essentia, oportet aliquid in eo esse praeter ejus essentiam, et sic oportet in eo esse compositionem. Unde etiam essentia in compositis significatur per modum partis, ut humanitas in homine. Ostensum est autem in Deo nullam esse compositionem. Deus igitur est sua essentia.“ Sequitur

2. *perfectiones divinas absolutas realiter ab invicem non secerni.* Dicimus absolutas, nam proprietates relativae, quae scil. relatione personae ad personam continentur, quia sibi opponuntur ut paternitas, filiatio etc., realiter ab invicem secernuntur. Porro perfectiones, seu proprietates absolutae eae dicuntur, quae sunt solutae a relatione personae ad aliam personam divinam, ut sapientia, omnipotentia etc. Patet veritas corollarii: si enim omnes perfectiones divinae absolutae cum essentia identificantur, ita ut Deus non solum singulas habeat, sed sit ipsa bonitas, sanctitas etc. (n. 37): liquet, eas non qua partes constituere divinam essentiam, sed inter se identificari. „Eadem magnitudo ejus est, inquit Augustinus de Trin. VI, 8, quae sapientia . . . et eadem bonitas, quae sapientia et magnitudo, et eadem veritas, quae illa omnia.“ Et sane attributa si non identificarentur inter se, sed realiter ab invicem secernerentur, de Deo praedicari non possent substantive, nam tunc se haberent partium instar essentiae; pars autem de toto praedicari nequit, cum totum habeat quidem partem, sed non sit ipsa pars. Cum ergo omnia identificentur cum divina essentia,

3. *nullum in Deo esse potest accidens.* Quod etiam probatur ex summa Dei actualitate et plenitudine essendi. Quare

4. theologi vere docent, essentiam[1]) Dei physicam, cujus nomine intelligitur complexus eorum, quae rem constituunt, consistere in ipsa complexione eminentissima et simplicissima omnis perfectionis et entitatis. Quare Deus concipi debet tamquam simplicissima forma tantae perfectionis, ut aequivaleat omnibus perfectionibus, quas mente concipere et distinguere possumus. Cf. Thomas 1 q. 3 a. 6.

40. *De essentia Dei metaphysica.* — In ipsa autem essentia physica alicujus naturae distinguere solemus notas aliquas vel notam singularem, quae reliquas omnes in se radicis instar comprehendere intelligitur; hac continetur essentia metaphysica. Ea igitur ita comparata est, ut complectatur id, quo res in suo esse constituitur, et ab omnibus aliis rebus distinguitur, quod propterea primum concipitur, estque fons et radix ceterorum omnium quae rei necessario conveniunt. Variae sunt theologorum de essentia Dei metaphysica sententiae. Nominales cum Guilielmo Occam eam constituunt in perfectionum cumulo; scotistae passim in infinitate radicali seu exigentia omnium perfectionum; thomistae haud pauci in intellectione sive actuali sive secundum alios radicali; alii eam totaliter consistere dicunt in esse actualis exsistentiae, ut De Sant. 1 p. 2 c. 1, a quibus non multum dissentiunt, secundum quos essentia metaphysica Dei continetur in eo, quod Deus sit *ens* (ὁ ὤν) *a se* seu plenius quod sit ipsum esse a se, αὐτουσία. Et sane huic praerogativae conveniunt illae notae, quas ut proprias essentiae metaphysicae philosophi et theologi recensent[2]).

41. **Thesis XCIII.** ***Quamvis Deus adeo sit simplex, ut nulla realis sit distinctio sive inter essentiam et attributa, sive inter attributa ipsa absoluta, admittendum tamen est rationis discrimen; cujus discriminis fundamentum repeti debet hinc quidem ex infinitate perfectionis divinae, inde vero ex limitatione mentis nostrae.***

---

[1]) Essentia seu rei quidditas in creatis triplici modo considerari potest: **1.** in individuo, seu ea, quae constituit hoc individuum, hanc rem; atque ita continetur iis omnibus, quae constituunt individuum, et quorum vel uno sublato non esset haec res: iis proinde tantum exceptis accidentibus, quae adeese vel abesse possunt, quin desinat esse haec res. Hoc sensu essentia Dei complectitur vel ipsas personas divinas. **2.** Considerari potest essentia, ut pluribus communis est, proin abstracta non solum a notis accidentalibus, sed etiam individuantibus: consistit ergo in complexu eorum omnium, quae constituunt subjecta in eadem specie et haec dicitur essentia physica. Ad hanc analogiam concipimus essentiam Dei constitutam omnibus perfectionibus absolutis, communem tribus personis eamque opponimus notionibus, quibus personae distinguuntur et quae cum essentia concipiuntur personas constituere. Considerari potest **3.** essentia metaphysica, de qua mox loquemur.

[2]) Cf. Kleutgen l. c. cap. 5 et institut. q. 2 c. 2; Franzelin thes. 20; Scheeben § 68; Heinrich § 159 s., qui § 168 adversarios hujus thesis accurate recenset. De hac, ut ajunt, aseitate praeclare disputat s. Anselmus Monologii c. 3 ss. (opusc. t. XXVIII.)

Declaratio. Thesis magni est momenti sive thetice sive polemice spectatur. Ut rite intelligatur, notari debet, toties distinctionem locum habere, quoties conceptus non sunt identici; conceptus vero non sunt identici, vel quia eorum objecta non sunt identica seu re distinguuntur, vel quia etsi ad unum idemque objectnm referuntur, illud inadaequate sub diverso respectu sistunt. Priori in casu distinctio dicitur realis, in altero distinctio habetur rationis [1]). Ostendimus autem in Deo nullam esse distinctionem realem sive inter essentiam et attributa, sive inter ipsa attributa absoluta. Quaeritur nunc, num saltem distinctio rationis possit vel debeat admitti. Anomoei, extrema arianorum secta, ut facilius pestiferos errores contra ss. Trinitatis mysterium tuerentur, ejusmodi distinctionem rejecerunt contendentes, omnia nomina Dei esse synonyma. Nonnulli etiam theologi, qui nominales dicuntur, simplicitatem Dei nimium urgentes pariter censent, varia Dei nomina esse synonyma atque attributa divina distingui tantum secundum connotata i. e. secundum diversos

---

[1]) Quo plenior habeatur notitia de variis distinctionis speciebus, haec pro oculis habeantur: **1.** distinctionem realem distingui in majorem, quae habetur inter ea, quae sunt separata, ut Petrus et Paulus; vel separari possunt, ut anima et corpus, vel sibi relative opponuntur ut Pater et Filius in divinis etc.; et in minorem, quae etiam modalis dicitur et locum habet inter substantiam et ejus modum, corpus et ejus figuram. **2.** Distinctionem rationis, quae etiam mentalis, logica dicitur, distingui in distinctionem rationis ratiocinantis et rationis ratiocinatae. Illa, quae etiam pure mentalis dicitur, ea est, cujus fundamentum non est in re, sed in solo intellectu, ut si dicitur homo est animal rationale: subjectum et praedicatum pure mentaliter distinguuntur. Distinctio vero rationis ratiocinatae est ea, cujus fundamentum est extra intellectum, in re, quae propter suam perfectionem variis conceptibus praebet fundamentum seu diversis conceptionibus et nominibus respondet, ut de ea verificentur, »sicut punctum, inquit s. Thomas 1. sent. d. 2 q. 1 a. 3 ad 6, quod cum sit una res, respondet secundum veritatem diversis conceptionibus de eo factis.« Ea dicitur etiam distinctio virtualis, quae est rei simplicis aequivalentia, qua aequivalet multis virtutibus et perfectionibus alias realiter distinctis. Hujus iterum non una est ratio, major et minor esse potest. Eorum enim, quae virtute distincta sunt, aliqua ita cohaerent, ut separata nuspiam inveniantur, ut illae rationes transcendentales unitas, veritas, bonitas; alia ut seorsim esse possint, ut gradus quos vocant metaphysicos, esse, vivere, sentire, intelligere: potest enim aliquid esse quin vivat, vivere quin sentiat etc. **3.** Tertiam distinctionis speciem interserunt scotistae inter distinctionem realem et distinctionem rationis, medium veluti locum occupantem, quam formalem appellant. Convenit scil. cum distinctione reali, quatenus antecedit mentis operationem atque ab ea non pendet; ab ea vero distinguitur et cum distinctione rationis convenit, quia nullam ponit in objecto divisionem vel separationem. Illa autem distinguuntur formaliter, quorum unum secundum rationem formalem ante mentis conceptionem ex natura rei non est alterum, seu quae definitione ita differunt, ut unum non sit pars sive elementum definitionis alterius, ut in homine animalitas et rationalitas, in Deo essentia et attributa inter se. Haec autem distinctio saltem relate ad Deum communiter rejicitur ut minus probabilis, non tamen ut contraria doctrinae catholicae. Alias subdivisiones minoris momenti praetermittimus. Cf. Suarez disp. met. d. 7; Kleutgen Philos. d. Vorz. d. 2 c. 4. 5; De San p. 3 c. 1.

effectus in rebus creatis. Ita v. g. nominibus justitiae et misericordiae, quatenus ad Deum referuntur, unum idemque ajunt significari: hoc tamen unum diversis nominibus appellari, quia et punit et parcit.

42. **Demonstratio p. I.** Rationis distinctio quoad Deum admitti debet, si **1.** plura in Scriptura Deo tribuuntur nomina et praedicata, quae non sunt synonyma. Si enim non sunt synonyma, distinctos inter se exhibent conceptus: quod sufficit ad rationis distinctionem. Atqui quam plurima Deo tribuuntur nomina et praedicata eaque non synonyma, ut patet ex usu loquendi. Ergo rationis distinctio in Deo debet admitti. Hoc argumento usus est jam Gregorius nyss. ita disserens adversus Eunomium l. 12: „Quod si haec Eunomius tamquam legislator aliquis dicit (omnia scil. nomina Dei idem significare), cur Scripturae frustra divinam naturam variis nominibus appellant, ac Deum judicem justum, fortem, patientem, verum, misericordem et id genus alia nominant? Nam si nullum nomen in aliqua propria notione intelligitur, sed omnia invicem significatione miscentur, inanis est labor, multas de eodem appellationes usurpare, cum nulla significationis differentia a se invicem nomina distinguat."

2. Quod patres attinet, sufficit notasse, eos **a.** hanc distinctionem disertis verbis admisisse; eam **b.** acerrime propugnasse adversus Aëtium et Eunomium; **c.** ejus utilitatem imo et necessitatem quoad nos inculcasse, quod ea rejecta ingens oriatur confusio lataque aperiatur via omni haeresi. Inter quos eminet par nobilissimum fratrum Basilius et Gregorius nyss. in suis adversus hos haereticos scriptis, quorum ille ita inter alia praeclare adversus Eunomium I, 8 scribit: »Quare qui audierit immutabilitatem Dei, deveniet ad ingenerationem (ad τὸ esse ingenitum); item qui audierit indivisibilem esse, ad creandi facultatem deferetur. Ecquid hac confusione fieri possit absurdius, si quis videlicet adempto proprio uniuscujusque nominis significatu tum communi usui, tum Spiritus doctrinae repugnet?«

3. Ipsa experientia docet, nomina, quae de Deo efferuntur, synonyma non esse. Neque enim **a.** divinam essentiam repraesentant uno eodemque modo, neque **b.** sub una eademque perfectione, neque **c.** sub una eademque efficientia, neque **d.** unam eandemque relationem ad alia suggerunt. Quare admitti debet rationis distinctio in Deo. Cf. Stentrup th. 16.

43. **Demonstratio p. II.** Fundamentum huic distinctioni praebere ipsam infinitam Dei perfectionem patet. Experientia enim et ratione constat, varietatem conceptuum et vocabulorum esse eo uberiorem, quo perfectius est objectum; inde etiam fit, ut quo perfectior res est, eo pluribus indigeamus praedicatis et verbis ad illius describendas dotes. Atqui perfectio Dei est infinita innumerisque aequivalet perfectionibus distinctis. Ergo ipsa entis plenitudo et infinita Dei perfectio inexhausti fontis instar haberi debet, e quo uberrima notionum copia dimanat. — Altera ex parte distinctionem hanc fundari in limitatione imperfectaque cognoscendi ra-

tione intellectus nostri, praeclare docet Thomas 1 q. 13 a. 4: „Intellectus noster, cum cognoscat Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas. Quae quidem perfectiones praeexsistunt in Deo unite et simpliciter, in creaturis vero recipiuntur divise et multipliciter. Sicut igitur diversis perfectionibus creaturarum respondet unum simplex principium repraesentatum per diversas perfectiones creaturarum varie et multipliciter, ita variis et multiplicibus conceptibus intellectus nostri respondet unum omnino simplex secundum hujusmodi conceptiones imperfecte intellectum.“ Cf. de pot. q. 7 a. 6.

44. Qua doctrina nihil praeclarius ad hanc quaestionem elucidandam. Eodem ergo modo non repugnat divinae simplicitati, variis atque multiplicibus conceptibus Deum a nobis concipi, sicut eidem non repugnat, ejus perfectionem varie et multipliciter per creaturas adumbrari et repraesentari. Et sicut ex eo quod creaturae Dei perfectionem nec adaequate, nec perfecte exhibent, non sequitur, eas totidem esse errores: ita nec nostri de Deo conceptus erunt falsi, quod Deum non adaequate sistunt, sed unam tantum alteramve ejus perfectionem. Merito ergo damnata fuit prop. Eckhardi a Joanne XXII: »Deus unus est omnibus modis et secundum omnem rationem, ita ut in ipso non sit invenire aliquam multitudinem in intellectu vel extra intellectum. Qui enim duo videt vel distinctionem videt, Deum non videt . . . Nulla igitur in Deo distinctio esse aut intelligi potest;« et 24: »Omnis distinctio est a Deo aliena, neque in natura, neque in personis probatur, quia natura ipsa est una et hoc unum: et quaelibet persona est una et idipsum unum quod natura.«

45. *Exceptioni satisfit.* — Si excipitur, intellectum errare distinguendo et distincte exhibendo, quae in Deo nullatenus sunt distincta: respondemus, verum id fore, si intellectus Deum inadaequate concipiens non solum distinctis notionibus apprehenderet Dei attributa, sed simul judicaret, ea in Deo etiam distingui: nam error non est in apprehensione, sed in judicio. Judicium autem illud non consequitur distinctionem rationis, imo a quovis, qui sana utitur ratione, respuitur. »Non enim intellectus, inquit s. Thomas c. gentes I, 36, modum, quo intelligit, rebus attribuit intellectis, sicut nec lapidi immaterialitatem, quamvis eum immaterialiter cognoscat, et ideo rei unitatem proponit per compositionem verbalem (judicium), quae est identitatis nota, quum dicit: Deus est bonus vel bonitas: ita quod, si qua est diversitas in compositione, ad intellectum referatur: unitas vero ad rem intellectam. Et ex hac ratione quandoque intellectus noster denunciationem de Deo format cum aliqua diversitatis nota, praepositionem interponendo, ut cum dicitur: Bonitas est in Deo: quia in hoc designatur aliqua diversitas, quae competit intellectui, et aliqua unitas, quam oportet ad rem referre.«

46. **Scholion.** Sunt qui cum Antonio Casini contendant, proprietates divinas ita esse comparatas, ut quaelibet contineatur alterius conceptu ac notione. Id quidem verum est objective seu de proprietatibus ut sunt a parte rei, nam quaelibet perfectio in Deo cum ceteris identificatur; subjective quoque verum est comparate ad mentem divinam et beatorum; imo et comparate ad mentem humanam, si id tantum significetur, unam Dei proprietatem

ex altera erui deducique posse. Verum tamen non est, nos nullum Dei attributum concipere posse, quin immediate omnia reliqua simul in eo apprehendamus. Cf. Becanus Summae theol. tr. 1 c. 1.

47. *De sensu objectivo et formali.* — Quare in propositionibus, in quibus de Deo ejusque attributis aliquid praedicatur, distingui debet sensus objectivus (seu identicus, materialis) a sensu formali (seu logico, subjectivo). Ille respicit rem ut est in se, hic sequitur modum nostrum concipiendi. Potest eadem propositio in uno esse vera, in altero falsa, ut ex. gr. propositio: Intellectus est voluntas, quae in sensu identico est vera: in hoc enim significat, in Deo a parte rei voluntatem ab intellectu re non distingui, sed cum eo identificari; falsa vero ea est in sensu formali: in hoc enim significaret, notionem intellectus, sicut a nobis concipitur, esse eandem cum notione voluntatis, seu idem utroque vocabulo designari, quod verum non est.

48. **Corollarium I.** Ratione simplicissimae infinitatis multiplex exsistit *discrimen Deum inter et creaturas,* quod ad haec capita revocari potest: **a.** In creaturis perfectiones sunt sejunctim, guttatim: in Deo collectim et unitae; **b.** in illis sunt qualitates, in Deo substantia; **c.** in illis circumscribuntur limitibus, in Deo a limitibus sunt solutae; **d.** creaturae illas possident per participationem, Deus a se per essentiam; **e.** in illis sunt dependentes ab objectis externis, non vero in Deo; **f.** in illis augeri, minui amittique possunt: in Deo augmenti sicut et decrementi sunt incapaces. Quare

1. Deus non hac illave proprietate a creaturis distinguitur sed se toto; meritoque conc. lateranense IV. docet cap. ‚Damnamus': „Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major dissimilitudo sit notanda."

Hinc bene s. Hilarius de Trin. I, 19: »Si qua vero nos de natura Dei et nativitate (Filii) tractantes comparationum exempla afferemus, nemo ea existimet absolutae in se rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad Deum nulla est: sed infirmitas nostrae intelligentiae cogit species quasdam ex inferioribus tamquam superiorum indices quaerere, ut rerum familiarium consuetudine admonente ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur. Omnis igitur comparatio homini potius utilis habeatur, quam Deo apta, quia intelligentiam magis significet, quam expleat etc.« Cf. Jo. Damascenus F. O. III, 26; Anselmus Monol. c. 26 ss. »Deus et esse creatum, inquit s. Thomas in 1 d. 8 q. 1 a. 2 ad 3, non differunt aliquibus differentiis utrique (tamquam generi eidem) additis, sed se ipsis: unde nec proprie dicuntur differre, sed diversa esse; diversum enim est absolutum, sed differens relatum.« Cf. 1 p. q. 4 a. 3.

2. Imo secundum patrum doctrinam (cf. Thomassinus III, 1 ss.) tanta censeri debet Dei perfectio, ut prae illa creaturae omnes quasi non entia sint. Quod bene expressit s. Augustinus in Ps. 134 n. 4: „Ita ille (Deus) est, ut in ejus comparatione ea, quae facta sunt, non sint. Illi non comparata, sunt, quoniam ab illo sunt; illi autem comparata, non

sunt; quia verum esse, incommutabile esse est, quod ille solus est." Quocirca

3. praedicata bonus, sapiens etc., non univoce competunt Deo et creaturis, scil. non secundum eundem sensum eademque notionis perfectione: sed si proprietatem significatam spectes, Deo conveniunt propriissime et plenissime, creaturis secundum quandam participationem, adumbrationem, ideoque tantum analogice; si vero consideres modum significandi, proprie conveniunt creaturis, nam proprietates insunt creaturis ut qualitates prouti eas concipimus, non vero Deo (cf. n. 20²).

4. In Deo nulla est nec concipi potest compositio ex genere et differentia, quia **a.** genus de subjectis speciebus univoce praedicatur, nihil vero de Deo deque creaturis univoce praedicatur, ut diximus; quia **b.** differentia specifica non est de ratione generis, sed ad genus accedens concipitur constituere speciem. In Deo vero quidquid est, est de ratione simplicissimae ejusdem essentiae nihilque potest concipi, quod ad illud accedens Deum constituat, cum Deus sit omnia per identitatem (n. 36). Quare Deus definiri nequit neque per causas, quibus caret, neque per genus et differentiam.

5. Deus non potest ratione suae simplicissimae infinitatis et actualitatis infinitae componi cum aliqua natura, ita ut rationem habeat partis novamque cum ea constituat essentiam seu naturam: hinc dicitur inconfusus et supersubstantialis, „super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt ineffabiliter excelsus" (conc. vatic. sess. 3 cap. 1). Cf. Scheeben § 76.

49. **Corollarium II.** *Cum simplicissima Dei infinitate prorsus pugnat pantheismus,* sub quacunque demum forma vel larva proponitur, et non solum crassior, sed et subtilior, sive in ordine naturali, sive in supernaturali, sive materialis sive spiritualis, quotiescunque scil. unica tantum admittitur substantia, cujus creaturae sint emanationes, participationes, profusiones, apparitiones, evolutiones, explicationes, determinationes, defectiones, apostasiae, prouti pro systematis varietate pantheistae loqui solent. Ostendimus enim Deum esse **1.** actum purissimum, in quo nulla potentia; **2.** simplicissimum et **3.** infinitae perfectionis nullius incrementi vel decrementi capacem. Atqui cum hac triplici praerogativa pugnat pantheismus cujuslibet demum formae. Hinc conc. vaticanum sess. 3 de Deo omnium Creatore hos statuit canones: „3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, A. S.; 4. si quis dixerit, res finitas tum corporeas, tum spirituales aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens univer-

sale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam [1]), A. S."

50. Hi autem videntur *fontes pantheismi* vel propositionum, quae pantheismum sapiunt: **1.** Quod non satis distinguitur esse commune rerum ab esse proprio Dei seu conceptus entis infiniti, puri, quod omnem perfectionem complectitur et est singulare, ab idea universali et transcendentali abstractissima entis in genere, quod unica nota constat ideoque est minimae comprehensionis et nihilo opponitur. Hinc congregatio inquisitionis declaravit tuto tradi non posse prop. 2 et 5, quas n. 11 dedimus. **2.** Quod non satis distinguitur τὸ esse creaturarum, quod habent in ordine exsistentiae, ab esse eminenti, quod habent in ideis divinis; **3.** quod infinitum concipitur cumuli instar omnium realitatum, non ut simplicissima forma complectens per identitatem omnem perfectionem vel formaliter vel eminenter (n. 39[4]). Cf. s. Thomas c. gentes I, 26.

51. **Corollarium III.** Ratione infinitae perfectionis *Deus censeri debet pulcherrimus.* Neque enim pulchritudo solis competit corporibus, verum etiam substantiis spiritualibus: Deo autem prae ceteris, nam teste Sapientiae 13, 3 *generator est speciei* i. e. auctor omnis pulchritudinis, ejus idea et exemplar. Et sane pulchrum secundum s. Thomam est, quod visum placet, seu ut Kleutgen id explicat Instit. q. 4 c. 3 a. 1, pulchritudo est rei bonitas, quatenus haec mente cognita delectat. Atqui infinita Dei bonitas et perfectio a beatis cognita imo visa eos ita delectat, ut voluptatis torrente inebrientur (Ps. 35, 9). Nequit ergo Deus non esse pulcherrimus. Pulchritudo autem Dei oriri videtur **a.** ex infinitate divinae essentiae nexa cum omnimoda simplicitate; **b.** ex concentu divinarum perfectionum ad invicem cum summa unitate; **c.** ex divino intellectu, qui exemplaria omnis pulchritudinis prae se fert; **d.** ex processionibus divinis. De hac pulchritudine divina praeclare scribit s. Basilius et vulgatus Dionysius Areopagita [2]): »Semper exsistens pulchrum (Deus) atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in seipso eminenter anticipans praehabensque. In ipsa enim natura simplici ac supernaturali pulchrorum universorum omnis pulchritudo et omne pulchrum uniformiter secundum causam praeexsistit. Ex hoc ipso pulchro rebus omnibus obtingit, ut sint secundum propriam rationem pulchrae etc.« Et Boëthius:

»Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens similique ab imagine formans [3]).«

---

[1]) De hoc cap. et de canonibus bene et acute disserit Scheeben Handb. der k. Dogmatik t. 1 § 67. Etiam in Syllabo prop. 1 damnata enunciatur: »Nullum supremum, sapientissimum providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et in mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam, ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto.«

[2]) Ille in regulis fusius tract. interrog. 2 n. 2, hic vero de div. nomin.

[3]) De consol. philos. l. 3 metro 9. Cf. Jungmann, Aesthetik sect. 4 c. 3; Lessius de summo Bono II, 16; Rogacci del uno Necessario c. 27 ss.; Scheeben § 85; Franzelin thes. 30; Stentrup Synopsis tr. schol. de Deo th. 56 ss.

52. **Thesis XCIV.** ***Deus omnibus rebus locisque praesens est non solum per omnipotentiam et inspectionem, sed etiam essentia sua: nec tamen iis circumscribitur, sed est immensus.***

Declaratio. Immensitas sicut ab infinitate, ita ab omnipraesentia et ubiquitate distinguitur. Infinitas enim afficit perfectionem essentialem Dei et excludit ab ea limitem seu carentiam alicujus perfectionis; immensitas vero afficit exsistentiam Dei seu exprimit modum exsistendi Dei solutum a conditionibus spatii. Vi infinitatis possidet Deus omnem perfectionem: immensitas vero exigit, ut Deus omnibus locis ac rebus, quae sunt vel esse possunt, intime adsit, ita tamen ut ab illis minime contineatur, circumscribatur, definiatur: hinc omnipraesentia consequitur immensitatem, ab ea tamen distinguitur. Nam **a.** ubiquitas supponit exsistentiam rerum, non autem immensitas. Quare **b.** haec est attributum absolutum, illa denominatio externa; ideoque **c.** immensitas Deo convenit necessario, ab aeterno, essentialiter; omnipraesentia contingenter et in tempore. Non immerito autem immensitas describi potest ea exsistendi divinae essentiae ratio, vi cujus in omnem dimensionem, quae exstat vel exstare potest, ubique absque sui termino non per partes, sed se tota diffunditur. Quae descriptio desumpta est ex nostro imperfecto concipiendi modo. Actualis autem divinae essentiae diffusio est omnipraesentia proprie dicta; praeter omnipraesentiam enim per essentiam Deus duplici alio modo adhuc minus proprie dicitur ubique praesens scil. per cognitionem et potentiam. Nam, ut inquit Augustinus ep. 111, Deus „totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est."

53. Per essentiam autem potest aliqua substantia esse triplici modo praesens: circumscriptive, definitive, repletive seu inadaequate et cum excessu. Circumscriptive seu dimensive, quantitative, localiter, si **a.** tota quidem est in toto loco, sed **b.** non tota in singulis partibus: verum ita in toto, ut singulae ejus partes singulis loci partibus respondeant; et si **c.** non est extra illum locum, quem occupat. Hoc modo corpora sunt in loco. — Definitive aliqua substantia est in loco, si adest quidem **a.** tota in toto, et **b.** tota in singulis partibus, non vero **c.** extra illum locum, quem occupat. Hac ratione spiritus sunt in loco. — Repletive est aliqua substantia in loco, si **a.** tota est in toto, **b.** tota in singulis partibus, et si **c.** determinato loco nec circumscribitur, nec definitur, sed etiam extra illum locum reperitur. Hoc modo Deus est ubique. Thesis, quatenus Deum dicit immensum, de fide est, ut constat ex symbolo Athanasiano, ex conc. lateranensis IV. c. ‚Firmiter' et vaticani sess. 3 c. 1 (n. 24). Adversarios recenset Genér theol. I tr. 1 l. 1 c. 3.

54. **Demonstratio. 1.** Deum ubique praesentem esse et quidem **a.** potentia, docemur Sap. 8, 1: *Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter;* et Filius a Paulo Hebr. 1, 3 dicitur *portans omnia*

verbo virtutis suae. Deum adesse omnibus **b.** cognitione, testatur idem Paulus Hebr. 5, 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Ceterum id sequitur ex omniscientia Dei, de qua alias. Deum esse ubique **c.** per essentiam colligimus ex Ps. 138, 7: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua.* Jerem. 23, 24: *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Act. 17, 27 s. His vero **d.** Deum non circumscribi, sed esse immensum, patet ex 2. Paralip. 6, 18: *Si coelum et coeli coelorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam aedificavi?* Cf. Is. 40, 12.

Quod **2.** patres attinet, non est necessarium in re evidenti multa testimonia afferre. Prae ceteris **a.** egregie expressit Dei omnipraesentiam et immensitatem s. Gregorius M. Moral. II, 12: »Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem et interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior; aut alia ex parte exterior, atque ex alia manet interior; sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.« Quibus similia habet Isidorus hisp. sent. l. 1 c. 2; Damianus opusc. 36 c. 6. Eam Hildebertus cenomanensis episcopus pulchre hoc rhythmo (de ss. Trinit. v. 3 ss. ap. Migne patrol. lat. 171, 1411, qui etiam Abaelardo adscriptus fuit) describit:

Super cuncta, subter cuncta: extra cuncta, intra cuncta;
Intra cuncta nec inclusus: extra cuncta nec exclusus;
Super cuncta nec elatus: subter cuncta nec substratus.
Super totus praesidendo, subter totus sustinendo;
Extra totus complectendo, intra totus es implendo.
Intra nusquam (*al.* nunquam) coarctaris, extra nusquam (*al.* nunquam) dilataris:
Super nullo sustentaris, subter nullo fatigaris.

Nituntur patres insuper **b.** immensitatem et omnipraesentiam analogiis illustrare, ut aëris ubique diffusi, solis universum virtute sua replentis, animae corporis molem praesentia sua substantiali vivificantis, sed et universum lustrantis sensu, imaginatione, mente. Nam, ut inquit Thomassinus V, 3 § 4, »naturae visibiles per varios quosdam gradus immensitatem Dei adumbrant: alia enim per molis expansionem, alia per radiorum sparsionem, alia per motionum velocitatem, alia per sensuum et intellectuum pernicitatem diffundere sese ubique et in immensum dilatare affectant.«

Ne vero **c.** erremus in concipienda Dei praesentia, monent cum Augustino ep. 187 c. 4 n. 11: »In eo ipso, quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus

aut humor, aut aër aut lux ista diffunditur (omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto): sed ita potius sicut est magna sapientia etiam in homine, cujus corpus est parvum. Et si duo sunt sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est illa major in majore, minor in minore, aut minor in uno quam in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo, et tanta in unoquoque, quanta in utroque.« Et iterum in Ps. 30 enar. 2 n. 7 rem ita apte illustrat: »Veritas est Deus. Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa. Ubique praesens est.« Cf. ep. 118 n. 23; serm. 4 n. 7; tr. 35 in Jo. n. 4. Quae similitudo admodum opportuna est, ut quadamtenus saltem concipiatur Deus totus in toto et totus in qualibet parte, et simul tamen solutus a quavis spatii conditione. Nam veritas concipi potest ubique praesens, omni menti, tota in qualibet, tota in omnibus, quin tamen ulla mente circumscribatur.

Quare **d.** ex patrum mente cavendum est α. ne putemus, Deum circumscriptive, vel β. definitive esse in loco; hinc pluribus placet dicere, Deum, quamvis sit ubique, non esse in loco, esse nuspiam, ipsum esse locum sibi rerumque locum. Ita Damascenus F. O. I, 13 n. 55: »Deus, cum sit expers materiae vel incircumscriptus, non est in loco. Ipse enim sibi ipsi est locus implens omnia et supra omnia consistens, atque ipse continens universa. Dicitur autem in loco esse ac locus dicitur Dei, ubi manifesta fit illius efficientia.« Cavendum est γ. ne putemus, Deum indigere loco; neque enim propter indigentiam adest locis, sed ut praesentia sua creaturas sustentet ac regat. Ad rem Augustinus tr. 2 in Jo. 1, 10 n. 10: „*In mundo erat et mundus per eum factus est.* Ne putes, quia sic erat in mundo, quomodo in mundo est terra, in mundo est coelum, in mundo est sol, luna et stellae, in mundo arbores, pecora, homines. Non sic iste in mundo erat, sed quomodo erat? Quomodo artifex regens quod fecit. Non enim sic fecit, quomodo faber facit; forinsecus est arca, quam facit . . . Deus autem mundo infusus fabricat, ubique positus fabricat, et non recedit aliquo, non extrinsecus quasi versat molem, quam fabricat: praesentia majestatis facit, quod facit; praesentia sua gubernat, quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quomodo per quem mundus factus est.« Cf. in Ps. 122 n. 4. Denique δ. cavendum est, ne putemus Deum omnia penetrando et pervadendo rebus commisceri. Nam etsi omnibus adest et inest, naturae tamen gradu, ut inquit Lessius II n. 18, et celsitudine infinite distat, in seipsum collectus et firmissime in sua puritate subsistens, ab omnibus segregatus, nullatenus iis commixtus vel immixtus: unde simul conjunctissimus est et remotissimus, praesentissimus et secretissimus, unitissimus seu collectissimus et diffusissimus. Quo sensu intelligendi sunt nonnulli patres, qui quandoque docere videntur, Deum sola operatione, non essentia creaturis inesse. Cf. Scheeben § 88.

3. Probatur thesis ratione. Immensitas enim consequitur infinitatem nullis limitibus circumscriptam, omnipotentiam Dei, sine cujus influxu nulla creatura esse vel subsistere potest, et summam Dei perfectionem: nam quo perfectior aliqua substantia est, eo majorem habere potest praesentialitatis sphaeram, ut loquitur Suarez II, 2. Cf. Thomas 1. q. 8.

55. **Corollaria.** Ex immensitate Dei haec infert Lessius II, 3:

»**1.** posse nos Deum in omnibus rebus intueri, non solum ut in effectu, vestigio aut imagine, sed etiam ut ibi reipsa latentem, occultatum et veluti

sipario quodam creatae naturae velatum . . . Sequitur **2.** posse nos omnia intueri in Deo. Omnia enim ab ipso et intime penetrantur, et profundissime sustentantur et exterius diffusissime circumdantur . . . Sequitur **3.** maximum debere nos concipere gaudium, quod tantum thesaurum intra nos, nimirum in anima nostra, in corde nostro, in omnibus animae viribus, in omnibus corporis particulis habeamus: nimirum Deum ipsum Patrem, Filium, Spiritum s. cum tota potentia etc. . . . Sequitur **4.** debere nos semper tamquam in praesentia Dei cum magna reverentia versari.« Quem fructum inde jam collegit Clemens alex. Strom. VII, 7: »Si autem alicujus boni viri praesentia per sui observantiam et reverentiam eum, quocum versatur, semper in melius format et effingit; quomodo is, qui cum Deo semper est praesens, per cognitionem et vitam et gratiarum actionem, non jure se melior semper evadat in omnibus et factis et verbis et affectu? Talis est is, cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis definitisque locis esse conclusum, ut cum se sine eo esse aliquando existimaverit, noctu et interdiu intemperantiae se dedat et libidini.« Prosequitur Lessius: »Sequitur **5.** revocandas esse cogitationes nostras, quas extrorsum per creaturas dispersas habemus, easque ad nos ipsos convertendas; deinde in fundum animi descendendum, ibidem hoc immensum arcanum reperturi.« Quae facile in concionem possunt converti.

56. **Scholion.** Cum Dei praesentia innotescat nobis ejusdem operatione, pro speciali Dei efficientia, quae alicubi se prodit, *speciali modo Deus quibusdam in locis esse* dici poterit, ut in coelo, in justis, in Ecclesia etc. »Est ergo (Deus), inquit s. Bernardus serm. 6 in dedic. Eccl. n. 2, in omni loco omnia universaliter continens omniaque disponens, sed longe tamen aliter atque aliter. Apud homines malos est praestans atque dissimulans, apud electos homines operans et servans; apud superos pascens et cubans, apud inferos arguens et damnans . . . Itaque si dicere licet, apud impios est in dissimulatione, apud justos in veritate, apud angelos in felicitate, apud inferos in feritate sua etc.« Et Hugo a. s. Victore de arca Noë morali I, 1: »Domus Dei totus est mundus: domus Dei Ecclesia catholica est; domus Dei etiam est quaelibet fidelis anima. Sed Deus aliter mundum inhabitat, aliter Ecclesiam, aliter unamquamque fidelem animam. In mundo est ut imperator in regno; in Ecclesia est ut paterfamilias in domo; in anima est ut sponsus in thalamo.« Ut vero haec specialis operatio vel incipit vel cessat, Deus venire, discedere etc. dicitur; homines vero ad Deum accedere vel ab eo recedere dici possunt, si vel bene operando ei magis similes vel peccando dissimiles redduntur. »Non locorum intervallis, inquit s. Prosper sent. 123, acceditur ad Deum vel receditur ab eo; sed similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum.«

57. **Thesis XCV.** ***Deus est omnino immutabilis.***

Declaratio. Deum esse immutabilem docent conc. lateranense IV. c. ‚Firmiter', et vaticanum sess. 3 c. 1 (n. 24). Vi hujus praerogativae excluditur a Deo omnis mutatio realis. Dicimus realem, quia distinguitur mutatio alia, quae intrinsecus subjectum afficit et est transitus subjecti de potentia in actum vel de actu in potentiam ideoque est realis: et alia, quae subjectum intrinsecus non afficit sed tantum extrinsecus, consistens in solo novo respectu ad rem aliam et nova

appellatione, quae inde consequitur: ut si res ob alterius rei imminutionem dicitur nunc major, cum antea esset minor. Ejusmodi relationis seu denominationis mutatio non adversatur divinae immutabilitati. Porro multiplex distinguitur mutatio realis pro ratione termini, a quo et in quem fit transitus. Praecipuae mutationes creaturae rationalis sunt 1. secundum exsistentiam seu transitus de non esse ad esse, qui tamen improprie mutatio, a nonnullis mutatio metaphysica dicitur; 2. ratione accidentium; 3. cognitionis; 4. volitionis et 5. ratione loci. Secundum haec omnia Deus est immutabilis.

58. **Demonstratio. 1.** Colligitur thesis praeeuntibus patribus et s. Thoma 1 q. 9 a. 1 ex variis praerogativis, quae Deo conveniunt. Sane omnis realis mutatio supponit **a.** potentiam: Deus vero actus est purissimus (n. 33); **b.** contingentiam, sed Deus est ens necessarium; **c.** compositionem, scil. cum eo, quod mutationis subjectum ipsa mutatione acquirit vel amittit: Deus vero est simplicissimus (thes. 92); supponit **d.** plerumque quendam defectum et indigentiam illius, quod mutatione accedit: Deus vero est τοῦ esse plenitudo (thes. 91); ea **e.** fere oritur ex dependentia ab objectis externis: Deus vero est plane independens sibique sufficientissimus; denique **e.** vere docet Novatianus de Trinit. c. 3 „immutatio conversionis portio cujusdam comprehenditur mortis . . . Nam et incrementa originem monstrant et detrimenta mortem atque interitum probant."

2. Immutabilitas Dei colligitur ex Scriptura, et quidem **a.** ratione loci et scientiae ex iis effatis, quibus Deus exhibetur immensus (n. 54) et omniscius (n. 71 ss.); **b.** ratione exsistentiae ex iis, quae ejus aeternitatem probant (thes. seq.); ideo etiam a Paulo Rom. 1, 23 ἄφθαρτος incorruptibilis dicitur; **c.** ratione qualitatum ex Jac. 1, 17: *Apud quem* (Patrem luminum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* quamobrem qua manens opponitur rebus mutabilibus Ps. 101, 27 s. (n. 63[3]); **d.** ratione consiliorum voluntatis suae 1. Reg. 15, 29: *Porro triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat poenitentiam;* Num. 23, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur;* Mal. 3, 6: *Ego Dominus* (hebr. Jehova ὁ ὤν, quo nomine ratio continetur immutabilitatis) *et non mutor.* Hinc voluntas Dei dicitur in aeternum permanere Ps. 32, 11 coll. Prov. 19, 21.

3. Eadem praerogativa colligi generatim potest ex illis verbis Dei: *Ego sum qui sum* (Exod. 3, 14), in quae s. Augustinus serm. 7 n. 7 scribit: „Esse est nomen incommutabilitatis. Omnia enim, quae mutantur, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse, quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur.

Ille habet esse, cui dicitur: *Mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es* (Ps. 101, 27 s.). Quid est: *Ego sum qui sum,* nisi aeternus sum? Quid est: *Ego sum qui sum,* nisi, mutari non possum?"

4. Patres praeterea docent: **a.** sub Deo omnia esse mutabilia, eoque magis **b.** aliquid a mutatione ad immobilitatem accedere, quo magis ad Deum accedat eique adhaerescat et in eo firmetur; ideoque **c.** verissima esse Pauli verba Tim. 6, 16: *Qui* (Deus) *solus habet immortalitatem.* „Vera namque, inquit Bernardus serm. 81 in Cant. n. 5, et integra immortalitas tam non recipit mutationem, quam nec finem, quod omnis mutatio quaedam mortis imitatio sit. Omne enim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, ut esse incipiat, quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas [1])?"

59. **Scholion I.** *De affectibus irae, vindictae, poenitentiae* etc., qui in divinis literis Deo tribuuntur quique mutationem involvunt, praeeuntibus patribus notetur, illa vel metaphorice esse intelligenda, vel quod in idem fere recidit, s. Scripturam loqui ad captum nostrum et Deum suscipere, ut ait Tertullianus adv. Marcionem II, 27, »humanos sensus et affectus, per quos vim majestatis suae intolerabilem utique mediocritati humanae humilitate temperaret.« Quapropter ejusmodi effata sunt intelligenda modo, qui Deum decet, quo omnis imperfectio excluditur. Bene Augustinus Confess. I, 4: »Immutabilis mutans omnia nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia . . . amas, nec aestuas; zelas et securus es; poenitet te et non doles, irasceris et tranquillus es; opera mutas nec mutas consilium.«

60. **Scholion II.** *Exceptio contra Dei immutabilitatem solvitur.* — Omissa interim difficultate, quae oritur ex divina libertate contra immutabilitatem, ad illam ex operationibus Dei ad extra, quibus aliquid in tempore perficit, petitam concedimus quidem eam esse admodum gravem et si vis insolubilem; quod tamen nemini mirum videbitur, qui incomprehensibilitatem non dico Dei, sed vel operationum animae nostrae consideret: respondemus deinde, in quovis actu divino esse distinguenda: **a.** ipsum actum seu ἐνέργειαν, **b.** ejusdem terminum et **c.** relationem, quae inter utrumque oboritur. Actus,

---

[1]) Hoc vidit etiam Plutarchus, qui ita egregie disserit apud Eusebium praeparat. evang. XI, 11: »Ridicule sane facimus, qui mortem unam timeamus jam mortui toties totiesque morientes. Succedente sene vir exstinguitur, ut vir juvene, juvenis puero, puer infante exstincto succedit; imo hesternus in hodiernum interiit, ut in crastinum interit hodiernus. Manet autem nemo, nemo unus est, sed omnino multi efficimur, dum circa unum aliquod simulacrum exemplarque commune volutatur assidue labiturque materia. Enimvero si iidem manemus, qui tandem alia nobis placent modo, qui aliis antea ducebamur? qui contraria vel amamus aut odimus vel praedicamus aut damnamus? . . . Nec enim plura Deus est uti nostrum quilibet, qui congeries quaedam sumus ex omni sexcentarum varietatum diversis ex casibus mutationibusque genere et quadam veluti universitate conflata atque permixta.« Cf. Petavius III, 4 s.; Thomassinus V, 8 ss.; Stentrup th. 17, in primis Lessius l. 3.

qui re non distinguitur ab ipsa essentia divina, est aeternus; terminus est vel aeternus, si a Deo non distinguitur, vel in tempore exsistens, si Deo est extraneus; relatio autem, si consideratur ut indistincta a terminis, a quibus oritur, participat de proprietatibus utriusque termini, est scil. aeterna etc., si in Deo consideratur: temporalis, si consideratur in creaturis; si vero consideratur relatio consequens operationem Dei ad extra, est quidem realis in termino, rationis tantum in Deo. Atqui nova relatio rationis infert tantum mutationem secundum rationem et hinc secundum denominationem; quare Deus dici nequit realiter mutatus, etsi in tempore dici debet creans, cum ante dicendus esset non creans. Sicut veritas, quae in tempore mentes illuminat, scientiam infundit, errorum tenebras dissipat, non mutatur, quamvis haec in tempore in nobis operetur: ita Deus in tempore opera mutat, ipse non mutatur.

61. Ut explicetur quomodo Deus non mutetur, cum hominem justum diligit, dein peccantem odio habet, dicimus, in Deo unicum quidem esse divinae voluntatis actum, qui tamen ob suam perfectionem et infinitam ἐνέργειαν, innumeris actibus re distinctis, amoris scil., odii, gaudii etc. aequivalet; in creaturis vero hos actus revera differre objecto et modo in illud tendendi. Idem ergo actus divinus tendens in diversa objecta pro eorum indole et merito induet rationem amoris, odii, gaudii etc. Quare mutato objecto, ut si justus fit peccator, non mutatur actus, quemadmodum in voluntate creata, quae tota nunquam est actuata; sed alia tantum erit actus divini ad objectum relatio. »Sicut lux, inquit Augustinus de Trin. V, 16 (ubi fuse hanc expendit difficultatem), infirmis oculis aspera, firmis lenis est ipsorum scil. mutatione, non sua.« De civ. Dei XII, 14 s.; in Ps. 72 n. 7. Quare quod est causa distinctionis realis actuum in voluntate creata, fundamentum praebet ut ratione distinguamus in unico actu Dei varios veluti actus. Quod si haec non sufficiant solvendae difficultati, repetere licebit pulchra Augustini verba Confess. I, 6: »Quid a me, si quis non intelligat? Gaudeat et ipse dicens: Quid est hoc? Gaudeat etiam sic et amet non inveniendo invenire potius te, quam inveniendo non invenire te.« Cf. Becanus c. 7. 10 q. 16. 18; Scheeben § 75.

62. Thesis XCVI. *Deus est aeternus.*

Declaratio. Aeternitas et aeternum multiplici significatione etiam in divinis literis occurrunt [1]. Significat enim **1.** durationem cum initio et fine, sed diuturnam; vel **2.** durationem cum initio et successione, sed sine fine; vel **3.** durationem successivam, sed absque initio et fine, ut cum philosophi quaerunt, num possibilis sit mundus aeternus; vel **4.** durationem sine initio, fine et successione, et haec est aeternitas propria

[1] Fere eadem dici possunt de voce graeca αἰών, de qua scribit Damascenus de fide orthod. II, 1: »Sciendum itaque, nomen seculi seu aevi αἰῶνος multipliciter accipi: complura enim significat. Nam et hominis cujusvis vita αἰών dicitur; αἰών item tempus mille annorum appellatur. Ad haec αἰών nominatur totum praesentis vitae curriculum et futura illa ac post resurrectionem immortalis vita. Quin αἰών quoque dicitur non tempus, nec temporis pars ulla solis motu ac cursu definita, sive ex dierum noctiumque serie conflata, sed ille velut temporalis motus ac spatium, quod una cum iis, quae aeterna sunt, protenditur. Quod enim iis quae tempori subsunt tempus est, hoc perpetuis est seculum αἰών.«

Dei, quae unanimi theologorum approbatione definitur a Boëthio de consol. phil. l. 5 prosa 6: „Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio." Ut illius notio illustretur, conferamus eam cum notionibus affinibus.

1. Collata notione aeternitatis cum notione immutabilitatis, patebit eam vix ab hac differre, quare Augustinus de Trin. XV n. 8: »Aeternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis unum quatuor ista significant.« Quod si assignandum est discrimen, dicimus, aeternitatem immediate excludere successionem, hinc mutationem: immutabilitatem immediate excludere mutationem, ideoque successionem.

2. Collata aeternitate cum immensitate dici debet aeternitas

a. relate ad tempus esse quod immensitas est relate ad spatium; quare

b. sicut immensitas absolute consistit in eo, quod Deus solutus est ab omnibus conditionibus spatii, nullo circumscribitur definiturqne loco, sed est super omnem locum: ita Deus vi aeternitatis nulli tempori est obnoxius, sed super omne tempus. Hinc s. Anselmus Monolog. c. 18 audet dicere; »Non ergo fuit heri aut erit cras, sed heri, hodie et cras *est;* imo nec heri, nec hodie, nec cras est, sed simpliciter est extra omne tempus.« Et jam Dionysius Areop. de div. nomin. c. 5: »Ac nec erat, neque erit, neque factus est, neque fiet, imo potius nec est quidem.« Verum

c. sicut immensitatem sine relatione ad spatium non concipimus ita nec aeternitatem absque quadam ad tempus relatione; quocirca Apoc. 1, 4. 8; 4, 8 Deus aeternus dicitur *qui est et qui erat et qui venturus* i. e. futurus *est:* non ac si Deus temporum differentiis obnoxius sit, sed quia simplicissima sua aeternitate illas complectitur. »Ibi nihil est praeteritum, inquit Augustinus in Ps. 101 n. 10, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi *est;* non est ibi fuit et erit; quia et quod fuit, jam non est; et quod erit, nondum est: sed quidquid ibi est, nonnisi est.« Luculentius vero tract. 99 in Joan. n. 5, ubi explicans verba Christi: *Quaecunque audiet, loquetur* (Joan. 16, 13), postquam monuit, ne verbo futuri temporis moveamur, subdit: »In eo, quod sempiternum est, sine initio et sine fine cujuslibet temporis verbum ponatur, sive praeteriti, sive praesentis, sive futuri, non mendaciter ponitur . . . *Fuit* in praeteritis seculis, *est* in praesentibus, *erit* in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. Neque enim velut qui jam non sit, cum praeteritis occidit, aut cum praesentibus velut qui non maneat labitur; aut cum futuris velut qui non fuerat orietur. Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit aut potest aut poterit tempora, vere de illo dicuntur cujuslibet temporis verba.« Cf. Confess. I, 6; Thomas in 1. dist. 8 q. 2 a. 3.

Quare **d.** sicut α. ratione immensitatis Deum dicere possumus esse ubique et nullibi (ut docet Anselmus): ita de Deo possunt adhiberi vel negari verba temporum differentias significantia; sicut β. Deus absque divisione singulis adest locis, ita sine successione totus temporibus adest singulis; sicut γ. ratione specialis operationis divinae Deus dicitur hic vel illic esse, ubi scil. ejusdem operatio specialis manifestatur: ita ratione termini, quem producit in tempore, hujus differentiae de Deo aeterno praedicari possunt, unde dicere possumus: Deus creavit, conservat, judicabit mundum. Sicut vero

δ. Deum ubique esse concipimus et ultra omnem locum i. e. immensum, ita Deum ratione suae aeternitatis ultra omnia cogitamus tempora. »Nec tu tempore, inquit pulchre Augustinus Confess. XI, 13 n. 16, tempora praecedis, ... sed praecedis omnia praeterita celsitudine semper praesentis aeternitatis, et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cum venerint, praeterita erunt, tu autem idem ipse es et anni tui non deficiunt (Ps. 101, 23).« Et s. Prosper (vel alius auctor antiquus) de provid. v. 175 ss.:

Ille manet simul acta tenens et agenda, futuris
Ulterior, tum praeteritis prior, omnibus unus
Praesens, et solus sine tempore tempora condens:
Utque aevi spatia ac numeros praecedit et exit,
Sic nullo immensus cohibetur fine locorum.

3. Aeternitas collata cum tempore in eo convenit, quod est rei exsistentis duratio; differt vero, quod tempus est duratio successiva, aeternitas caret omni successione, seu, ut id belle expressit Boëthius de consol. phil. prosa ult.: »Nunc fluens facit tempus: nunc stans facit aeternitatem;« et Cassianus de incarn. V, 8: »Temporalitatis est fieri, esse aeternitatis.« — »In illo enim, inquit Gregorius M. Moral. XX, 63 in Job 30, 21, nec praeterita nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, et quae in seipsis simul exsistere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo praeterit quod transit, quia in aeternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina seculorum transeuntia manent, currentia stant.« Quapropter theologi cum Lessio IV, 4 conferunt tempus cum flumine praetercurrente, aeternitatem cum rupe immota, vel cum puncto, »circa quod describitur circulus: sicut enim punctum illud respondet toti circumferentiae et singulis ejus punctis, ita aeternitas respondet, et assistit toti tempori, et singulis ejus momentis.« Ex qua aeternitatis notione liquet, quantum perfectionis et beatitudinis in Deum redundet: collectim enim possidet, quidquid boni in successione indefinita alii nonnisi guttatim et divisim experiri et gustare possunt. Cf. Anselmus Monol. c. 18 ss. (opusc. XXVIII).

63. **Demonstratio.** Dogma hoc symbolo athanasiano, professione fidei conc. lateranensis c. ‚Firmiter' atque conc. vaticani sess. 3 c. 1 (n. 24) expressum demonstratione vix indiget, nam

1. teste Tertulliano adv. Marcionem I, 3 „omnium conscientia agnoscit, Deum summum esse magnum in aeternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine." Ad haec

2. aeternitas est consectarium immutabilitatis et plenitudinis τοῦ esse, quam Deus sibi vindicat Ex. 3, 14 vocans se ὁ ὤν (n. 27[2]). Unde praeclare s. Bernardus in Cantic. 31 n. 1 scribit: „Quidquid veniens ex eo quod fuit non cessat tendere in id quod *erit,* transitum sane habet per *est,* sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde vere est, quod nec a *fuit* praeciditur, nec ab *erit* expungitur; sed solum atque inexpugnabile remanet ei *est,* et manet quod est. Nec *fuit* sane tollit illi esse ab aeterno, nec *erit* esse in aeternum; ac per hoc sibi vindicat verum esse, id est increabile, interminabile, invariabile." Cf. Hilarius de Trin. 1, 5.

3. Dei aeternitatem testantur Scripturae: Ps. 89, 2 ss: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a seculo et usque in seculum tu es Deus . . . Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quae praeteriit, et custodia in nocte* (i. e. vigilia, quae etiam brevior est die, trium tantum horarum); 2. Petri 3, 8: *Unum vero hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus;* et Ps. 101, 26 ss.: *Initio tu, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Quibus triplex aeternitatis character designatur, carentia scil. initii, finis, successionis, quam Christus quoque videtur excludere sempiternum praesens sibi adscribens Jo. 8, 58: *Antequam Abraham fieret, ego sum;* et Eccli. 42, 21: *Qui est ante seculum et usque in seculum.* Patrum doctrinam audivimus in thesis declaratione.

Caput III.

De attributis Dei actuosis seu de vita Dei.

64. *Deus est spiritus.* — Tam via excellentiae quam via causalitatis cum Augustino de doctr. christ. 1, 7 s., de civ. Dei VIII, 5 infertur Deum esse spiritum et quidem purum: quam illationem confirmant Scripturae sive diserte Joan. 4, 24: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* sive aequivalenter cum **a.** Deo proprietates adscribunt, quae spiritui solum competunt, ut omnipraesentiam et immensitatem (n. 54), intellectum, voluntatem etc.; cum **b.** ejus spiritus exhibetur qua spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis Is. 11, 2; cum **c.** exhibetur auctor charismatum, quae ad intellectum voluntatemque referuntur 1. Cor. 12, 4 ss.; cum **d.** de sapientia Dei dicitur Sap. 7, 22 s.: *Est in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex . . . omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis . . . et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos et prophetas constituit.* Quem in l. cf. Lorinum. Traditionis sententiam expressit Origenes de princ. I, 1 n. 6: „Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore putandus est (Deus), sed intellectualis natura, simplex nihil omnino in se adjunctionis admittens . . . ut sit ex omni parte μονάς et ut ita dicam ἑνάς et mens.“ Quapropter conc. vaticanum sess. 3 c. 1 docet substantiam divinam esse spiritualem. Nomine autem spiritus intelligimus substantiam simplicem et immaterialem, i. e. intrinsecus independentem a materia in essendo et operando, et quia immaterialitas est ratio intellectualitatis,

substantiam intellectualem, actuosam et viventem, quae vitam [1]) suam intelligendo maxime volendoque explicat.

65. Porro vita divina non per multos numero actus diffunditur iisque veluti per partes actuatur, sed unico absolvitur actu; quaquaversus infinite est actuata, et invariabilis: hinc tranquillissima, beatissima, sanctissima. Cum vero vita spiritus intelligendo volendoque se explicet, Deus intellectu et voluntate praeditus sit oportet. Verum antequam de duplici hoc attributo disserimus, prius quaedam dicamus de omnipotentia Dei, quam quidam a voluntate Dei ratione distinguunt tamquam tertiam potentiam, dum aliis ea videtur a voluntate (vel intellectu) non distingui. Qua de quaestione cf. Thomas 1 q. 25 a. 1, ubi utramque proponit sententiam permittitque.

Articulus I.
De omnipotentia Dei.

66. **1.** Tenendum est *Deum esse omnipotentem,* ut patet non solum ex divinis literis et symbolis, sed vel ex notione entis summi. Quare s. Augustinus serm. 240 c. 2: „Non dico, inquit, da mihi christianum, da mihi judaeum, sed da mihi idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest."

67. *Quid non sit de ratione omnipotentiae.* — **2.** Ut Deus sit omnipotens, nullatenus **a.** requiritur, ut possit facere impossibilia, quae est sententia Vorstii calvinistae. Impossibile enim seu quod intrinsecus repugnat, est id, in quo praedicato negatur, quod subjecto affirmatur. Hoc autem nihil est ($x-x=o$); Deum autem τὸ nihil producere non posse, non oritur ex defectu potentiae, sed ex defectu termini. Quare s. Thomas acute notat 1 p. q. 25 a. 3, melius dici »quod impossibilia non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere.« Ineptius etiam **b.** Plinius Hist. nat. II, 7 negat, Deum esse omnipotentem, quod non possit mori, vel ea, quae jam facta sint, infecta reddere. Similis **c.** est opinio eorum qui Deum infirmitatis arguunt, quod peccare nequeat. Nam ut rite statuit Anselmus Prosl. c. 7, mori, peccare, deficere etc. posse, abusive et improprie dicitur potentia: sicut ipsum non esse quandoque dicitur esse. »Nam saepe dicimus ei, qui rem aliquam esse negat, sic est, quemadmodum, dicis non esse, cum magis proprie videatur dici, sic non est, quemadmodum dicis non esse« etc. Quam ob rem patres docent, haec oriri ex infirmitate, defectu, impotentia ac longissime

[1]) »Nomen vitae, inquit Kleutgen instit. p. 1 l. 1 q. 3 c. 1, saepe quidem sumitur pro operationibus, quibus vita se manifestat; sed proprie significat ipsam essentiam seu naturam, quatenus est principium harum operationum. Quare dicitur: ‚Vivere viventibus est esse (Aristoteles de anima l. 2 c. 5)'. Hoc enim ipso, quod animal desinit vivere, desinit esse. Neque igitur vita se habet ad naturam ut actus ad potentiam, sed ut differentia ad essentiam, nec vivere nomen est accidentale, sed substantiale.« Cf. Franzelin th. 35 ss.; Scheeben § 89.

abesse ab omnipotentia, qua »Deus, ut scribit Hugo a s. Victore de sacr. I p. 2 c. 22, omnia potest, quae posse potentia est;« neque posse ea conciliari cum infinita perfectione, quae omni defectui est inaccessa. »Impossibile Dei, inquit ad rem Ambrosius ep. 50 n. 2, potentissimum est. Quid enim potentius quam nescire quidquid infirmitatis est?« Pariter **d.** omnipotentiam facto negant, qui docent, Deum non alia posse facere quam quae fecit vel facturus est. Quae Abaelardi opinio, damnata ab Innocentio II., sanae rationi divinisque literis manifesto adversatur. Legimus enim Ps. 133, 6, Deum fecisse omnia *quaecunque voluit in coelo et in terra,* et Luc. 1, 37 apud Deum esse *possibile omne verbum.* Neque **e.** omnipotentiae ratio exigit, ut illi respondeat effectus sive extensive sive intensive infinitus, cum uterque repugnet.

68. *Omnipotentiae notio.* — Quare **3.** dicendum est, omnipotentiam Dei esse infinitam **a.** ratione sui, ejusdem enim conditionis est atque essentia illa infinita, cui inest et quam consequitur, operari enim sequitur esse; ideoque est potentia plane originalis, a qua omnis alia; substantia, non accidens, actus purissimus, immensa et sempiterna, a qua omnia sunt et pendent, adeo ut merito propter eam Deus dicatur παντοκράτωρ, quo nomine saepissime in divinis literis designatur; **b.** ratione actionis, quae est plane independens nulloque eget sive instrumento sive materia praejacente sibique sufficientissima omnia producit tranquillissime, quin unquam fatigetur vel mutetur, solo nutu ex nihilo; **c.** ratione objecti, semper enim alia atque alia, majora, perfectiora sine fine et termino, quaecunque vult producere potest, ideoque est inexhausta atque illimitata.

Dei omnipotentiam praeclare describit Chrysostomus hom. 5 in Jo. 1, 3 n. 3: »Ne quis incredulus dubitaret, quomodo tot tantaque per ipsum facta sint, subdidit: *in ipso vita erat.* Quemadmodum si ex fonte abyssos emittente aquam hauseris, quantumcunque haurias, fontem nihil minuis: ita de Unigeniti vi operandi putandum, quantacunque per ipsum facta credideris, nunquam illa minuitur, imo vero ut magis proprio utar exemplo, nempe lucis, de qua ille mox adjicit: *et vita erat lux.* Quemadmodum ergo lux quantacunque hominum millia illuminet, nihil splendoris amittit: sic quoque Deus et antequam operetur et post emissa opera perinde integer manet nec minuitur nec ex operatione multa fatigatur, sed etiamsi mille mundos creare oporteret, etiamsi infinitos, illis omnibus sufficeret, nec creandis modo, sed etiam post creationem servandis.« Et hom. 17 in 1. Cor. n. 2: »Quemadmodum pictor, qui unam facit imaginem, innumeras facile faciet; sic et Deo facilius fuit innumeros facere mundos, atque infinitos; imo potius, ut facile tibi est urbem et infinitos cogitare mundos, ita Deo illos condere facile est, imo longe facilius; tu enim parum saltem temporis in hac cogitatione insumis, Deus vero non item etc.« Theodoretus serm. 4 de graec. affect. cur.: »Rerum omnium opifex nec instrumentis, nec materia indiget, sed quod aliis artificibus sunt materia et instrumenta tempusque et labor arsque ipsa et diligentia, hoc universorum Deo est voluntas.« Cf. Lessius l. V; Petavius V, 5 ss.; Becanus c. 17.

69. *De potentia Dei absoluta et ordinata.* — **4.** Omnipotentia Dei distinguitur in potentiam absolutam atque ordinatam, quae distinctio, quamvis

jansenianі ea abutantur ad suos errores tuendos, admitti potest et debet, si vel **a.** nomine potentiae absolutae intelligitur potentia Dei nondum aliquo decreto voluntatis ad hunc potius quam ad illum effectum producendum determinata, nomine vero potentiae ordinatae omnipotentia Dei decretis divinae voluntatis ad hunc potius quam ad illum effectum determinata; vel **b.** si concipitur jam determinata universali aliqua lege, non tamen ita coarctata, ut non hinc inde sapientissimo ex fine aliquid praeter illam legem agere possit; et si nomine potentiae ordinatae intelligitur potentia Dei ea, quae operatur secundum modum et legem communem, quo sensu rectius dicitur ordinaria; vel **c.** si hujus nomine intelligitur is agendi modus Dei, quo Deus se accommodat ultra strictum debitum indigentiis, desideriis, inclinationibus, commodis creaturae; nomine vero potentiae absolutae ille agendi modus, quo Deus sine ullius juris laesione operari potest etiam quae minus conveniunt rerum naturis. Janseniani autem **d.** nomine potentiae Dei absolutae intelligunt omnipotentiam Dei solutam a reliquis Dei attributis, ab ejusdem sapientia, justitia; nomine vero potentiae ordinatae potentiam Dei harmonice consideratam et in concentu cum aliis attributis: quae consideratio est plane inepta. In homine, in quo variae perfectiones re distinguuntur, licet distinguere potentiam ab aliis proprietatibus, et quaerere, quid possit homo secundum potentiam ita solutam ab aliis perfectionibus. Sed in Deo omnipotentia essentialiter est idem cum justitia, bonitate, ideoque essentialiter bona, justa; quare inscite quaeritur, quid Deus secundum omnipotentiam suam seorsim a justitia, bonitate etc. consideratam possit. Si inscite instituitur ejusmodi consideratio, mirum esse non debet, si falsa et absurda inferuntur consectaria. Quilibet autem videt distinctionem hoc n. expositam coincidere cum consideratione potentiae divinae in sensu diviso et sensu composito. Cf. s. Thomas c. gentes III, 98; Kleutgen Theol. I d. 4 c. 2; in primis Schmid quaestiones selectae ex theol. dogm. q. 1.

70. **Scholion.** *De dominio Dei.* — Omnipotentiam consequitur Dei dominium. Porro duplex distingui debet dominium, jurisdictionis et proprietatis. Illud continetur jure ac potestate gubernandi subditos, et ejus ratione Deus dicitur *rex regum* et *dominus dominantium* 1. Tim. 6, 15; totum universum describitur ut ejus regnum, cujus ipse est supremus et absolutus monarcha Esth. 13, 9 ss.; Ps. 144, 13, omnesque creaturae tam nobilissimae quam vilissimae et insensibiles exhibentur ejus nutui parentes Matth. 8, 26; Ps. 103, 4; Bar. 3, 33 etc.; imo vel possibilia obnoxia sunt ejus potestati, adeoque mundi possibiles atque multitudo creaturarum inexhausta. Ipse fons est, ex quo omnis potestas in homines derivatur Rom. 13, 1; Eph. 3, 15.

Dominium proprietatis continetur jure disponendi de re pro arbitrio. Ejusmodi dominium competit Deo **1.** titulo creationis Rom. 9, 20 s.; **2.** titulo conservationis, qua res omnes indigent; titulo **3.** redemptionis **a.** ex captivitate diaboli Col. 2, 14 s.; **b.** a servitute peccati Rom. 6, 17 s.; **c.** e captivitate mortis 1. Cor. 15, 14. Christo hoc triplici jure dominium in nos competit: jure victoris, jure emptionis, empti enim sumus pretio magno 1. Cor. 6, 20; jure compensationis, quam pro tanto beneficio ei debemus. Denique competit Deo dominium proprietatis **4.** titulo ultimi finis: sicut enim est omnium α et principium, ita est omnium ω et finis. Quod si tale est Dei dominium in nos, quale nostrum erga ipsum obsequium esse oportet, quam

universale, perpetuum, promptum et perfectum, ut holocausti instar toti impendamur ejus honori et voluntati. Cf. Scheeben § 87.

Articulus II.
De cognitione Dei.

71. Ad considerationem divini intellectus accedentes ea supponimus, quae per se evidentia sunt. Supponimus scil. **1.** Deo competere intellectum eumque infinitum; **2.** objectum intellectus divini princeps esse ipsam divinam essentiam, in qua et per quam possibilia omnia intuetur; **3.** Deum cognoscere quaecunque physica necessitate fuerunt, sunt et erunt. Nam secundum s. Paulum Hebr. 4, 13, *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Quibus praesuppositis sit:

Thesis XCVII. ***Deus cognoscit futura libera; neque propterea est, cur aliqua hominum libertati pernicies imminere timeatur.***

72. **Demonstratio p. I.** Deum praescire futura libera probatur

1. ex vaticiniis divinitus inspiratis; quare Tertullianus adv. Marcionem II, 5: „Praescientia Dei tantos habet testes, quantos fecit prophetas.“ Quod vel gentes novisse oraculorum consultatio testatur.

2. „Confiteri Deum et negare praescium futurorum apertissima insania est,“ scribit verissime s. Augustinus de civit. Dei V, 9. Hanc enim cognitionem exigit ejus providentia et summa perfectio; nam ea cognoscere sane magna est perfectio, necessaria plane ad providam creaturarum rationalium in suum finem dispositionem.

3. Necessarium non est in comprobanda hac veritate, quam s. Scriptura tam evidenter inculcat et supponit, diutius immorari. Ea proponitur [1]) Eccli. 23, 28 s.: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia.* Ib. 39, 24 s.: *Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A seculo usque in seculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus.* Quapropter conc. vaticanum definit sess. 3 de Deo o. rer. Creat. cap. 1: „Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.“

73. **Demonstratio p. II.** Potius ostendendum est, nullam idcirco imminere libertati creatae perniciem, ut timuit Cicero de divinat. daem.

---

[1]) Cf. etiam Eccli. 42, 16 ss.; Is. 41, 22 s.; 44, 7 s.; 46, 10 etc. Fuse eam probat Hense in fasc. lit. Katholik 1872. II, 1 ss.; Schwane das göttl. Vorherwissen und seine neuesten Gegner, Monasterii 1855.

l. 2; quod patribus praeeuntibus, praesertim Augustino et Boëthio praestabimus. Patres ita fere disserunt: Deus cognoscit et praescit res uti eae sunt et geruntur. Atqui electiones nostrae liberae sunt libereque eliciuntur. Ergo Deus videt et praevidet nostras electiones, ut sunt liberae. Quare Dei praescientia non aufert, sed supponit, imo firmat nostram libertatem; falleretur enim Deus, si videndo nos libere agere, libere non ageremus. „Non igitur, inquit Augustinus de lib. arb. III, 3, per ejus praescientiam mihi potestas adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus praescientia non fallitur, adfuturam mihi esse praescivit.“ „Sicut tu, prosequitur c. 4, memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae sunt.“ Cf. etiam de civ. Dei V, 9. Boëthius de consol. phil. V pros. 3 ss. inter alia scribit: „Sicut scientia praesentium nihil his, quae fiunt, ita praescientia futurorum nihil his, quae ventura sunt, necessitatis importat;“ et iterum: „Video jacentem aliquem: necessitas ei non infertur a visione mea ut jaceat; sed potius a jacente mihi infertur necessitas ut videam.“ Hinc plures omnino patres statuunt [1]): „Praescientia non est rerum futurarum causa, sed quod futurum causa (seu ratio) est praescientiae; non enim ex praescientia consequuntur futura, sed ex futuris praescientia: neque ulla ratione causat (Deus) futura, quia praevidet;“ vel cum Damasceno in dial. cum manich. n. 79: „Vis praescia Dei non ex nobis habet causam: quod autem haec, quae facturi sumus, praevidet, ex nobis est. Nisi enim ea essemus facturi, neque ipse ea praevidisset, utpote non futura. Et praescientia quidem Dei verax est et infallibilis, at non ipsa est causa, ut omnino fiat, quod futurum est; sed quia nos acturi sumus hoc vel illud, ipse praenoscit.“ Cf. infra n. 80[1]; Anselmus de casu diab. c. 21.

74. **Scholion.** Multiplici modo distingui potest propositio, quae hac in quaestione opponi solet: Quod Deus praescit, necessario erit. Dist. **1.** necessario erit necessitate antecedente (seu consequentis) orta ex nexu causali inter praescientiam et actionem liberam praevisam, N.; necessario erit

---

[1]) Ita auctor quaestionum ad orthod. q. 58; cf. Origenes l. 7 in c. 8 ad Rom. n. 8; c. Cels. l. 2 n. 18 ss.; de or. 7; Hieronymus in Jer. 26, 3 et alibi saepe; Chrysostomus hom. 59 al. 60 in Matth. 18 n. 1; hom. 68 in Joan. n. 2; h. 27 in 1. Cor. n. 2; Cyrillus alex. l. 9 in Joan. 9; Augustinus de civ. Dei l. 5 c. 10; de unit. Eccl. n. 23; tr. 53 in Joan. n. 4; Gaudentius brixian. tract. 3 de paschate; Epiphanius haer. 38 n. 6; Theodoretus in Psalm. 57, 4; in Rom. 8, 30; Rab. Maurus ep. 6; Hugo a s. Victore sentent. l. 1 c. 12 etc. Cf. Molinam de concordia disp. 47 ss. et Francisc. Romaeum magistrum general. ord. Praed. in lib. de libertate et necess. operum c. 49, qui candide fatetur: »Si ad antiquos doctores te convertas, reperies fere omnes in hanc unam convenisse sententiam, scil. non ex eo, quod Deus novit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit. Sic enim loquuntur Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Origenes, sic plerique orthodoxi proceres.« Cf. Thomassinus VII, 3 ss.

necessitate consequente (seu consequentiae), quae oritur ex ipsa libera voluntatis electione, quam infallibiliter praevidet Deus aliud praevisurus, si voluntas aliter elegisset, Conc. Dist. **2.** cum s. Thoma 1 p. q. 14 a. 13 ad 3: Est necessarium secundum rem, N.; secundum dictum, Conc.; vel **3.** in sensu diviso, N., in sensu composito, Conc.; vel **4.** est necessario necessitate eventus, quae oritur ex determinatione causae, N.; necessario erit infallibilitate eventus, quae oritur ex certitudine praescientiae divinae, Conc.

Quod si in divinis literis Deus subinde exhibetur dubius circa eventum futurum, ut Is. 5, 4 et 7; 6, 10; Ez. 2, 5; Joan. 4, 10; 5, 46 etc., notetur **1.** vel Scripturam de Deo nonnunquam modo humano loqui; vel **2.** ut ait s. Gregorius M. hom. 9 in Ez. 8, »per hoc quod dicitur *si forte audiant* (Ez. 2, 5), quia ex magna multitudine pauci audituri sint, demonstrari. Per dubitationem ergo sermonum Dei quid significatur aliud, nisi paucitas auditorum?« Vel **3.** »illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.« ut inquit Augustinus tract. 37 in Joan. n. 3. Vel **4.** »verbum ambiguum *forsitan* majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex praescientia ejus quasi necessitate facere quid vel non facere cogatur,« ut censet Hieronymus in Jerem. 26, 3. Ceterum **5.** particula 'ulaj quae l. c. occurrit, non semper significat dubium vel loquentis spem, sed est particula conditionalis. Pariter particula ἄν non semper dubium designat, sed idem saepe valet atque utique vel redundat.

75. **Thesis XCVIII.** ***Ad divinae scientiae amplitudinem eorum quoque liberorum actuum certa infallibilisque cognitio pertinet, qui licet nunquam exstituri sint, exsisterent tamen, si certa quaedam conditio poneretur.***

Declaratio. Triplicis generis futura distingui possunt **a.** necessaria, quae scil. causas creatas vi legum naturalium physica necessitate consequuntur, ut ex. gr. aliqua eclipsis solis; **b.** libera, quae pendent a libera creaturarum rationalium voluntate, ut fuit ante eventum negatio, qua Petrus negavit Christum: de his locuti sumus n. 72; **c.** conditionata, quae futura revera essent, si certa conditio poneretur: nunquam tamen erunt, quia nunquam ponitur conditio. De horum scientia hac in thesi loquimur.

76. **Demonstratio. 1.** Vindicatur Deo haec scientia auctoritate Scripturae in qua Deus passim non conjectando, sed pro certo praedicit, quid libere facturi sint homines sub conditione, quae tamen nunquam posita fuit. Cognoscit ergo Deus ejusmodi futura conditionata. Ita Matth. 11, 20 s.: *Tunc coepit* (Jesus) *exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi, Corozain; vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* 1. Reg. 23, 7 ss. David fugiens regem Saul Ceilam se receperat; quo audito Saul urbem expugnare cogitavit. Quapropter David consuluit Dominum: *Si descendet Saul sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David:*

Si tradent me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. Quo audito aufugit, unde nec Saul descendit, nec ceilitae Davidem tradere poterant. Est hic sermo de eventu futuro libero (*tradent*) sub conditione (*si descendet*), quae ob Davidis fugam non fuit adimpleta. Cf. Ex. 3, 19; Jer. 38, 17; Ez. 3, 4 ss.; Luc. 22, 67 s., ex quibus similis formae argumentum potest institui. Cf. Lessius de gratia efficaci c. 19 s.

2. Vindicatur auctoritate patrum, qui passim quaerunt, cur Deus creaverit daemones, quos praesciret lapsuros; cur permiserit Evam tentari a diabolo, cum illius praevideret consensum; cur gentibus quibusdam evangelium non praedicetur etc.; quibus quaestionibus ita respondent, ut ratum habeant, Deum jam ante creationis decretum novisse futura libera, quae sub qualibet conditione exstitura essent, et secundum hanc scientiam sua moderatum esse decreta. Probatur

3. ex disputatione catholicorum cum massiliensibus sec. V., qui Deo hanc scientiam vindicabant. Nunquam vero massilienses ideo erroris arguebantur, sed quod illius occasione errores tuebantur.

Cum enim ab eis quaererent catholici, quare ex duobus infantibus, qui mox post nativitatem moriuntur, unus baptismatis consequatur gratiam, alter ea privetur: respondere solebant, ideo illum consecutum esse baptisma, quod Deus praevidit eum bene operaturum, si diutius vixisset; alterum vero gratia fuisse privatum, quod Deus praevidit eum in hypothesi longioris vitae male operaturum. Quod si Augustinus horum futurorum praescientiam denegare videtur Deo, distinguatur quaestio de re a quaestione de nomine: quaestio scil., num Deus haec libera conditionata cognoscat, a quaestione, num talis cognitio possit vocari praescientia. Hoc alterum est quod negat Augustinus. »Quid? quod ipsa omnino exinanitur praescientia, inquit ipse de anima et ejus orig. I, 12, si quod praescitur, non erit. Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod non est futurum?« scil. quod revera non est exstiturum, deficiente conditione. Cf. de dono persev. n. 22. 23; de praedest. Ss. n. 17. 24. Rem vero ipsum agnovisse liquet ex l. de corr. et gr. c. 8 n. 19: »Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitae hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum et ne fictio deciperet animas eorum (Sap. 4, 11)? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.«

4. Probatur thesis ex praxi Ecclesiae communique fidelium sensu recurrentium in suis orationibus ad Deum, ut velit hoc vel illud ipsis concedere vel ipsos ab hoc illove periculo liberare, si quidem praevideret, ad eorum salutem id prodesse. Supponit ergo fidelium sensus Deum praescire quid sub quavis conditione possibili futurum sit. Unde belle dixit Ludovicus legionensis O. S. Aug. hanc scientiam tot pro se habere doctores, quot homines sunt in mundo.

5. Vindicatur vel ipsa gentilium hac in re conspiratione: qui ideo consulebant oracula in rebus dubiis, quod certissime credebant, Deum scire, quid eventurum esset sive hoc sive aliud eligerent.

6. Ratione denique probatur haec scientia Deo inesse, tum quia summa est perfectio, cujus etsi minimo in gradu participes sunt creaturae rationales pro gradu perspicaciae luminis intellectualis: cf. 2. Reg. 19, 7; 3. Reg. 12, 7; Jo. 11, 21 etc.; tum quia ea non admissa explicari nequit. quomodo Deus provide sua decreta circa naturas liberas condere possit, vel harum libertas salva incolumisque maneat. Hinc legimus de justo, qui non diu vivit, Sap. 4, 11: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus aut ne fictio deciperet animam illius.* Regitur ergo Deus in sua providentia hac cognitione, ut hoc vel illud periculum et malum a suis avertat dilectis. Et sane sine hac cognitione poterit Deus tentare, non certo disponere et praedestinare opera sua circa homines.

»Consentaneum enim est, inquit Gregorius nyssenus in orat. de iis, qui immature abripiuntur, eum qui futurum aeque ac praeteritum cognoscit, progressum infantis ad adultam aetatem prohibere, ne malum perficiatur, quod in eo, si ita victurus esset, vi praescia cognitum est . . . Hoc de morte infantium opinamur, quod qui ratione omnia facit, ex benignitate sua materiam subtrahit improbitatis, non concedens tempus liberae electioni per vim praesciam cognitae, ut per opera in nequitiae fastigio sese exserat.« Ita et Gregorius M. Moral l. 33 c. 9 docet, justis prodesse, si subinde vexentur, »quia mira potentia praevidet Deus, quod si quieti et liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes mentes prostratae vulneribus jacerent.« Cum ergo tot tantisque argumentis haec scientia Deo vindicetur, nihil mirum, si nunc a nullo theologo catholico in dubium revocatur. Si qua est controversia, tota circa illius medium versatur. Cf. Franzelin thes. 45; Suarez in opusc. de scientia Dei futurorum conting.; Stentrup th. 28 s.; Tüb. Qtlsch. 1850 p. 495 ss. et egregiam prorsus disput. Bastidae in congr. de auxiliis apud Liv. Meyer hist. l. 5 c. 43, qui c. 45 alia prolixa disputatione ostendit, hanc cognitionem in Deo esse certissimam, nullatenus conjecturalem.

77. **Scholion.** Quaedam de perfectione divini intellectus, de medio in quo res cognoscit et de potioribus scientiae divinae partitionibus addamus.

I. Quod *perfectionem divini intellectus* divinaeque cognitionis attinet, ea ex quadruplici fonte dimanat. Sane consideretur

1. illius objectum; illud tam late patet, quam verum, quam intelligibile.

2. Ipse intellectus, quatenus vis est intelligendi; infinitae is est virtutis et perspicaciae. »Deus, inquit s. Bernardus de consid. V, 4, scientiarum Dominus est, qui solus solam nesciat ignorantiam, qui totus sit lux, et tenebrae in eo non sint ullae, totus sit oculus et minime aliquando fallitur, quia minime clauditur; qui extra se non quaerat lumen, cui admoveatur ut videat, ipse qui videt, ipse unde videt.« Consideretur

3. modus, quo intellectus suum attingit amplissimum objectum; illud attingit neque successive, neque discursu, neque etiam attingit singula objecta

sejunctim et confuse, sed unico actu simul omnia et singula intuetur, minima etiam et vilissima, idque distinctissime, summa perspicuitate summoque ordine. »Cum dempsero, scribit Augustinus ad Simplic. II. q. 2 n. 3, de humana scientia mutabilitatem et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transsilimus, unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam (1. Cor. 13, 9): cum ergo haec cuncta detraxero et reliquero solam vivacitatem certae atque inconcussae veritatis una atque aeterna contemplatione cuncta collustrantis, imo non reliquero (non enim hoc habet humana scientia), sed pro viribus cogitavero insinuatur mihi utcunque scientia Dei.«

4. Consideretur tandem accuratius scientia exinde efflorescens. Ea censeri debet lucidissima, quae veri nominis sit intelligentia propter cognitionem principiorum, scientia propter cognitionem conclusionum, sapientia, propter cognitionem omnium ex altissima causa, comprehensiva, unico contenta actu, in qua omnia facta et non facta, etiamsi per se vita careant, vita sunt. Quod ita declarat s. Augustinus tract. 1 in Joan. n. 17: »Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quae videtur oculis. In arte invisibiliter est: in opere visibiliter erit . . . Attendite ergo arcam in arte et arcam in opere. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres carissimi, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quae fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra. Coelum vides, est in arte coelum. Solem et lunam vides, sunt et ista in arte: sed foris corpora sunt, in arte vita sunt [1].« Hinc in scientia divina, ut scribit Augustinus de civit. Dei XI, 10 »sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum [2]) etiam visibilium et mutabilium, quae per istam factae sunt, quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quae noverat.« Censeri deinde debet scientia divina non accidens, sed substantia, aeterna atque immutabilis, nec theoretica tantum et infecunda, sed practica, summe efficax et causa rerum,

---

[1]) Huic considerationi innititur divisio cognitionis angelicae apud eundem s. doctorem in matutinam, qua angeli res creatas in arte divina, in rationibus aeternis vident, et in vespertinam, qua illas in se vident. »Cognitio creaturae, inquit de civ. Dei XI, 7, in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur velut in arte, qua facta est. Ideo vespera congruentius quam nox dici potest.« Cf. Thomas in 1 dist. 36 q. 1 a. 3 ad 2. 3; Scheeben § 94.

[2]) Hae rationes rerum sunt ideae divinae, quas idem s. doctor ita describit l. 83 qq. q. 46: »Sunt namque ideae principales formae quaedam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur. Et cum ipsae non oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri et interire potest et omne quod oritur et interit.« Cf. Thomas 1 p. q. 15; quodlib. 4. q. 1 a. 1; Ruiz de ideis, de veritate ac de vita Dei.

hinc summa prudentia, quia perfecte complectitur rectam rationem agibilium et ars nobilissima, quia continet rectam rationem factibilium. Praeclare eam ita describit s. Bonaventura Breviloquii p. 1 c. 8: »Et quia ipsa non tantum est cognoscitiva, sed est etiam ratio cognoscendi omnia, ideo in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, dicitur lux; in quantum est ratio cognoscendi visa et approbata, dicitur speculum; in quantum est ratio cognoscendi praevisa et disposita, dicitur exemplar; in quantum est ratio cognoscendi praedestinata et reprobata, dicitur liber vitae. Est igitur liber vitae respectu rerum, ut redeuntium; exemplar ut exeuntium; speculum ut euntium, lux vero respectu omnium. Ad exemplar autem spectat idea, verbum, ars et ratio. Idea secundum actum praevidendi; verbum, secundum actum proponendi; ars secundum actum prosequendi; ratio, secundum actum perficiendi, quia superaddit intentionem finis. Quia vero haec omnia unum sunt in Deo, ideo frequenter accipitur unum pro alio.« Eadem quoque Dei cognitio rationem etiam habet praescientiae, visionis et memoriae prout ejusdem objectum erit vel est vel fuit. Cf. Damianus opusc. 36; Suarez de Deo III, 1 ss.; De Sant. 1 p. III c. 4.

78. Qua occasione quaeritur, *quo sensu sit Deus summa veritas.*

1. Censeri debet veritas prima objectiva et fundamentalis, tum quia est primum objectum intelligibile ideoque ratio et fundamentum cognitionis, tum quia est mensura, regula et exemplar omnium possibilium, ratio omnia determinans. Cf. Thomas 1 q. 14. 16.

2. Deus est prima veritas formalis, quae continetur adaequatione intellectus cum objecto; nam divinus intellectus adaequat perfectissime suum objectum princeps i. e. divinam essentiam, quae omnium est mensura, regula et exemplar, et quidem per identitatem.

3. Deus est veritas originalis seu fons omnis veritatis, quae ab eo non solum revelatione in nos derivatur, sed et creatione, vi cujus veritas redundat in creaturas, ex creaturis in intellectum, ex intellectu in mores, in verba, in reliqua signa. Denique

4. Deus ratione sanctitatis est summa veritas moralis, quae fallere non potest. Cf. Lessius l. VI; Scheeben § 83. 90 ss.

79. **II.** Ut *de medio divinae scientiae* aliqua dicamus, sciendum est, nomine medii cognitionis illud intelligi, quod est causa seu melius ratio, cur aliquid cognoscatur. Cum autem multiplex distinxerimus divinae scientiae objectum, quid de ejusdem medio tenendum sit, paucis explicabimus.

1. Essentiam suam Deus cognoscit absque ullo medio a se distincto, sed per se ipsam: neque mirum, nam intellectus cum ipsa identificatur.

2. Possibilia cognoscit Deus in sua essentia, quae est medium cognitum, quo creaturas possibiles quoad essentias et proprietates cognoscit: sunt enim possibilia totidem imitamenta, repraesentationes, adumbrationes essentiae perfectionisque divinae.

3. Res creatas videt Deus in primis in suis decretis atque ideis archetypis. Hinc Dionysius Areop. de div. nom. c. 7 n. 2 scribit: »Non habet Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero in communi res ceteras comple-

ctentem; ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens nullo modo ea, quae ab ipsa sunt et quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas novit.« Quae tamen non ita exclusive accipienda sunt, ut non etiam vere dici possit, Deum videre res creatas in se ipsis. Non desunt enim qui tueantur, Deum videre res creatas etiam in semetipsis: quo tamen non dicimus, res esse causam proprie dictam scientiae divinae, sed significamus, Deum res creatas cognoscere etiam secundum seipsas, adeo ut scientia divina terminetur in ipsis, et ipsae secundum suum esse reale et objectivum terminus sint divinae scientiae. Cf. Franzelin th. 39; sed Kleutgen q. 3 c. 2 a. 14 statuit, »ex veterum communi sententia dicendum videtur: Deus creata non cognoscit nisi in se ipso« non solum tamquam medio quo, sed tamquam medio in quo, ut ipse se explicat.

80. *Quo medio praevideat Deus futura libera.* Longe acrior est controversia de medio, quo Deus cognoscit futura libera. Qua de re censemus

1. Deum futura libera sive absoluta sive conditionata non videre in suis decretis voluntatem liberam antecedenter ad actum praedeterminantibus. Ejusmodi enim decreta **a.** non videntur posse bene conciliari cum libertate creatae voluntatis; neque **b.** cum illa non paucorum patrum doctrina (n. 73), non ideo futura libera esse, quia a Deo videntur, sed ideo videri, quia erunt. »Illud scire interest, inquit Damascenus F. O. II, 30, Deum omnia quidem praescire, sed non omnia praefinire. Praescit enim ea, quae in nostra potestate sunt, at non idem ea praefinit. Nec etiam malitiam patrari vult, nec rursus virtuti vim affert.« Neque juvat **c.** provocare sive ad Scripturae [1]), sive ad patrum dicta, quibus affirmant, Deum omnia scire in decretis suis immutabilibus et in quantum est omnium causa. Haec enim α. non ita intelligi possunt, ut pereat libertas. β. Si ea presse sumuntur, Deus constituitur auctor peccati. Deinde γ. in ejusmodi testimoniis saepe sermo est de effectibus, qui vel a solo pendent Deo, vel a causis necessariis, vel de iis decretis, quae reguntur praescientia futurorum liberorum, ideoque eam jam praesupponunt. Praeterea δ. licet sensu latissimo sumantur illa verba: *Deus facit ventura* vel similia, omnia tamen exigunt, ut dicamus, Deum aliter facere ea, quae pertinent ad ordinem moralem, qui naturae vires non excedit; aliter ea, quae spectant ad ordinem supernaturalem; aliter denique mala moralia, si sensu aliquo sano dici possit, Deum haec facere. Ceterum ε. non videmus, qua exegesi ejusmodi theoria ex plerisque effatis, quae pro ea afferri solent, inferri possit, cum non necessario exigant decreta voluntatis divinae actus physice praedeterminantia. Nam certum est, nihil exstiturum esse Deo non volente vel non permittente (n. 87). Quare verissime dici potest, Deum omnia videre in suis decretis, quibus singula vult vel permittit. Sed haec ipsa decreta divina jam praesupponunt, ut sint provida et liberum non perimant arbitrium, cognitionem certam omnium, quae sub qualibet conditione sint futura: nisi forte quis dicat, Deum etiam futura conditionata cognoscere in decretis suis conditio-

---

[1]) Ephes. 1, 11: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae;* Prov. 21, 1; *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud;* Is. 45, 11 sec. LXX: ὁ Θεὸς . . . ὁ ποιήσας τὰ ἐπερχόμενα. Cf. Hense in Katholik 1873 II, 525 ss.; Franzelin thes. 43; Thomassinus VII, 3 ss., qui copiose ex patribus decreta praedeterminantia rejicit.

natis, quibus scil. Deus decernit, ad quid voluntatem creatam in qualibet conditione velit praedeterminare, quam miram opinionem egregie refellit Bastida l. c. c. 47. Ergo non vi decreti primum scit Deus, quid futurum sit sub determinata conditione, sed tantum illius futuri liberi actualem exsistentiam.

2. Ad explicandam praescientiam futurorum sufficiens non videtur sententia, quae contendat, Deum ideo cognoscere futura libera, quod hinc quidem ea vere exstitura sunt, inde vero intuitus Dei aeternus ac prorsus immutabilis est, ita ut aeternitate sua omnia transgrediatur tempora: hinc consequi, omnia Deo in sua aeternitate esse praesentia ideoque ab eo videri; nam aliis praetermissis, haec solutio non est adaequata, nec nodum difficultatis, quae inest huic mysterio, solvit: nam Deus haec futura libera videt, antequam eorum exsistentiam decernit, ideoque antequam ea exstitura cognoscit, per scientiam mediam; unde scientia visionis non est primus fons, ex quo hanc cognitionem hauriat. Cf. Becanus c. 10 q. 10; Vasquez in 1 p. d. 64.

3. Adaequate tunc tantum solvitur nodus quaestionis, cum explicatur modus, quo Deus videt futura conditionata, inter quae recenseri debent etiam futura libera absoluta ante conceptum decretum de condendo mundo. Qua de re duplex est sententia, quarum una a theologis non paucis iisque haud spernendis (Henao laudat biscentos) defendi solet: ideo scil. videre Deum futura libera sub conditione nunquam ponenda exstitura, quod hinc quidem illius intellectus, utpote infinitae perfectionis summe est perspicax atque ad omne verum perspiciendum determinatus, adeo ut nulla particula veri eum effugere possit: inde vero negari nequit, haec futura veritatem habere determinatam, semper enim verum est, creaturam liberam hac illave conditione posita hoc illudve esse acturam. Cf. in primis Suarez de scientia fut. conting. et proleg. 2 de gratia: Franzelin th. 42 ss.; — Bellarminus de gr. et lib. arb. IV, 15 cum Becano aliisque censet, Deum praevidere futura libera sive conditionata sive absoluta in comprehensione libertatis creatae. Cui tamen sententiae illud opponi solet, cum ea consistere non posse vel actuum libertatem vel praescientiae infallibilitatem; eatenus enim Deus infallibiliter ex voluntatis comprehensione cognoscere posset, quid ea actura esset, quatenus inter actum primum et secundum nexus esset ex se infallibilis; atqui tali nexu admisso perit voluntatis indifferentia, in qua consistit ipsa libertas.

In tanta hujus mysterii obscuritate praeplacet nobis responsio s. Augustini in Ps. 49 n. 18: »Ne forte hoc a me, fratres, exspectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo; non sic cognoscit, ut angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent, omnia noverat Deus.« Vere proinde *mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam* Ps. 138, 6.

81. **III.** Restat, ut *de potioribus divisionibus scientiae divinae* loquamur. Fundamentum distinctionis non aliunde petitur, quam ex objecti cogniti diversitate, quod Deus simplicissimo actu attingit. Ex objectis enim

1. alia necessaria sunt, alia ita exsistunt, ut non esse etiam possent seu sunt contingentia, eo quod eorum exsistentia pendet a libero arbitrio sive Dei sive etiam creaturae. Scientia Dei, quatenus priora attingit, dicitur a recentioribus necessaria vel naturalis: quatenus altero loco recensita intuetur, libera sive contingens.

2. Iterum objectorum alia sunt physice exsistentia, alia tantum possibilia. Illa Deus velut coram se intuetur, haec mente ac intelligentia comprehendit. Exsistentium cognitio scientia visionis dicitur, possibilium comprehensio scientia simplicis intelligentiae.

De scientia media. — **3.** Inter utriusque divisionis membra interseritur claritatis gratia, non spiritu novitatis, tertia scientia, quae ratione loci intermedii, quem occupat, scientia media dicitur, eaque versatur circa futura libera conditionata. Jure autem occupat locum intermedium, convenit enim cum utroque membro utriusque divisionis, sed simul etiam ab utroque discrepat. Sic ex. gr. cum scientia naturali convenit, quia antecedit omne decretum liberum voluntatis divinae; sed discrepat etiam ab illa, eo quod aliud atque aliud Deus cognoscere posset pro diversa libera voluntatis creatae determinatione sub eadem conditione: ideoque convenit cum scientia libera et contingenti, a qua tamen iterum differt eo, quod non supponit decretum actu in Deo exsistens, quo decernat eorum exsistentiam. Actus quoque, qui ejus sunt objectum et futuribiles dicuntur, medii sunt inter actus mere possibiles et vere futuros. Non desunt tamen graves theologi, qui cum ultro Deo cognitionem actuum liberorum conditionatorum vindicant, adaequatam censeant partitionem scientiae divinae in scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiae illamque, quae media dicitur, ad hanc revocant. Ita Salmeron, Valentia, Vasquez, Bellarminus, Ysambertus etc.; ita et veteres scholae theologi. Quare in hac materia sedulo distinguatur quaestio de re a quaestione de nomine, quae indifferens censeri potest, non vero illa.

4. Alia partitio est in scientiam approbationis Ps. 1, 6; 2. Tim, 1, 19 etc. et reprobationis Matth. 7, 23; Luc. 13, 27; prout cognitio Dei adjunctum habet actum voluntatis complacentiae vel aversionis. Medium locum inter utrumque membrum occupat scientia simplicis notitiae, quae scil. nullum ejusmodi actum voluntatis comitem habet. Nomine tamen scientiae approbationis veteres theologi intelligebant etiam scientiam Dei practicam, quae rerum effectioni praelucet. Aliae distinctiones minoris sunt momenti atque ex ipsis, quibus enunciantur terminis, intelliguntur. De divisione scientiae Dei in speculativam et practicam cf. Thomas in 1 p. q. 14 a. 16; et de toto hoc argumento opus egregium Did. Ruiz de ideis et vita Dei; de scientia media cum utilitate legetur Mannhart ingenua indoles scientiae mediae.

Articulus III.

De voluntate Dei.

82. Quae voluntatem Dei spectant, revocare possumus ad ejus objectum, praerogativas, varias partitiones, actus.

§ 1. De voluntatis divinae objecto.

83. De objecto voluntatis divinae disserentes supponimus: **1.** Divinae voluntatis objectum princeps, quod ipse necessario amat, esse divinam essentiam seu bonitatem; **2.** objectum secundarium illudque simplici complacentia necessario dilectum, esse ipsas creaturas possibiles; **3.** voluntatem divinam etiam circa creaturas, si quae sunt, versari; **4.** objectum formale motivum et adaequatum divinae voluntatis esse ipsam

divinam bonitatem; **5.** nullum malum qua tale objectum esse divinae voluntatis; **6.** malum vero sive poenae sive defectus naturalis per accidens objectum esse posse divinae voluntatis. Haec enim vix ullam prae se ferunt difficultatem. Cum vero de malo culpae specialis sit difficultas, accuratius de ea agemus.

84. **Thesis XCIX.** ***Deus, quamvis malum culpae velle aut intendere nequeat, salva tamen sua sanctitate permittere potest.***

Declaratio p. I. Thesis est contra quosdam e reformatoribus sec. XVI. et etiam contra haereticos veteres, intra quos mediam tuetur Ecclesia sententiam, ut notat s. Augustinus in l. de haeresibus c. 65. 66: »Coluthiani a quodam Colutho (c. a. 316), qui dicebat Deum non facere mala, contra illud, quod scriptum est: *Ego Deus creans mala* (Is. 45, 7); floriniani a Florino (c. a. 180), qui e contrario dicebant Deum creasse mala, contra id, quod scriptum est: *Fecit Deus omnia et ecce bona valde* (Gen. 1, 31), ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala poenas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturae atque substantiae, uti Florinus errabat.« Non intendimus in thesi demonstrare, Deum peccare non posse, quod vix quisquam neget; sed ostendemus, nullatenus posse admitti impiam eorum opinionem, qui censeant, Deum ab aeterno velle, decernere, praedestinare peccata creaturarum rationalium, et in tempore sive mediate sive immediate impellere homines ad peccandum. Id unum concedimus, Deum salva sua sanctitate posse permittere peccata et nonnisi, ea permissione supposita, eadem ordinare pro sua sapientia, bonitate et potentia in finem bonum. Quae assertio nullam quidem habet difficultatem theologicam, difficultatibus tamen exegeticis est obnoxia, cum locutiones aliquae ss. literarum adversariis favere videantur. Ea autem est de fide ex conc. tridentini sess. 6 can. 6: »Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, A. S.«

85. **Demonstratio p. I. 1.** Probatur ex divinis literis, quae vel

a. exhibent Deum gravissime prohibentem omne peccatum absque exceptione et peccatores severissime punientem. Quo vero gravior poena, eo magis manifestat, quantum displiceat culpa legislatori. Nulla autem poena major poenis aeternis, quibus Deus punit omne grave peccatum. Ergo quam maxime aversatur peccatum. „Vere injustum esset, inquit ad rem s. Athanasius de incarn. adv. apoll. II, 6, Dei judicium, quo condemnatur ille, qui peccavit; si enim implicitas peccato cogitationes molitus est Deus, quonam pacto condemnet eum, qui peccaverit?“ Nam „nullius rei, cujus est auctor Deus, ultor est ipse,“ urget merito Fulgentius ad Monimum I, 19; vel

b. diserte testantur, Deum abominari, detestari, odisse malum, iniquitatem: Ps. 5, 5: *Mane adstabo tibi et videbo: quoniam non Deus vo-*

lens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus . . . Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus; Prov. 15, 9: *Abominatio est Domino via impii;* Judith 5, 21; vel

c. ut motivum efficax ad sanctitatem sectandam malumque fugiendum proponunt Dei sanctitatem odiumque, quo malum aversatur; Lev. 11, 44: *Sancti estote, quia ego sanctus sum;* 19, 2; Matth. 5, 48: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est;*

vel **d.** negant Deum ratione suae sanctitatis ad peccatum pellicere posse; Eccli. 15, 12: *Non dicas, ille (Deus) me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii;* Jac. 1, 13: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator* (ἀπείραστος) *malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Probat autem apostolus propositionem suam, *Deum neminem tentare,* tum quod *Pater luminum* est v. 17, a quo nonnisi bona dimanant; tum quod *voluntarie nos genuit* v. 18 atque in filios adoptavit, quibus propterea nonnisi bonum vult. Neque his obsunt, quae alibi legimus, quod Deus quosdam tentet. Nam „aliter Deus tentat, inquit Ambrosius de Abraham l. 1 c. 8, aliter diabolus: diabolus tentat, ut subruat; Deus tentat, ut coronet.“ Cf. Tertullianus de orat. n. 8; Augustinus de dono persev. c. 6 n. 12. Quare Hab. 1, 13 legimus: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Quod si ne respicere quidem ad malum potest, quanto minus illud velle et intendere; hinc

e. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* 1. Jo. 3, 9; quo nihil efficacius, ut doceamur Deum non posse velle peccatum. Ideo

f. Scripturae tam instanter hortantur ad seriam poenitentiam, quod Deus nolit mortem peccatoris Ez. 18, 23. 32; 33, 11.

2. Probatur ex patribus, quorum hac in re unanimis est sententia, sive cum **a.** distinctione facta inter praescientiam et praedestinationem docent, Deum plura praescire, quam praedestinare. Praescit enim peccata, quae nullatenus praedestinat. Ita ex. gr. Augustinus de praedest. SS. c. 10: »Praedestinatio sine praescientia non potest esse, potest autem esse sine praedestinatione praescientia; praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus . . . praescire autem potens est etiam quae ipse non facit, sicut quaecunque peccata.« Cf. supra Damascenus n. 80; in primis Prosper in respons. ad capit. gallorum cap. 1. 3. 6. 11. 12. 14 et 15 cum subjectis sententiis, et respons. ad object. vincentianas (opusc. XXXV); Rabanus Maurus de praedest. Mig. 112, 1531 ss. etc. Sive cum **b.** explicant Is. 45, 7: *Faciens pacem et creans malum: ego Dominus, faciens omnia haec;* et similia Amos 3, 6. Distinguunt enim inter mala poenae et mala culpae, docentque Deum quidem illorum auctorem dici posse, nullatenus vero horum, quae

tantum permittit. Praetermissis aliis unus audiatur Basilius in praeclara hom. de hoc argumento n. 2: »Stultus est ac revera mente privatus et prudentia, qui dicit, Deum non esse. Similis autem huic est et nihil ab eo stoliditate differt qui malorum causam ait Deum esse. Nam par et aequale utriusque esse crimen arbitror, quoniam ambo similiter bonum Deum negant; ille quidem, dum non esse simpliciter affirmat, hic vero cum non esse bonum ipsum asserit. Nam si malorum est auctor, non est utique bonus. Quare utrimque est Dei negatio.«

3. Hanc vero reddit Maurus hujus asserti rationem [1]) op. theologici l. 2 q. 59 n. 30: „Cum malum consistat in privatione boni, non potest quis per accidens velle malum, nisi magis velit bonum conjunctum cum malo quam bonum, quo malum privat. Sed Deus non potest magis velle bonum conjunctum cum peccato, quam bonum, quo peccatum privat. Ergo Deus neque per accidens potest velle peccatum. Probatur minor: Nam peccatum privat debito ordine ad bonum divinum; sed Deus nullum bonum potest magis velle quam debitum ordinem ad bonum divinum. Nequit ergo velle bonum conjunctum cum peccato magis, quam bonum illud, quo peccatum privat."

86. **Scholion.** *Exceptioni occurritur.* — Non diffitemur, in divinis literis nonnulla occurrere testimonia, quae adversariis favere videantur, ut cum legitur Deus homines indurare, excaecare, tradere in passiones ignominiae, praecipere, ut maledicant (2. Reg. 16, 10). Respondemus, praecipere subinde significare idem ac permittere, cf. Marc. 10, 3 ss. col. Matth. 19, 7. 8; et generatim notari debet, genium esse linguae hebraicae, ut verba actionem proxime significantia de iis metonymice usurpentur, qui operis auctores non sunt, sed ejus praebent occasionem, cum illud non impediunt adeoque permittunt. Quare cum Deus peccata permittat, quae eo non permittente, non fierent: cum ea non impediat, quod tamen posset; iis sapienter utatur ad fines bonos, imo quandoque aliqua faciat, quae aliis peccandi occasionem (sed ex ipsorum malitia) praebent, quod ipse praevidet: non mirum, si pro hac duriori loquendi indole linguae hebraicae ipsi haec opera quodammodo tribuantur. Cf. th. 106 et 190; Petavius VI, 5.

87. **Demonstratio p. II.** Peccata fieri permittente Deo certum est, cum nihil contingat absque Dei voluntate vel permissione. Nam „nihil fit, inquit Augustinus de Trin. III, 4 n. 9, visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi imperatoris aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam praemiorum atque poenarum, gratiarum et retributionum, in ista totius

---

[1]) Haud spernenda est etiam ratio, quam affert s. Thomas 1 p. q. 19 a. 9 sub forma ‚Sed contra est‘: »Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Est autem Deus omni sapiente homine praestantior. Multo igitur minus Deo auctore fit aliquis deterior. Illo autem auctore fit aliquid, quod fit illo volente. Non ergo volente Deo fit homo deterior. Constat autem quod quolibet malo fit aliquis deterior. Ergo Deus non vult mala.«

creaturae amplissima quadam immensaque republica.“ Hoc autem non adversari summae Dei sanctitati, ostendi potest indirecte cum Augustino Ench. n. 95 s.: „Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum, Deum facere bene, etiam sinendo fieri quaecunque fiunt male; non enim hoc nisi justo judicio sinit: et profecto bonum est omne, quod justum est.“

Directe probatur assertio nostra hac ratione: Tunc tantum permissio mali adversatur vel sanctitati vel sapientiae, si **a.** ea efficaciter influit, ut malum peragatur; vel si **b.** quis tenetur malum impedire, nec adhibet media opportuna; vel **c.** si permissionem nullum consequitur bonum. Atqui permissio Dei **a.** non est quaedam conniventia, deterret enim Deus homines a peccando minis, poenis etc.; neque **b.** Deus tenetur impedire iis mediis malum, quae illud impossibile reddant: alioquin nunquam posset naturas liberas condere, quas sibi permittat, ut pro arbitrio agant ostendantque, quid valeant, quod tamen magnum est bonum etsi cum defectu conjunctum; enervaret virtutis studium alacritatemque, et malitia creaturae vinceret veluti Deum, ut notat Damascenus dial. c. manich. n. 72; quocirca iis tantum mediis tenetur uti, quae hinc quidem sufficiunt ad impediendum malum, inde vero non laedunt dignitatem conditionemque naturae rationalis. Ipsam vero permissionem **c.** consequuntur magna bona, quae cedunt in majorem Dei gloriam utilitatemque hominum. Nam, ut scribit Augustinus ib. n. 11, „neque Deus omnipotens . . . rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam et de malo;“ et op. imperf. c. Jul. V, 60: „Deus tam bonus est, ut malis quoque utatur bene, quae omnipotens esse non sineret, si eis bene uti summa sua bonitate non posset, et hinc potius impotens appareret et minus bonus, non valendo bene uti etiam malo.“ Et revera Adami culpa occasio exstitit redemptionis, qua tantopere Deus glorificatur; inimicorum Christi crudelitas probat martyrum constantiam, qua Deo nihil gloriosius; persecutiones exercent sanctorum virtutem etc. Ergo peccatorum permissio non adversatur Dei sanctitati. Cf. Thomas c. gentes III, 7; Lessius XI, 6.

§ 2. Praerogativae voluntatis divinae.

88. **Thesis C.** ***Inter ceteras, quibus voluntas divina excellit, praerogativas numerari debet libertas.***

Demonstratio p. I. Prima praerogativa divinae voluntatis est, quod unico purissimoque constat actu; altera consistit in hujus actus valore et virtute, vi cujus aequivalet innumeris re distinctis actibus, quorum perfectionem eminentissime possidet: hinc unus idemque volun-

tatis divinae actus est actus amoris, gaudii, odii, misericordiae etc. Tertia praerogativa est, quod hic actus non solum physice in ratione virtutis (scil. energiae) est perfectissimus et potentissimus, sed etiam in ordine morali insigni sanctitate omnique virtute excellit propter voluntatis cum essentia divina omnis recti norma identitatem. Praeclare s. Thomas c. gentes I, 92: „Oportet, sicut esse ejus (Dei) est universaliter perfectum, omnium entium perfectiones in se quodammodo comprehendens, ita et bonitatem ejus omnium bonitates in se quodammodo comprehendere. Virtus autem est bonitas quaedam. Virtuosus namque secundum eam dicitur bonus, et opus ejus bonum. Oportet ergo bonitatem divinam omnes virtutes suo modo continere, unde nulla earum secundum habitum in Deo dicitur, sicut in nobis. Deo enim non convenit bonum esse per aliquid aliud ei superadditum, sed per essentiam suam, cum sit omnino simplex. Nec etiam per aliquid suae essentiae additum agit, cum sua actio sit suum esse . . . Non est igitur virtus in Deo aliquis habitus, sed sua essentia [1].“ Quarta voluntatis divinae praerogativa est, quod ea nullius boni extra se est indiga, plane independens, omnem sufficientiam in se habens, omnis boni extra se uberrimus fons et causa; quinta est summa in decretis semel conceptis constantia et immutabilitas. Has excipit libertas, quam praerogativam Deo competere est de fide: nam conc. vaticanum sess. 3 cap. 1 definit, Deum libere mundum condidisse, et hunc statuit canonem (5): „Si quis . . . Deum dixerit, non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, A. S.“

89. **Demonstratio p. II.** Libertatem Dei, quae consistit non solum in immunitate a coactione, sed etiam in immunitate a quavis necessitate sive externa sive interna et quae complectitur expeditam eligendi facultatem dominiumque actus, vindicabimus contra plures, inter quos etiam recentiore aetate est Hermes Dogmat. I § 71 ss.

1. Probatur ex damnatione erroris Abaelardi, quem cf. supra 67[d].

2. Auctoritate Scripturae: 1. Cor. 1, 27: *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* etc.; Apoc. 4, 11: *Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam*

---

[1]) S. Bonaventura in Breviloquio p. 1 c. 9 ita scribit: »De voluntate Dei haec tenenda sunt, quod sic ipsa est recta, quod nullo modo possit obliquari; sic est efficax, ut nullo modo possit impediri; sic est una, ut tamen multiformiter habeat significari . . . ideo autem rectissima, quia idem in Deo est voluntas et veritas; ideo efficacissima, quia idem prorsus in Deo est voluntas et virtus sive potestas« etc. Cf. Lessius libr. 8. 9. 12. 13; Kleutgen instit. q. 3 c. 3 a. 5, ubi beviter de affectibus, qui Deo tribui possint, disserit; Scheeben § 96. 104.

erant et creata sunt; 1. Cor. 12, 11: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult;* Eph. 1, 4 et 11: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae;* Ps. 134, 6: *Omnia quaecunque voluit Dominus fecit in coelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis;* Rom. 9. 18; Dan. 3, 17 etc., quibus in locis tribuitur Deo eligendi potestas, rerum exsistentia refunditur tamquam in ultimam rationem in voluntatem Dei, et Deus dicitur omnia, quaecunque voluit, fecisse. Atqui haec loquendi ratio conciliari nequit cum voluntate ad unum determinata et supponit actum expeditum dominii et electionis, ut patet ex usu loquendi quotidiano. Accedit

3. suffragium patrum, de quo cf. Petavius V, 4, necnon praxis Ecclesiae et fidelium, qui a Deo beneficia postulant, pro acceptis gratias referunt. Ubi vero dominatur necessitas, nec petitioni, nec gratiarum actioni locus rationabiliter esse potest. Probatur

4. via excellentiae et causalitatis; negari enim nequit, eligendi facultatem actusque proprii dominium magnam esse perfectionem, quae reperitur tantum in nobilioribus creaturis; eminentissime ergo reperietur in Deo infinite perfecto libertatisque auctore.

5. Probatur ratione. Voluntas enim pondere irresistibili fertur tantum in bonum infinitum, in quo nulla mali macula vel boni defectus, quod unum ipsam explere et satiare potest; et in bona, si qua sunt, cum hoc necessario connexa. Atqui innumera sunt bona finita, quae non necessario cohaerent cum bono infinito, et quibus Deus nullo modo indiget. Circa haec ergo eligendi facultate potietur Deus. Ad haec „Deus volendo bonitatem suam, vult etiam alia a se, prout bonitatem ejus participant. Cum autem divina bonitas sit infinita et infinitis modis participabilis (etiam aliis modis quam ab his creaturis, quae nunc sunt, participetur): si ex hoc, quod vult bonitatem suam, vellet de necessitate ea, quae ipsam participant: sequeretur, quod vellet esse infinitas creaturas infinitis modis participantes suam bonitatem, quod patet esse falsum: quia si vellet, essent: cum sua voluntas sit principium essendi rebus, ut infra ostendetur: non igitur ex necessitate vult etiam ea, quae nunc sunt.“ Ita s. Thomas c. gentes I, 81 n. 3.

90. **Scholion.** Omissis difficultatibus, quae libertatem Dei in creando impetunt, haec *de concilianda immutabilitate cum libertate Dei* addimus:

a. In libertate creata tria distinguenda sunt: potentia, actus, terminus; in divina tantum duo: actus scil., qui cum potentia volendi identificatur eminenterque aequivalet multis re distinctis actibus, et terminus. **b.** Sicut libertas creata consistit in indifferentia potentiae ad actum et in dominio voluntatis hunc potius quam illum actum eliciendi: ita libertas divina consistit in indifferentia actus ad terminationem et in dominio illum unum actum ad hoc potius quam ad illud objectum terminandi seu applicandi, ex qua ter-

minatione rationem induit amoris vel odii pro diversitate objecti. **c.** Porro ad hanc applicationem nullus novus atque re distinctus actus requiritur: nam et voluntas creata non alio actu se determinat ad amandum et alio amat, sed uno eodemque se determinat et amat. Quare **d.** sine ulla mutatione reali libertatis exercitium in Deo quadamtenus saltem explicari poterit. Cf. Suarez metaph. disp. 30 sect. 9; Ruiz de volunt. div. disp. 11 ss.; Kleutgen Theol. der Vorz. t. 1 disp. 4.

§ 3. De potioribus voluntatis divinae partitionibus.

91. *De voluntate Dei antecedenti et consequenti.* — Inter potiores voluntatis divinae partitiones eminet distinctio in voluntatem antecedentem et consequentem, cujus partitionis mentionem faciunt Chrysostomus hom. 1 in ep. ad Ephes. n. 2 et Damascenus[1]), imo jam Tertullianus; eaque non differt ab illa, quae occurrit apud scriptores latinos recentiores, cum loquuntur de voluntate misericordiae et de voluntate justitiae. Nomine autem voluntatis antecedentis intelligunt patres voluntatem veram, sinceram, quae non ex hominum meritis, sed ex insita Dei bonitate progerminat eumque veluti primum occupat (unde et prima dicitur), quae non est sterilis, sed operosa. Haec voluntas antecedit praescientiam meritorum hominum eaque Deus vult etiam post praevisum Adami lapsum omnium salutem. Nomine autem voluntatis consequentis intelligunt patres eam, quae non est simpliciter Dei, sed solum quadamtenus, utpote quae non ex ipsa Dei natura sponte oboritur, sed hominum liberis malisque factis provocatur et ad quam Deus hominum malitia velut adigitur. Haec consequitur praevisionem peccatorum eaque vult Deus peccatores impoenitentes damnare, et quia haec voluntas secundo veluti loco est in Deo, post praevisam scil.

---

[1]) Dial. c. manich. n. 79 et F. O. II, 29: »Hoc itidem nosse oportet, Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes salvos esse et regni sui compotes fieri. Non enim nos, ut puniret, condidit: sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suae participes essemus. Peccantes porro puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum (εὐδοκία), cujus ipse causa sit: secunda autem consequens voluntas et permissio, ex nostra causa ortum habens eaque duplex: altera dispensatione quadam fit et ad salutem erudit, altera a reprobatione proficiscitur, ad absolutam poenam, ut diximus, pertinens.« Quod pro more acute expressit Tertullianus adv. Marcionem II, 11: »Ita prior bonitas Dei secundum naturam; severitas posterior secundum causam; illa ingenita, haec accidens; illa propria, haec accommodata; illa edita, haec adhibita; . . . alteram sibi, alteram rei (f. reis) Deus praestitit.« Cf. de resur. carn. n. 14; longe vero clarius aureis sane verbis s. Bernardus serm. 5 de nativ. Dom. n. 3: »Quod miseretur, proprium illi est; ex se enim sumit materiam et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus; ut longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur . . . Recte igitur non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed Pater misericordiarum . . . eo magis, quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro.« Cf. Passaglia de partitione vol. div. § 2 ss.; 28 ss.; 231 ss.

hominum malitiam, secunda etiam dicitur. Dicimus ita hanc partitionem intelligere patres; theologi enim nunc temporis libenter omnem Dei voluntatem, quae consequitur praescientiam, hinc etiam quae consequitur praescientiam meritorum et qua Deus absolute vult electorum salutem, consequentem vocant. Patres vero hanc revocant ad voluntatem antecedentem, quia revera ea idem vult, quod illa, quamvis jam absolute propter adimpletam conditionem.

Theologi scholae, quorum doctrinam ordine chronologico proponit D'Argentré in comment. hist. de praed. et reprob. (inter op. M. Grandin t. III) c. 11 sect. 2, solent docere, objectum voluntatis antecedentis esse naturam humanam, quam universam Deus, quantum est ex se, vult salvam fieri; objectum vero voluntatis consequentis esse personam cum actionibus seu adjunctis vel circumstantiis, sed quae sint ab ipsa persona. In plenissimo consensu cum patribus de voluntate Dei salutifera sincera atque plane universali et cum schola est s. Thomas, ut ex plurimis ejusdem locis, ubi de hac duplici voluntate disserit, est manifestum. Ita statuit in 1 dist. 46 q. 1 a. 1: »Consideratis omnibus circumstantiis personae sic non invenitur de omnibus bonum esse, quod salventur. Bonum enim est eum, qui se praeparat et consentit, salvari per largitatem gratiae divinae, nolentem vero et resistentem non est bonum salvari, quia injustum est . . . Ideo istum hominem sub istis conditionibus consideratum non vult Deus salvari; sed tantum istum, qui est volens et consentiens, et hoc dicitur voluntas consequens, eo quod praesupponit praescientiam operum, non tamquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti.« Et iterum ad 5. inculcat: »Dicendum, quod istae conditiones, quibus homo efficitur deordinatus a consecutione finis, sub quibus exsistentem Deus eum salvum esse non vult, sunt ex ipso homine et ideo totum, quod sequitur, sibi imputatur ad culpam [1]).« Inter primos, qui contra clara s. doctoris verba priorumque interpretum sensum hanc distinctionem dure explicant, est Did. Alvarez de auxiliis disp. 34, secundum quem voluntas antecedens ea est, qua Deus vult salutem omnium spectatam in se, praecisione facta ab eo adjuncto, quod omnium salvatio impediret majus bonum universale et pulchritudinem universi; voluntas vero consequens est, qua Deus considerato illo adjuncto boni majoris vult salutem praedestinatorum tantum, salutem aliorum non vult. Eum sequitur Estius, qui in ejusmodi argumentis caute est legendus. Cf. Franzelin thesi 37.

92. *Aliae partitiones voluntatis divinae.* — Hanc partitionem excipit ea, qua dividitur voluntas divina in absolutam et conditionatam. Voluntas absoluta talis est vel antecedenter, quae scil. independenter a conditionibus vult, ut terminus exsistat; vel consequenter, quae scil. vult exsistentiam termini verificata jam conditione. Cum ea nectitur

tertia partitio in efficacem et inefficacem sive quae quadamtenus non adimpletur. Hanc rejiciunt calviniani admissa unica tantum voluntate

---

[1]) Cf. etiam in 1 dist. 40 q. 4 a. 2; in 2 dist. 11 q. 1 a. 5 ad 4; in 3 d. 31 q. 2 a. 3 ad 1; 1 p. q. 19 a. 6; de verit. q. 13 a. 2. a. Eadem est doctrina s. Bonaventurae, ut praeclare ostendit Limbourg Zeitschr. für k. Theol. 1892 p. 582 ss.

Dei, scil. absoluta, invicta, qua Deus irresistibiliter sua decreta exsequitur, pro quo errore allegant Ps. 113, 3; 134, 6; Is. 66, 10; Rom. 9, 19. Porro admittendam esse aliquam Dei voluntatem, cui quadamtenus resistitur,

1. docent Scripturae, in quibus passim sermo est de voluntate Dei, quae non impletur, contra quam agunt impii. Ita Matth. 23, 37: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* Act. 7, 51 dicit s. Stephanus judaeis: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui s. resistitis sicut et patres vestri, ita et vos;* Ez. 18, 23; Is. 65, 12; Prov. 1, 24 etc. Sane

2. Deus sincerissime vult praeceptorum suorum observantiam, omnium hominum salutem, et tamen impii praecepta Dei non servant, nec omnes homines salvantur. Deinde qui peccant, vel agunt contra divinam voluntatem vel non agunt contra eam. Si non agunt contra eam, non peccant; peccatum enim est essentialiter transgressio divinae voluntatis. Si autem agunt contra eam, voluntas saltem praecipiens Dei non adimpletur. Sed

3. quamvis voluntas divina non semper adimpleatur, tamen propterea dici nequit victa; nam semper est victrix; tunc enim tantum voluntas vincitur, cum non solum non adimpletur, verum si etiam ejus dominium atque ultio effugitur. Atqui homo, etsi Deo praecipienti non paret, ideoque ejus voluntatem non facit, non potest se subtrahere Dei dominio nec impedire, quominus Deus voluntatem suam ipsum puniendo adimpleat. Quamvis ergo homo subtrahere se possit voluntati divinae inadaequate spectatae, misericordi scil. et praecipienti: nequit tamen vincere voluntatem Dei adaequate spectatam, qua vult, ut homines sua praecepta servent et ita consequantur praemium, aut si nolint obedire, subeant poenam. Quod ita expressit s. Anselmus in l. cur Deus homo c. 15: »Quamvis homo vel malus angelus divinae ordinationi subjacere nolit, non tamen eam fugere valet. Quia si vult fugere de sub voluntate jubente, currit sub voluntatem punientem.« Cf. Thomas 1 q. 19 a. 6. Rem vero Augustinus ita illustrat de Spir. et lit. c. 33: »Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt (cum ejus Evangelio non credunt): non ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ipse constituit. Qui enim dicit v. gr. volo, ut hi omnes servi mei operentur in vinea et post laborem requiescentes epulentur, ita ut, quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem, quicunque contempserit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si et pistrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.« Cf. Scheeben § 103. Bene Kleutgen etiam a. 10 notat, »non vincitur (voluntas Dei) hoc ipso, quod haec non fiant nisi Deo permittente; impletur, quia id, in quod operantis voluntas intendit, finis est; hunc autem Deus etiam in iis, quae se prohibente fiunt, consequitur. Finis enim, quem Deus extra se operans prosequitur, manifestatio suae bonitatis est; cui qui nolunt servire bene agendo, coguntur servire poenas sustinendo.«

Alia voluntatis divinae partitio est in voluntatem scil. spectatam secundum omnia auxilia, quae sunt in thesauris omnipotentiae (quibus Deus vel rebelles voluntates potest ad se compellere), et in voluntatem secundum au-

xilia, quae Deus actu confert. Quae distinctio admodum necessaria est ad illustrandam Augustini doctrinam, ut ostendit Franzelin th. 48.

Denique mentio fieri potest partitionis, quae praeter meritum quondam celebris fuit, qua voluntas divina distinguitur in voluntatem beneplaciti et voluntatem signi. Illius nomine (quod alioquin variae significationis est, significat enim subinde voluntatem Dei absolutam in oppositione ad voluntatem conditionatam, vel simplicem complacentiam) designatur omnis voluntas Dei vera et sincera; hac vero signum tantum voluntatis, quod metonymice dicitur voluntas. Enumerant autem theologi quinque ejusmodi signa, scil. praeceptum, prohibitionem, permissionem, consilium et operationem. Ab hac partitione non multum distat illa, qua voluntas Dei distinguitur in voluntatem arcanam et revelatam. Qua distinctione pessime abutuntur calviniani, secundum quos voluntas Dei revelata est etiam ea, quam Deus revera non habet, sed simulat se habere, quaeque saepe adversatur arcanae.

§ 4. Actus voluntatis divinae.

93. *De providentia Dei.* — Actus divinae voluntatis (ad extra) ad duo suprema genera revocari possunt, ad creationem scil. et providentiam. De creatione agitur in tr. sequenti. Providentiam vero hic non considerabimus secundum suam exsecutionem (hoc enim spectat ad diversos tractatus), sed tantum quatenus est ratio ordinis rerum in finem in Deo exsistens, ut eam definit s. Thomas 1 p. q. 22 a. 1. Ea pro diversitate finis et mediorum in naturalem et supernaturalem distinguitur. Nostrum non erit multis probare, generatim aliquam providentiam exsistere. „Universa enim, docet conc. vaticanum sess. 3 cap. 1, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter (Sap. 8, 1).“ Et revera, ut bene notat Lactantius de ira Dei c. 9 contra Epicurum: „Si est Deus, utique providens est ut Deus, nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et praeterita teneat et praesentia sciat et futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit (Epicurus), etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, et providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest.“ Neque necessarium erit demonstrare, Dei providentiam se extendere vel ad res minimas. Hoc enim passim docent Scripturae, Matth. 6, 26: *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit illa*; Ps. 146, 8; Job 37 ss. etc. Sufficiet divinam providentiam ea ex parte vindicare et illustrare, ex qua prae ceteris solet impugnari. Cf. Thomas c. gentes III, 64; Lessius l. XI et in egregio opusc. de numinis providentia.

94. **Thesis CI.** ***Immerito providentia Dei in dubium vocatur vel 1. propter mala, quae physica dici solent; vel 2. propter mala moralia, vel 3. propter inaequalem bonorum distributionem con-***

ditionemque fortunae, cum scil. saepe impii bonis hujus mundi abundent, dum iis justi destituuntur.

Demonstratio p. I. Nomine mali physici intelligimus defectus naturae atque ea, quae naturae damnum, dolorem ipsumque interitum afferunt, ut morbi, venena, calamitates publicae etc. Ob ejusmodi mala Epicurus teste Lactantio l. c. c. 13 negavit divinam providentiam.

1. Bene Augustinus in Ps. 148: „In officina non audet homo reprehendere fabrum, et audet reprehendere in hoc mundo Deum!“

Quae uberius ita illustrat de Genesi c. manichaeos I, 16: »Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero si in fornacem incautus ceciderit aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit: etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria et propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo, cujus conditor et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident: et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt etc.« De civ. Dei XI, 22. Cf. Thomas in symb. ap. n. 3 opusc. VI.

2. Si patres et vel ipsos philosophos consulimus, respondebunt nobis tantum abesse, ut mala obsint divinae providentiae, ut hanc potius commendent, quod similitudinibus rationibusque probant; similitudinibus ex. gr. oratorum, cantorum, pictorum, qui coloribus umbras, vocibus intercapedines canendi admiscent i. e. bonis eorum privationes, ad demonstrandam suam peritiam operisque perfectionem. Provocant ad rationes: **a.** totam scil. difficultatem praepostera inniti providentiae notione; neque enim hanc exigere, ut bonus provisor prae ceteris prospiciat bono particulari, sed in primis universali, quod quandoque exigit permissionem defectuum, qui cedunt quidem in quorundam damnum, redundant vero in bonum commune; **b.** perfectionem universi exigere varietatem, varietatem inaequalitatem bonorum, inaequalitatem vero sine aliquo mali afflatu esse non posse; **c.** praepostere haec mala judicari, quia nobis sunt mala nobisque non placent, cum aliis sint bona. Ad rem Arnobius adv. gentes I, 19: „Eventa haec omnia, quae fiunt et accidunt mole sub hac mundi, commodulis non nostris, sed ipsius pendenda sunt rationibus ordinibusque naturae.“

3. Si haec mala in lumine fidei considerantur, ea divinae providentiae non obesse longe facilius ostenditur. Ea enim sunt vel sequela peccati originalis, non igitur Deo, sed protoparentibus transgressoribus adscribi debent; vel plerumque poenae peccatorum actualium; occasionem

praebent satisfactionis et meriti simulque stimuli instar sunt, quo homines, ut sursum tendant, impelluntur, ne terram paradisum esse opinantes verae beatitudinis penitus obliviscantur.

95. **Demonstratio p. II.** In omnibus adversus divinam providentiam exceptionibus primum in memoriam revocentur verba s. Augustini c. adversarium legis et proph. II, 24: „Aut vero usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, et hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse et credat facere noluisse; aut voluisse quidem, sed minime potuisse. Avertat hoc Deus a cordibus nostris.“ Deinde eatenus mala moralia divinae obsunt providentiae, quatenus vel **a.** Deus illa non punit, vel **b.** illa ordinem a se statutum turbant, vel si **c.** Deus ex illis bonum elicere eaque ad finem universi ordinare non potest. Atqui certum est, Deum vel minimum peccatum poenitentia non deletum severe punire; certum est, peccatis ordinem a Deo statutum non turbari, cum nullum eo non permittente esse possit; certum denique est, Deum vel ex malis bona elicere iisque bene uti, „neque enim, ut inquit Augustinus de civ. Dei XI, 18, Deus ullum non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescivisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret atque ita ordinem seculorum tamquam pulcherrimum carmen etiam ex aliquibus antithetis honestaret.“ Et serm. 4: „Pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, et Deus nescit, ubi ponat peccatorem, ut sit ordinata creatura?“

96. **Demonstratio p. III.** Negari nequit, dispari fortunae conditione piorum et impiorum, illorum tristi, horum felici, plures etiam bonos commotos fuisse in fide circa providentiam Dei, ut de se testatur David Ps. 72, 2 ss.; cf. Job 21, 7 s.; Jer. 12, 1 s. Sed

1. haec inaequalitas plerumque exaggeratur, tum quia nec omnes impii bonis hujus mundi abundant, nec omnes pii iis destituuntur; tum quia non, uti par est, ratio habetur aliorum bonorum ut famae, sanitatis, filiorum morigerorum vel spiritualium bonorum animi, quibus etiam in egestate fruuntur justi, malorumque animi et reae conscientiae, timoris, aemulationis, invidiae etc., quibus iniqui vel inter delicias anguntur.

2. Eatenus ex his malis, quibus hinc inde premuntur justi, potest aliquid contra divinam providentiam excipi, quatenus justis obessent ad consequendam veram felicitatem. Atqui, inquit Augustinus [1]) de Trin. XIII n. 20, „prosunt ista mala, quae fideles pie perferunt, vel ad emen-

---

[1]) Cf. de Genesi ad literam XI, 6 ss.; de lib. arbitrio III, 5. 9 aliosque patres apud Thomassinum VII, 15 s.; 21 ss.; in primis Chrysostomum in l. ad eos, qui scandalizati sunt. Lege insignem diss. Keppler Das Problem des Leidens in

danda peccata vel ad exercendam probandamque justitiam vel ad demonstrandam vitae hujus miseriam, ut illa, ubi erit beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardentius et instantius inquiratur."

3. Vim haberet exceptio, si praesens vita stadium esset quietis, beatitudinis, remunerationis, termini. Atqui militia est vita hominis super terram, stadium agonis, laboris et meriti: quocirca durior est conditio militis strenui et fortis, quam ignavi et inertis: sed eo majus etiam praemium et splendidior palma. Ita sibi solvit psaltes l. c. v. 16 ss. dubium molestum: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me: donec intrem in sanctuarium Dei et intelligam in novissimis eorum . . : Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

4. Patres egregias plane rationes afferunt, ut ostendant, quam sapienter Deus inaequalem bonorum distributionem vel permittat vel etiam quandoque intendat. Ita Augustinus de civ. Dei I (qui totus huc spectat) c. 8: »Ostendit Deus saepe in his (bonis) distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos et avaros«. — Chrysostomus vero hom. 1 de statuis n. 6 ss. octo exponit causas hujus inaequalis distributionis: »Itaque prima est, quod ne facile in arrogantiam propter meritorum et miraculorum magnitudinem tollantur, ipsos (justos) Deus sinat affligi (Ps. 118, 71; 2. Cor. 12, 2 ss.). Secunda, ne ceteri majorem habeant de ipsis opinionem, quam humana patitur natura, et ipsos deos, non autem homines esse arbitrentur (2. Cor. 12, 6). Tertia, ut et Dei virtus appareat per aegrotantes et compeditos exsuperans et vincens ac praedicationem augens (ib. v. 9 et Act. 16, 22 ss.). Quarta, ut ipsorum patientia manifestior fiat, non propter mercedem hominum Deo servientium, sed et tantam exhibentium gratitudinem, ut et post tot mala sincera in ipsum benevolentia ostendatur (Job 1, 9 ss.). Quinta, ut de resurrectione cogitemus: cum enim virum justum et multa plenum virtute innumera passum mala et sic hinc digressum videris, vel invitus de futuro ibi judicio cogites oportet (1. Cor. 15, 23) . . . Sexta, ut omnes in res adversas incidentes sufficientem consolationem et mitigationem habeant in eos respicientes et malorum, quae ipsis accidere, memores (1. Thes. 2, 14; Hebr. 11, 32 ss.). Septima, ne, quando exhortamur vos ad illorum virtutem et cuique dicimus: imitare Paulum, imitare Petrum, propter gestorum subli-

---

der Moral, Friburgi 1894. Secundum Maurum op. theol. l. 2 q. 52 communis est theologorum sententia cum s. Thoma 1 p. q. 22 a. 2 etc. gentes III, 71 (cf. etiam in 1 dist. 44 q. 1 a. 2 ad 5; dist. 46 q. 1 a. 3 ad 6; in 2 dist. 23 q. 1 a. 3) mundum futurum minus perfectum, si Deus nulla permisisset peccata.

mitatem alterius ipsos naturae participes fuisse cogitantes ad imitationem torpeatis (Jac. 5, 17; Sap. 7, 1). Octava, ut, quando beatos vel miseros censere oportet, discamus, quos beatos, quos miseros et aerumnosos putare debeamus (1. Cor. 4, 11; Hebr. 12. 6).« Quae insignis doctrina frugiferum praebet argumentum concionis admodum utilis et practicae. Cum magna utilitate cf. ejusdem s. doctoris ll. 3 de providentia ad Stagirium, pulcherrimas ep. ad Olympiadem et sermones 10 plane eximios Theodoreti de providentia.

5. Denique cum nullus sit impiorum, qui non subinde aliquid boni fecerit, nec ullus justorum, qui non hinc inde peccet: congruum est, ut Deus illis praemium saltem temporale largiatur, cum ab aeterno excludantur: hos vero tribulatione purget temporali, quo citius beatitudinem adipiscantur sempiternam.

97. Jam ad considerationem providentiae Dei, quatenus respicit finem ordinemque supernaturalem, accedamus et fundamenti loco pro reliquis omnibus sit:

Thesis CII. ***Deus voluntate antecedenti vera et sincera vult non tantum praedestinatos salvos fieri, sed etiam alios praeter eos, qui reipsa salvantur, imo vult omnium adultorum salutem.***

Declaratio. Thesis statuitur contra Calvinum et calvinianos sive antelapsarios sive postlapsarios [1]), et contra jansenianos, secundum quos Deus serio et sincere vult electorum tantum salutem. Quoad priorem partem est de fide, ut patet ex conc. tridentini sess. 6 can. 17: „Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, A. S.“ et ex prop. 5 Jansenii damnata: „Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse,“ quae declarata est „intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, haeretica.“ Imo dici potest de fide prior pars quoad omnes fideles, ut colligitur ex symbolis athanasiano et nicaeno, in quo profitemur: „Qui (Filius Dei) propter nos homines (saltem profitentes hoc symbolum) nostramque salutem descendit de coelis“ etc. Altera vero pars non quidem est de fide, continet tamen doctrinam catholicam omnino certam, imo secundum plures fidei proximam. Huc quadamtenus spectat prop. 4 ab Alexandro VIII. damnata

---

[1]) Antelapsarii vel supralapsarii illi dicuntur e calvinianis, qui contendunt, Deum jam ante praevisum Adami lapsum noluisse omnium hominum salutem; postlapsarii vel etiam infralapsarii opinantur, nonnisi post praevisum Adami lapsum voluntatem salutiferam ad quosdam fuisse coarctatam et restrictam.

7. Dec. 1690: „Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.“

98. **Demonstratio p. I.** Prior pars ex divinis literis est evidens et argumentis partis II. a fortiori comprobatur.

1. Voluntas est Dei Patris, ut omnes, quos ipse dat Filio, Filius non perdat (Jo. 6, 39); et *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum* (Filium), *non pereat, sed habeat vitam aeternam* (ib. 3, 16; 6, 40); et certe Deus eos vult salvos, pro quibus Christus est mortuus. Atqui tamen Judas, qui datus erat a Patre Christo (ib. 17, 12) periit; pereunt vel saltem perire possunt etiam aliqui ex illis, qui prius vere in Christum crediderant et pro quibus ipse Christus mortuus est: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est* Rom. 14, 15; 2. Petr. 2, 1: *Erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem;* 1, 10 etc.

2. Deus profecto vult sincere salutem omnium illorum, quos in filios adoptat et regni sui heredes constituit, alioquin haec adoptio esset mera simulatio. Atqui Deus praeter praedestinatos alios quoque adoptat in filios beatitudinis coelestis haeredes efficit, scil. omnes eos, qui rite sunt baptizati, e quibus tamen non omnes salvantur. Ad haec

3. Christus sincerissime voluit judaeorum salutem Matth. 23, 37: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* Si enim verbis his et comparatione gallinae congregantis pullos suos sub alas et missione iterata prophetarum sincera voluntas non exprimitur: desunt verba ad illam exprimendam et de sinceritate omnis testificationis amoris divini dubitare licebit. Atqui judaei teste Christo n o l u e r u n t obsequi voluntati Dei salutiferae. Ergo Deus praeter praedestinatos alios vult fieri salvos.

99. **Demonstratio p. II.** Legantur **1.** cap. 11 et 12 Sap.; ex his sponte sua consequitur: **a.** Deum esse ipsam bonitatem plenumque visceribus misericordiae, quibus nonnisi amore fertur in omne, quod e suis manibus prodit: *Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti* (11, 25; 12, 13). **b.** Ab hoc amore sincero et actuoso ne perditissimos quidem excludi: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam* (11, 24). *Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas* (v. 27). **c.** Deum judicis partes obire non propria sponte, sed duritie hominum provocatum ac prope coactum (12, 15). Si tamen **d.** puniat, justitiam misericordiae inservire ac tunc tandem pri-

matum obtinere, cum omnes curae in vanum cesserint. *Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris: ut relicta malitia credant in te, Domine* (12, 2). *Judicans das locum in peccatis poenitentiae. Si enim inimicos servorum tuorum et debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia* etc. (v. 19 s.); ut e. populum suum doceret *per talia facta, quoniam oportet justum esse et humanum*, et ut bonae spei faceret filios suos (ib.) Atqui cum hac Dei indole et natura manifesto pugnat particularis ejusdem voluntas salvandi aliquos tantum.

2. Amplitudo voluntatis salutiferae dijudicari potest et debet ex amplitudine redemptionis. Atqui Christus mortuus est mortemque suam obtulit pro *toto* mundo 1. Joan. 2, 2; pro *omnibus* hominibus nullo excepto 2. Cor. 5, 15: *Quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* mortuus est vel pro iis, qui pereunt (n. 98[1]). Omnes ergo vult Deus salvos. Ad rem Gregorius naz. or. 33 n. 9:

»Communes sunt, inquit, lex, prophetae ipsique Christi cruciatus, per quos restaurati sumus, non facta aliqua exceptione, sed omnes ejusdem Adam participes et a serpente in fraudem inducti et per peccatum morte affecti et per coelestem Adam saluti restituti et ad lignum vitae, unde excideramus, per lignum ignominiae revocati sumus.« — Hieronymus ep. 69 n. 1: »Mentitur Joannes Baptista et digito Christum et voce demonstrans: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (Joan. 1, 29), si sunt adhuc in seculo, quorum Christus peccata non tulerit. Aut enim ostendendi sunt non esse de mundo, quos Christi ignoret indulgentia, aut si de mundo sunt, eligendum e duobus alterum: liberati a peccatis Christi potentiam probant; non liberati quasi adhuc rei imbecillitatem demonstrant. Sed absit hoc de Omnipotente credere, quod in aliquo impotens sit.«

3. Probatur auctoritate symboli nicaeni, in quo profitemur, Dei Filium propter nos homines nostramque salutem descendisse de coelis. Ergo omnes, qui sunt homines, spectant ad voluntatem salutiferam.

4. Non desunt decreta conciliorum, quibus haec veritas confirmetur, ut concilii arelatensis a. 475, in quo anathema (n. 6) dicitur illi, „qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus est, nec omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntinm est meritum.“ Accedit

5. luculentum prorsus suffragium patrum, quorum testimonia collegit Petavius de Deo X, 4 ss.; de incarn, l. XIII, 1 ss.; diligentissime vero Passaglia de partitione volunt. divinae in primam et secundam, qui ferme 200 patrum et scriptorum veterum doctrinam expendit. Audiatur ex. gr. Prosper in resp. ad capit. gall. n. 8: „*Omnium* ergo hominum cura est Deo, et nemo est, quem non aut evangelica praedicatio,

aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus, fidem autem donum esse fateamur, sine cujus gratia nemo currit ad gratiam.“ Theologorum scholae suffragium copiose exhibet du Plessis d'Argentré in comment. cit. c. 11 Cf. Franzelin th. 50; Fontana bulla Unigenitus dogmatice propugnata ad prop. 12 c. 5.

100. **Thesis CIII.** ***Eandem veritatem invicte comprobant verba Pauli 1. Tim. 2, 1 ss.; neque hujus loci adeo perspicui vim infringunt interpretationes variae s. Augustini, quae a jansenianis objici solent.***

Demonstratio p. I. Ita scribit s. Paulus ad Timotheum 1. ep. 2, 1: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; 2. pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. 3. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, 4. qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 5. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, 6. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis.* Porro hoc testimonium censeri debet classicum i. e. quod reliqua, quae afferri solent testimonia, pondere atque evidentia praecellit et solum ad rem conficiendam sufficit. Expensis singulis hujus loci verbis haec eruimus argumenta:

1. Omnes eos vult Deus salvos fieri, pro quibus orare tenemur. Atqui sive spectantur verba Pauli v. 1, sive monitum Christi Matth. 5, 44 s., sive jugis Ecclesiae praxis, optima praecepti Pauli interpres, sive dicta patrum, pro omnibus hominibus nullo excepto orandum est. Quare, ut scribit Prosper ad c. 2. object. vinc. „sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant; siquidem apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur.“ Quibus similia habet auctor de voc. omnium gentium I, 12.

2. Paulus diserte dicit: *Deum velle omnes homines salvos fieri.* Atqui vox *omnes* universalissima potestate accipi debet, adeo ut nemo exclusus sit, ut constat tum ex collatione cum commate 1, tum maxime ex collatione cum aliis Scripturae effatis: 1. Tim. 1, 15; 4, 10: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium,* 2. Petr. 3, 9: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti;* Ez. 18, 23: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* 33, 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua,*

et vivat; tum ex Matth. 18, 11 s., ubi Christus de se dicit: *Venit Filius hominis salvare, quod perierat... Non est voluntas ante Patrem vestrum... ut pereat unus de pusillis istis.* Quam sincera autem sit voluntas Dei circa hominum salutem colligitur ex tot testimoniis, in quibus Deo tribuuntur affectus tristitiae, irae, doloris etc. ob perditionem impiorum.

3. Ratio, cur Deus omnes velit salvos fieri, redditur a Paulo verbis: *unus enim Deus.* Eatenus ergo aliquis exclusus censeri potest a voluntate Dei salutifera, quatenus Deus non est illius Deus: cum vero hoc sit absurdum, nullus hominum exclusus est. Quare recte infert Primasius in h. l.: „Unus enim Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus omnium hominum Deus est, et ideo cupit omnes salvari, quos fecit.“ Ita et alii patres, ut Paulinus nol. ep. 24 n. 9; serm. 36 n. 6; Ambrosius in Ps. 39, 20; Theodoretus et Bruno carthus. in h. l. Eandem illationem proponit Paulus Rom. 3, 29; cf. etiam Sap. 11, 27. 29.

4. *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Alia ratio. Christus omnium eorum est mediator, quorum naturam assumpsit; atqui „nullus, inquit Prosper ad cap. 9. gall., omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo D. N. suscepta non fuit.“

5. Omnes eos vult Deus salvos fieri, quos Christus sanguine suo redemit. Atqui teste Paulo v. 6 Christus omnes redemit: dedit enim redemptionem semetipsum *pro omnibus* (cf. n. 99[2]). Confirmatur denique

6. interpretatio et illatio nostra suffragio patrum et theologorum scholae, de quo cf. auctores supra citatos.

101. **Scholion.** Difficultas oritur ex verbis Christi Joan. 17, 9: *Ego pro eis* (discipulis) *rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt:* ex quibus inferunt, Christum non pro omnibus esse mortuum, cum ne oraverit quidem pro omnibus. Verum **1.** haec exceptio certo non sufficit ad obscuranda tam clara repetitaque testimonia pro universalitate voluntatis salutiferae; neque enim **2.** ex eo, quod Christus hac vice non oraverit pro mundo, sequitur, eum nunquam pro illo orasse. Imo **3.** vel hac occasione oravit pro mundo dicens v. 20: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint . . . ut credat mundus, quia tu me misisti.* Ergo scopus mediatus orationis Christi erat etiam, *ut credat mundus.* Quare **4.** illis verbis Christus tantum significat, se non ea ratione orare pro mundo, qua pro discipulis. Rogat scil. pro discipulis Patrem, exhibendo velut motivum discipulorum fidem et dilectionem, ut Pater eos servet. Sed pro mundo neque ex hoc motivo, neque pro perseverantia in bono, quo jam mundus frueretur, rogare potuit.

102. **Demonstratio p. II.** Tres aliae reperiuntur apud s. Augustinum[1]) interpretationes verborum Pauli: *Deus vult omnes homines salvos fieri,* quae a nostra discrepant. Quarum prima hunc illis subjicit sensum: Omnes,

---

[1]) Cf. ex. gr. Enchir. n. 103; contra Jul. l. 4 n. 42; de praedes. SS. n. 14.

qui salvantur, per Deum salvantur, seu nemo salvatur nisi Deo volente. Altera est, Deum ex omni hominum genere aliquos velle salvos fieri. Tertia accipit verba sensu causali, scil. Deum facere, ut homines velint, omnes salvos fieri. Mirum in modum hisce delectantur janseniani omnesque ii, qui voluntatis divinae salutiferae universalitatem negant. Verum triplicem hunc commentarium, si exclusive statuitur, minus esse probandum, quamvis haud pauci in Occidente unum alterumque sint amplexi [1]),

1. liquet ex variis ejusdem adjunctis. Nam **a.** antiquior non est Augustino; nullum **b.** nactus est patronum in Oriente, nec **c.** in Occidente factus est communis, cum vulgatam interpretationem plures retinuerint haud infimae auctoritatis [2]). Imo **d.** non desunt synodi particulares (n. 99 [4]), quae nostrum approbarint damnarintque oppositum exclusive acceptum; damnarunt et scriptores ecclesiastici, qui contra Gottescalci errores scripserunt. Praeterea **e.** commentarius ille modo ab omnibus fere desertus est, ipseque **f.** in se est dissonus, triplex enim proponitur.

2. Caret hic commentarius exclusive acceptus pretio hermeneutico. Sane ea interpretatio pretio caret hermeneutico, quae **a.** adversatur commentario ad omnes regulas sanae hermeneuticae tam externas quam internas exacto; quae **b.** in se dissona nihil fixi ratique habet; quae **c.** potius quam harmoniam, in Scripturas dissonantiam inducit; quae **d.** innititur locis specie tenus tantum parallelis, qui vel facili negotio retorqueri possunt, vel non sunt ad rem, cum de aliis agant, quorum scil. Deus non est causa unica, sed causa tantum princeps. Atque ejusmodi est triplex commentarius oppositus, quod facile ostendi posset, si compendii angustiae non obstarent.

3. Neque hic triplex commentarius exlusive acceptus Augustini auctoritate defendi potest, quin s. doctor manifestae contradictionis arguatur. Sane **a.** ipse diserte docet et pro principio habet inconcusso, quo adversus pelagianos peccati originalis universalitatem probet, Christum *pro omnibus* omnino *hominibus* esse mortuum. Ita c. Jul. VI n. 8. 14. 24; op. imperf. I, 64; II, 132 ss.; 175 etc. Atqui idem est, tueri Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum et Deum velle omnes homines salvos fieri. Ad haec **b.** Augustinus jam episcopus factus clare docet voluntatem Dei salutiferam

---

[1]) Ita auctor Hypogn. l. 6 c. 8; Prosper ep. ad Rufinum c. 13; Fulgentius de verit. praed. l. 3 c. 9 ss.; de incarn. et gr. c. 31; praesules africani in Sardinia insula exsules in ep. syn. de gr. et lib. arb. c. 15; vulg. Gregorius in 1. Reg. l. 5 c. 4; Beda in h. l.; Julianus tolet. antikeimenon l. 2 interrog. 71; Lupus Servatus de tribus quaest. q. 2 n. 28 (Mig. 119, 636); Prudentius tricassinus ep. ad Florum lugd. adv. Scotum Erigenam c. 2; Florus lugd. l. c. Scotum c. 2 n. 8, ep. ad Hincmarum c. 3; Remigius lugdunensis de 3 epist. c. 11 s.; de tenenda veritate Script. c. 12; Petrus Damianus l. 5 ep. 13; Hugo rothom. l. 3 dial. interr. 14; Aelredus de spec. carit. c. 12; Herveus in h. l. etc.

[2]) Ita auctor de vocat. omnium gentium l. 1 c. 12 etc. (opusc. t. III), Primasius in h. l.; Anselmus de gratia et lib. arb. et l. cur Deus homo; Bernardus s. 55 in Cant. n. 1; Hincmarus rhem. de praed. c. 21 s.; Paschasius Radbertus l. 4 in Matth. 6, 10; Agobardus ep. ad praesides palatii (Mig. 104, 176); Rab. Maurus ep. 4 (Mig. 112, 1526); Atto vercellensis in h. l. etc. et etiam nonnulli ex illis, qui alioquin Augustini sectantur commentarium, ut Prosper in resp. ad obj. vincent. 2; Remigius lugd. de 3 ep. c. 12; s. Bruno, Sedulius scotus et P. Lombardus in h. l.

esse universalem de catechiz. rud. n. 52. Neque **c.** inchoata disputatione cum pelagianis destitit a depraedicanda salutiferae voluntatis universalitate, imo eam probat ex his s. Pauli verbis in l. de Spir. et lit. c. 33, contra quem locum Jansenius de gratia Chr. II, 30 nil aliud, quod exciperet, invenit, quam »Augustinum in isto l. nihil asserere, sed aliorum (nempe pelagianorum) tamquam dubiam proferre responsionem et examini subjicere . . . Augustinum responsionem pelagianam, quae postea massiliensium fuit, disputando ventilasse ac propugnasse.« Quod quam falsum sit, legenti Augustini contextum illico apparebit. Imo s. doctor **d.** expendens Retr. I, 10 n. 2 quae dixerat de gen. adv. Manich. I, 8: »Se ad ejus praecepta servanda convertunt, *quod omnes homines possunt, si velint,*« statuit: »Non existiment novi haeretici pelagiani secundum eos esse dictum: verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint, sed praeparatur voluntas a Domino [1].« Atqui servatis praeceptis consequimur salutem. Ergo si omnes, dummodo velint, praecepta servare possunt, omnibus suppetit facultas consequendi salutem, quod sine voluntate Dei salutifera universali defendi nequit. Quocirca **e.** propositis variis commentariis illam tantum verborum Pauli excludit interpretationem Enchir. n. 103, qua credere cogimur »aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri factumque non esse.« Atqui hoc non consequitur ex commentario vulgato (si rite intelligitur); hunc ergo Augustinus triplice illo commentario non excludit. Et revera **f.** duo saltem ex his tribus commentariis nostrum supponunt. Supponit ille, qui verba s. Pauli ita explicat: Deus facit, ut velimus etc. Cum enim fideles, quo sanctiores sunt, eo ardentius omnium hominum velint salutem: quomodo eam voluntatem Deus operaretur in sanctis, si ea esset contraria suae? Supponit alter: dici enim nequit, Deum velle omnes salvos fieri, quia nemo salvatur nisi eo volente, nisi, quantum est ex se, velit omnes salvos fieri. Sicut dici nequit magister omnes alicujus civitatis pueros docere (quo exemplo utitur s. doctor), etsi actu non omnes docet, nisi saltem paratus sit, quantum est ex se, ad omnes qui veniunt docendos. Quare **g.** s. Prosper, fidelissimus Augustini discipulus ejusque doctrinae apologeta et vindex, inter »calumnias, ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, injusta opprobria, impias profanasque opiniones, veras blasphemias, commenta eo invecta consilio, ut detestationem Augustini, quem impeterent, obtinerent« etc., has recenset obj. vinc. c. 1. 2, quas nonnulli adscribebant Augustino, propositiones: »D. N. J. Christum non pro omnium salute et redemptione esse passum; Deum nolle omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint; Deum non omnes homines velle salvos fieri, sed certum numerum praedestinatorum etc.«

4. Dicendum ergo est Augustinum praesupposita voluntate Dei salutifera universali verba Pauli intelligere de voluntate Dei consequenti, quae revera est particularis. Ita censet s. Thomas in 1. d. 46 q. 1 a. 1: »Dicendum quod secundum Damascenum verbum Apostoli (1. Tim. 2, 4) intelligitur de voluntate antecedente et non de consequente. Sed secundum Augustinum intelligitur de consequente.« Eoque facilius poterat Augustinus hoc sensu verba Pauli explicare contra pelagianos, quod putabat (cf. de doctr. III n. 38; confess. XII, 13), licere Scripturas multiplici modo vere explicari, dummodo

---

[1]) Probat nostrum commentarium in Speculo paulo ante mortem collecto c. 101, si tamen genuinum est illud, quod sub ejus nomine edidit card. Mai in Bibl. PP. nova t. I.

sensus verum aliquid enunciet et analogiae fidei sit consonus; et quod pelagiani circa voluntatem Dei consequetuem errarint, opinantes homines viribus propriis suam operari salutem, nec necesse esse, ut Deus in nobis operetur velle et operari: hinc negabant eos tantum fieri salvos, in quibus Deus esset gratia sua operatus salutem. Cf. Faure in annot. ad Augustini Enchir. cc. 41. 52. 120; Passaglia l. c. § 279 ss.; Franzelin th. 52.

103. **Corollarium.** Omnia fere quae diximus probant verba s. Pauli referenda esse etiam ad infantes. Nam et ipsi pertinent ad omnes, pro quibus orandum est, quorum Deus est creator, qui in Adamo mortui sunt, quorum naturam mediator Christus assumpsit, et pro quibus est mortuus. »Numquid (parvuli), scribit Augustinus c. Jul. IV, 42, homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: *Omnes homines* (1. Tim. 2, 4)?« Quare rejicienda est exceptio Vasquez in 1 p. d. 96 c. 3, qui contendit incisum: *Qui omnes homines vult . . . ad agnitionem veritatis venire* non spectare ad infantes; ideoque nec primum incisum, *vult omnes homines salvos fieri* esse de ipsis intelligendum. Resp. enim **1.** vel illo inciso significatur *conditio* consequendae salutis, ut Matth. 28, 19; Marc. 16, 15 s., et tunc ex analogia dogmatum liquet, eam in infantibus non praerequiri; ideoque propter hanc conditionem non restringi incisi principalis universalitatem, quam tot argumentis evicimus, quae non minus de infantibus probant quam de adultis. Verum **2.** potest illa agnitio veritatis de ea intelligi, in qua consistit salus nostra, quae inchoatur fide, consummatur visione Joan. 17, 3. Quo sensu nulla difficultas. Vult enim Deus homines ad salutem venire ideoque ad agnitionem veritatis: et quidem quamdiu parvuli sunt habitu saltem fidei; si adolescunt, fide etiam actuali; et si adimpletis omnibus conditionibus decedunt, visione, scil. pro capacitate et qualitate subjecti. Ad rem ergo Augustinus ep. 23 ad Bonif. n. 10: »Qui parvuli baptizantur et moriuntur, per illam gratiam ad agnitionem veritatis, quae in regno Dei est certissima, veniunt.« Cf. Franzelin th. 53; Suarez IV, 4.

104. **Scholion I.** *Quomodo Deus velit omnium salutem.* — Ut difficultatibus respondeamus, indolem rationemque voluntatis salutiferae universalis nosse oportet. Quamvis enim vera et sincera sit, non tamen est absoluta, sed conditionata: nam Deus omnium quidem salutem, vult sed variis sub conditionibus, quae sunt, ut mediis exhibitis utantur, gratiae cooperentur, in bono perseverent. Unde liquet

1. voluntatem antecedentem causam esse potestatis adipiscendae salutis, non vero causam unicam assecutionis salutis; nam hujus duplex est causa: altera princeps et divina, Deus scil. gratia sua; altera subjugis et humana, libera hominum cum gratia cooperatio.

Quod ita egregie expressit s. Chrysostomus hom. 1 in Ephes. n. 2 explicans 1, 4 s. *in caritate, qui praedestinavit nos.* »Non enim fit, inquit, a laboribus et gestis, sed a caritate (nostra salus); neque a caritate solum, sed etiam a nostra virtute. Nam si a caritate (Dei) sola, oporteret omnes esse salvos; si autem rursus a nostra sola virtute, supervacaneus fuisset ejus adventus et quaecunque facta sunt per dispensationem (incarnationem). Sed neque a sola caritate neque a nostra virtute, sed ex utrisque,« ita tamen, ut secundum

ipsum s. doctorem caritati Dei tribuendae sint primae partes, cum nonnisi ex ipsa pares reddamur ad cooperandum tanto pietatis consilio. S. Bonaventura in 1 dist. 46 a. 1 q. 1 ita habet: »Velle hominem antecedenter salvare est ordinatum ad salutem facere, et volenti pervenire non deesse. Unde velle antecedenter salvare non connotat salutem (actu collatam), sed ordinabilitatem ad salutem. Velle autem consequenter sive absolute salvare est velle dare salutem ei, quem praescit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam et connotat salutis eventum.« Cf. d. 47 a. 1.

2. Liquet hinc quare non obstante sincera Dei voluntate non omnes salvantur, quia scil. nolunt, gratia non utuntur, divinae resistunt misericordiae, quo pacto patres huic quaestioni respondent.

Ita Hieronymus in Eph. 4, 11: »Vult autem (Deus) ea, quaecunque sunt plena rationis atque consilii, vult salvari omnes et in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque voluntate salvatur, liberi enim arbitrii sumus, vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum impleri consilium.« Et ipse Augustinus testatur Enchir. n. 97: »Quando quaeritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt;« quod responsum non prorsus improbat. Sic enim disserit in Jo. tr. n. 12: »Quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum? . . . Salvari non vis ab ipso? ex te judicaberis.« Tract. 36 n. 4: »Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare: eos judicando in poenam, qui salvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt;« tr. 53 n. 6; in actis cum Felice manich. l. 2 n. 8: »Felix: Isti peccatores (damnandi) quare non purgati sunt? Augustinus dixit: Quia noluerunt. Felix dixit: Quia noluerunt, hoc dixisti? Augustinus dixit: Hoc dixi, quia noluerunt.« Similia saepe apud eum legimus, ut in tr. de gratia videbimus; de catechiz. rud. c. 26; serm. 102: »Ergo tibi dicitur, omnis homo, salus tua Christus est; hanc salutem si volueris obtinebis.« Quod si Augustinus Enchiridii n. 97 hoc responsum minus probat, notandum est, illud non esse adaequatum, quia infantibus applicari nequit. Deinde illud non vult admittere sensu pelagiano, secundum quem tria involvit: **a.** quod salus ex aequo pendeat a nobis sicut perditio; quod **b.** per nos vincatur voluntas Dei; quod **c.** Deus non possit incolumi libertate hominem nolentem salutem suam facere virtute gratiae suae volentem atque ita salvare. Cum patribus consentit s. Thomas c. gentes l. 4 c. 55 ad 7: »Est siquidem incarnationis divinae virtus sufficiens ad omnium hominum salutem; sed quod non omnes ex hoc salvantur, ex eorum indispositione contingit, quod incarnationis fructum in se suscipere nolunt, incarnato Deo per fidem et amorem non inhaerendo. Non enim erat hominibus subtrahenda libertas arbitrii, per quam possunt vel inhaerere vel non inhaerere Deo incarnato, ne bonum hominis coactum esset et propter hoc absque merito et illaudabile redderetur.«

3. Neque aliter respondere poterant patres, cum vel ipsae Scripturae interitum hominum in eorum perversam voluntatem refundant, quod scil. Deum vocantem non audiunt Prov. 1, 24; Domino tota die manus expandenti contradicunt Is. 65, 2; verbum praedicatum blasphemant Act.

13, 36; Spiritui sancto resistunt Act. 7, 56; tenebras magis amant quam lucem Joan. 3, 19; Deo vel blandienti terga vertunt Matth. 23, 37 (n. 98[3]); obdurant corda sua Ps. 94, 8 etc.

105. **Scholion II.** Potior est difficultas, quae contra universalitatem voluntatis Dei salutiferae petitur *ex infantibus ante baptismum susceptum vita functis.* De qua quaestione sat implexa ex ordine statuimus:

1. voluntatem Dei sicut quoad adultos ita etiam quoad infantes esse conditionatam; vult enim illos salvos fieri sub conditione collationis baptismi, quae tamen multipliciter pendet a cooperatione parentum aliorumque, quorum curae infantes sunt concrediti. Sicut ergo fieri potest, ut infantes ex negligentia parentum salutem corporis amittant: ita fieri poterit, ut ex illorum negligentia salutem animi non consequantur, cum, quoadusque infantes sibi ipsi consulere nequeunt, utraque salus sit aliis concredita. Quamobrem Augustinus serm. 176 n. 2: »Accommodat, inquit, illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam quod aegri sunt alio peccante praegravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente, salventur.«

2. Probabilem non videri opinionem, quae statuit, applicationem baptismi et salutem pendere unice a voluntate eorum, quorum curae concrediti sunt infantes: nam ea saepe etiam pendet a causis legibusque physicis; vult enim Deus omnium salutem in hoc ordine naturali. Atqui fieri potest, ut leges naturales exigant mortem, antequam applicetur baptismus. Cum ergo Christus nondum actu reparaverit ordinem praeternaturalem, sed tantum supernaturalem, nec Deus semper velit patrare miracula, poterit ipse non obstante voluntate salutifera universali mortem aliquorum infantium ante perceptum baptismum permittere. Neque mirum videri debet, infantium salutem pendere a voluntate aliena atque a causis legibusque physicis. Nam et salus adultorum quantum pendet ab hac duplici causa seu conditione! Sufficit enim tyrannus crudelis, qui excitet persecutionem in Ecclesiam eamque exterminet in sua ditione, et innumeri subditi, qui ea florente certissime essent salvati, in aeternum peribunt. Pergunt missionarii in remotissimas provincias, orta tempestate submergitur navis, fluctibus absorbentur viri apostolici, qui plurimas certe salvassent animas, modo perituras. Non unice quidem hisce in casibus pendet adultorum salus ab hac duplici causa, magna tamen ex parte.

3. Ne videatur nimis dura voluntas Dei permittens infantium mortem ante perceptum baptismum: notetur, infantes tristi hoc eventu non privari bono debito, sed bono ipsis plane indebito, etiamsi carerent peccato originali, visione scil. beatifica. Sed de futura eorum conditione cf. tr. X sect. 1 c. 3.

4. Dicendum ergo esse, Deum velle omnium infantium salutem applicatione meritorum Christi in baptismo sub conditione, si scil. et causae morales et physicae, liberae nempe hominum voluntates et naturalis ordo physicus, qualis nunc propter Adami peccatum est, non obsistant [1]).

106. **Thesis CIV.** ***Cum certa voluntate Dei, ut omnes homines salvi fiant et nullus eorum pereat, pugnat reprobatio positiva a***

---

[1]) Cf. auctor op. de vocat. omnium gent. l. 2 c. 21 et 23; Passaglia l. c. § 57 ss., Lessius de praedest. sect. 6 n. 133 ss.; in primis Straub Zeitschr. für kath. Theol. XI, 282—328; XII, 562—79.

gloria coelesti: sed neque conciliari potest reprobatio negativa, quam plures theologi antecedenti Dei voluntati adscribendam esse putant.

Demonstratio p. I. Sententia Calvini est, Deum antecedenter ante omnis mali meriti, etiam ipsius peccati originalis praevisionem decreto absoluto homines, qui pereant, aeterno destinasse exitio ad suam in eis justitiam manifestandam. Janseniani quoque et ex calvinianis infralapsarii seu postlapsarii (n. 97 a.) reprobationem positivam admittunt, sed post praevisum peccatum originale. Quod opinionis portentum pugnare cum voluntate Dei salutifera universali ex dictis adeo est manifestum, ut refutatione non indigeat, eoque magis, cum sit Deo plane indignum, injuriosum eumque saltem quoad baptizatos injustitiae reum constituit. Quare jam in antiqua Ecclesia qua impium rejectum fuit et blasphemum. Ita concilium arausicanum II. can. 25 statuit: „Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione iis anathema dicimus;" ita et conc. valentinum a. 855 can. 2. 3. Et sane „nec justitia justa dicetur, scribit Fulgentius l. 1 ad Monimum c. 22, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur. Major vero erit injustitia, si lapso Deus retribuit poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam. [1])"

107. Praeter cap. 9 ep. ad Rom., de quo infra th. 106, provocant calviniani pro suo errore ad 1. Petr. 2, 7 s.: *Non credentibus autem . . . lapis offensionis et petra scandali* (est Christus) *his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo* (in quod) *et positi sunt* i. e. (secundum adversarios) ad quam incredulitatem divinitus destinati sunt. Verum ratione habita harmoniae s. Scripturae et dogmatis certissimi Deum esse non posse peccati auctorem (n. 85), horum verborum sensus est, judaeos propter suam incredulitatem, ideoque consequenter, positos i. e. justo judicio ordinatos esse ad offendendum in petram, ut ab ea conterantur. »Sicut enim, inquit Glassius in grammatica s. tr. 1 can. 21, qui in lapidem impingit, laeditur et dolorem sentit, sic qui ad Christum lapidem salutis incredulitate impingunt, insigniter laeduntur et dolores aeternos incurrunt. Et notetur bene, quod v. 7 τὸ ἀπειϑεῖν ut antecedens a προςκόμματι ut consequente sejungatur.« Quo sensu omnia bene cohaerent et nulla est difficultas.

108. **Declaratio p. II.** Qua haeresi reprobata plurium theologorum catholicorum rejicimus sententiam, secundum quos ut ex. gr. Didacum Ruiz de praedest. d. 14 Deus eos, qui salvantur, elegit ante eorum praevisa merita;

---

[1]) De calvinianorum et jansenistarum sententia cf. Becanus de praed. calvin. t. 1 opusc. 1 et 3; Möhler Symbolik § 12; Limbourg Zeitschr. für k. Theol. III, 197 ss.; contra eam Franzelin th. 54; ex patribus in primis Prosper in resp. ad capitula gall. et object. vincent. opusc. XXXV; Amulo ep. lugd. ep. 2 ad Gottesc. et opusc. 1 de praescientia et praedest. (Mig. 116, 84. 97); aliosque apud Thomassinum VII, 3 ss.

imo, ut alii volunt cum Suarez de praed. I, 12 col. 10, ante ipsum peccatum originale praevisum, et quidem decreto, quo definit salvandorum numerum, personas, gradus gloriae. Ex quo consequitur, illos quos praeteriit Deus in sua electione, non esse praedestinatos et quidem ante omnem praevisionem peccatorum; et quia nullus non praedestinatus potest consequi gloriam, esse exclusos a gloria, quod reprobationem negativam vocant. Jam vero tuemur hanc sententiam conciliari non posse cum voluntate seria Dei salvandi omnes homines, quam theologi probe catholici unanimes admittunt.

109. **Demonstratio p. II.** Sane **1.** voluntas antecedens non praedestinandi est voluntas antecedens non salvandi (praedestinare enim est destinare ad salutem). Atqui voluntas antecedens non salvandi aliquos pugnat cum voluntate antecedente salvandi omnes. Seu aliis verbis: Sicut metaphysice est certum, praedestinatum salvari, ita in hac theoria pariter est certum non praedestinatum non salvari ex defectu praedestinationis. Atqui haec impotentia pendet unice a voluntate Dei antecedenti omnem praevisionem. Ergo a voluntate Dei antecedenti pendet impossibilitas salutis plurium. Atqui repugnat ut eadem haec voluntas, a qua unice pendet impossibilitas salutis plurium, velit serio omnium hominum ideoque et horum salutem. Ergo reprobatio negativa conciliari nequit cum seria universali voluntate Dei antecedente salutifera.

2. Quomodo poterit Deus affirmare et jurare, se nolle quemquam perire 2. Petr. 3, 9, se nolle mortem peccatoris Sap. 11, 21; 12, 10. 20 (n. 99); Is. 5, 4; Ez. 18, 23; 33, 11; Matth. 23, 37 etc.; si a priori independenter a praevisione peccatorum innumeros a salute exclusit vel, ut euphemistice loqui adamant, in praedestinando praeteriit? quomodo praecipere, ut omnes serio curam agant suae salutis, si ejusdem neglectu tam bene promoveant exsecutionem decreti sui, quo eos in praedestinando praeteriit? Et sane

3. efficax exclusio ab uno extremo, ubi non datur medium, est efficax destinatio ad alterum extremum. Atqui inter coelum et infernum non datur medium (praesertim pro adultis); reprobatio vero negativa est efficacissima exclusio a coelo. Ergo eo ipso est destinatio ad infernum. Scio quidem auctores illos durissimam hanc illationem detestari: sed qua distinctionum subtilitate illam evadant, non video.

Neve dicant negative reprobatum semper habere gratiam ad salutem sufficientem, qua quidem uti non velit; nam haec exceptio reddit hujus systematis causam pejorem. Fieri etenim nequit, ut non electus consequatur gloriam, ne augeatur numerus electorum praedefinitus contra voluntatem Dei: si ergo Deus tali non electo dat gratiam ad salutem vere sufficientem, omni studio et sollertia invigilare debebit, ne salvetur, ac proinde eas semper de industria seligere gratias, quas inefficaces fore in scientia media praeviderit, subtractis sedulo iis, quas efficaces fore cognoverit, ex sola illa voluntate, qua illum in praedestinando praeteriit. Nam intentio finis est ratio electionis me-

diorum. Atqui Deus non intendit hos praedestinare et consequenter non intendit eos salvare. Ergo ita tenetur media distribuere, ut non praedestinati non assequantur finem. Quare praevisio boni usus gratiae esset ratio determinans denegandi gratiam. Quam indignum Deo, qui non vult mortem impii, sed ut convertatur Ez. 18, 23! Et quomodo licet dicere, Deum sincere dare gratiam vere sufficientem, quacum ex tot hominum millibus vi distributionis divinae ne unus salvatur, imo ne salvari quidem potest? Verum quidem est, Deum non omnibus dare gratiam quam praevidit efficacem, imo multis dare gratiam, quam praevidet ex eorum abusu fore inefficacem. Sed ratio hujus distributionis non oritur ex reprobatione negativa antecedenti omnem praevisionem humanae malitiae, sed quia Deus non tenetur se accommodare hominum socordiae, si nolint uti gratia vere sufficienti. Neque Augustinus rationem, quare Deus aliquibus deneget gratiam efficacem, repetit ex reprobatione quam admiserit, sed candide fatetur se illius nescire causam.

4. Miramur quomodo theologi doctrinae Augustini adeo addicti reprobationem tueantur negativam, quam adeo reprobat Prosper, fidelissimus tanti doctoris discipulus. „Quod hujusmodi (peccatores), inquit resp. ad c. 3 gall., in haec prolapsi mala sine correctione poenitentiae defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia praedestinati non sunt: sed ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt;" et c. 12: „Vires obedientiae non ideo cuiquam subtraxit (Deus), quia eum non praedestinavit: sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit;" quae saepissime paucis illis capitulis inculcat. Cf. resp. ad c. 2. 7. 14; sententia super 2. 7; resp. ad obj. vinc. 12.

5. Sententia haec non videtur consona divinae bonitati, sapientiae, justitiae; exstinguit zelum animarum, studium propriae salutis bonorumque operum: populo proposita vix non parit desperationem, verbo ejusmodi fructus, qui non sunt characteres doctrinae revelatae.

Haec uberius exposita reperies apud Lessium de div. perf. XIV, 2, qui merito urget inter reprobationem negativam et positivam, quam omnes catholici abhorrent, quamvis sit discrimen speculativum, in ordine tamen ad mores et aestimationem moralem hominum parum videri differre: »nam ad omnem sollicitudinem tollendam parum interest, sive dicamur positive reprobati, sive negative, si aeque infallibiliter ex tali decreto sequitur damnatio . . . Idem patet si agatur de desperatione: non enim minus ad desperationem impellit reprobatio negativa quam positiva . . . Equidem si mihi proponeretur, utro modo ad meam consolationem malim factam reprobationem, nescirem, utrum deberem praeferre: nisi quod modus ille positivae reprobationis adversariorum (calvinistarum) plus videatur adferre excusationis, cum necessitatem malorum operum inducat (n. 41. 42).« Saltem faveant patroni hujus reprobationis negativae assignare discrimen non verbale, sed reale, quod intelligatur, quod conciliari possit cum seria voluntate Dei salutifera, quodque hinc quidem vere cohaereat cum proprio systemate: inde vero in praxi, in concionibus non neget, quod in praemissis et theoretice affirmatur.

Frustra quaeris in ejusmodi theoria harmoniam et concordiam inter theoriam et praxim. Quod operose subtiliterque in scholis probatur, in prima concione confidenter negatur. Magis sibi illi constant, qui aperte negant universalitatem voluntatis divinae salutiferae! Cf. Franzelin th. 55; Toletus in summam theol. s. Thomae enarr. in 1 p. q. 23 a. 3.

110. **Thesis CV.** ***Praedestinatio adultorum ad gloriam non absolutae voluntati Dei antecedenti, sed voluntati consequenti praevisionem meritorum gratiae tribuenda est.***

Declaratio. Praedestinationis nomen nunc latius, nunc pressius accipi potest; generatim significat quamvis praedefinitionem et praeordinationem divinam, et sic se extendit ad omnia, quae Deus ab aeterno statuit vel per se facere in tempore vel fieri per creaturam: quo sensu etiam apud patres scriptoresque ecclesiasticos adhibetur de decreto Dei, quo ab aeterno peccatores propter praevisam impoenitentiam finalem aeternae addicit damnationi [1]). Restringitur deinde hoc nomen ad decreta Dei in ordine ad oeconomiam salutis, et si de homine est sermo, definiri potest: Ordinatio hominum ad finem aliquem supernaturalem, antequam exsistit. Cf. Thomas 1 q. 23 a. 1.

Ratio autem, quare theologi non soleant loqui de praedestinatione ad finem naturalem, est secundum Suarez de praedest. I, 5 n. 8, »quia naturalia bona sunt naturae debita et ordinatio in naturalem finem ex proprio impetu et viribus ipsius naturae nascitur, ideoque non requirit specialem praedestinationem, sed communem providentiam. Finis autem supernaturalis non est ex inclinatione naturae, nec ejus consecutio est per vires proprias: et ideo homo ut efficaciter in illum tendat, necesse est, ut ab alio ordinetur et quasi transmittatur et hoc fit per praedestinationem. Versatur ergo praedestinatio circa supernaturalia bona.« Quod breviter ita expressit Thomas in 1 dist. 40 q. 2: »Illud proprie dicitur dirigi (destinari) in aliquid, quod non habet in se, unde in illud vadat.« Notetur et illud, quod quamvis etiam ordinatio conditionata, quae ex defectu conditionis adimpletae caret effectu, possit dici praedestinatio, et illa gratia praedestinata, quae ex defectu cooperationis humanae caret fructu: tamen nonnisi ordinatio absoluta, scil. conjuncta cum assecutione finis dici nunc solet a theologis praedestinatio, et non nisi gratia, quae suum obtinet effectum, praedestinata. De modo loquendi Scripturae cf. infra n. 114 [1].

Praedestinatio ergo species est eaque nobilissima providentiae Dei. Plures autem distingui possunt velut gradus seu stadia finis supernaturalis. Hic enim incipit cum prima gratia, promovetur per subsequentes gratias, perficitur in justificatione, splendet in perseverantia, consumma-

---

[1]) Cf. Petavius l. IX, 1. Hoc sensu scribit Ratramnus de praedestinatione l. 2 (Mig. 121, 80): »Sanctorum sententia est catholicorum, praedestinationem esse operum Dei aeternam dispositionem: unde quia quaecunque facturus est Deus in aeterno judicii sui consilio jam dispositum habet, sequitur ut opera Dei universa sint draedestinata.«

tur in gloria; ideoque varii gradus praedestinationis distingui possunt, qui tamen commode ad duos revocantur scil. ad gratiam et ad gloriam seu ad finem et ad media. Si praedestinatio consideratur et ad gratiam et ad gloriam simul, completa dicitur: incompleta seu inadaequata si consideratur, quatenus est vel ad gratiam vel ad gloriam. Cf. Schrader comment. I. de praedest.

111. Praetermittimus errores (cf. Genér II, 304 ss.) et controversias de ipso fine, ad quem homines praedestinantur: supponimus enim illum esse plane supernaturalem: et de mediis quibus illum assequi debeant, scil. de gratia, ejus natura, efficacia etc., de quibus alibi agemus, solliciti tantum de praedestinationis proprietate et ratione, num pendeat a praevisione meritorum. Omittimus praeterea eas controversias, quae sunt extra quaestionem inter theologos catholicos. Quare supponimus

1. praedestinationem ad primam gratiam esse plane gratuitam, ideoque neque posse refundi **a.** in merita vitae ante praesentem actae, qualem fingebant origenistae; neque **b.** in merita, quae infantes habuerint in utero matris, cujus erroris mentionem facit Augustinus ep. 186 c. 5; neque **c.** in merita sub conditione longioris vitae praevisa, ad quae recurrebant semipelagiani; neque **d.** in merita condigna naturae, quae defendebant pelagiani; neque **e.** in naturalia merita congrua impetrationemque, quae tuebeantur semipelagiani; neque **f.** in dispositionem positivam naturae, quod nonnullis scholae theologis arrisisse videtur.

2. Supponimus praedestinationem adaequate spectatam i. e. in quantum refertur et ad gratiam et ad gloriam seu ad universum ordinem supernaturalem, quatenus complectitur et finem et media, esse gratuitam; nam **a.** ordo supernaturalis omnia superat merita omnemque exigentiam naturae; quare destinatio ad illum nequit esse debita, sed erit plane gratuita. Ad haec **b.** etsi gratia adjuti alias gratias imo et gloriam mereri possumus, prima tamen gratia est gratuita: hinc omnia merita, quae pendent ab hac gratia, pariter rationem doni habent. Quare vel ipsa vita aeterna, quae alioquin merces et corona est, a Paulo Rom. 6, 23 *gratia* dicitur. Hinc statuit Thomas in ep. ad Rom. 8 lect. 6: „Sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno praeparatum. Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam supponere gratiam dari ex meritis nostris.“ Hoc sensu verissimum est, nos merere non posse praedestinationem, nos a Deo non praedestinari intuitu meritorum; hoc sensu patres adversus pelagianos et semipelagianos defendebant praedestinationis gratuitatem; nec alio sensu

theologi scholae eam tuebantur. Qua animadversione plurima eliduntur testimonia, quae afferri solent pro praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita; nam in illis sermo non est de praedestinatione ad gloriam post gratiam, sed de praedestinatione vel ad solam gratiam, vel ad gratiam simul et gloriam, quam utramque ultro gratuitam esse concedimus [1]).

112. Jam propius ad quaestionem hac thesi solvendam veniamus. Omnes theologi in id conveniunt, gloriam in tempore conferri propter merita; sed quaeritur, utrum Deus etiam ab aeterno electis gloriam decreverit et destinaverit propter eorundem merita ex gratia praevisa, an independenter ab illis. Sunt theologi et numero multi et auctoritate graves [2]), qui hoc ultimum tueantur.

Horum plures systema suum ita concipiunt: **1.** Deus voluntate antecedente omnem praevisionem meritorum ab aeterno certum fixumque numerum electorum ex universa hominum multitudine determinavit, e quo constare deberet coelestis urbs Jerusalem; voluit tamen **2.** ut hi electi (si essent adulti) dum viverent meritis obtinerent et consequerentur gloriam aeternam. Quocirca **3.** gloriam ipsis propter merita, quae habituri sunt, praemii instar (in ordine exsecutionis) in tempore confert; ut vero **4.** electi illi merita in tempore revera haberent, pro quibus juste conferre posset gloriam ipsis destinatam, eum selegit gratiarum ordinem, quo infallibiliter acquirerent merita determinata. Paulo secus minusque dure alii praedestinationem ante praevisa merita ita cum Molina Concordiae q. 23 a. 4. 5 disp. 1 membr. 11 explicant: »Praeexsistente in Deo ante omnem actum liberum suae voluntatis ratione ejus ordinis rerum, auxiliorum et circumstantiarum, quem ex sua parte elegit, necnon infinitorum aliorum, qui sua omnipotentia esse poterant; praevidente item quid in unoquoque eorum pro libertate arbitrii creaturarum esset futurum ex hypothesi . . . utique neque quod Deus hunc potius ordinem ele-

---

1) Cf. Carolus du Plessis d'Argentré in comment. hist. de praedestinatione ad gloriam et reprob. descriptis diligenter theologorum testimoniis ab a. 1120—1708 infert c. 10 § 1: »Veteres scholastici de causa praedestinationis omnino consideratae et ad gratiam et ad gloriam praecipue agebant. Ideo nolebant eam esse ex praevisis meritis, quia gratia, quae in ea includitur, non datur, nec proin praedestinatur ob praevisa merita.« Lessius de praedest. et reprob. sect. 1; Tricassinus in disp. theolog. de praedest. hominum ad gloriam part. 1 s. 1 p. 3; Franzelin th. 53.

2) Cujusmodi sunt Suarez, Ruiz, Bellarminus, Fr. Lugo, Salmeron, Pererius, Estius, Lemos, Justiniani, Trigosus, Antoine, Bannez, Barradas, Salmanticenses, Arriaga, Garnerius, Gonet, Norisius, Thomassinus, D'Aguirre, Habert, Serry ac generatim thomistarum schola (non tamen sine exceptione) etc. Sed ne virorum horum auctoritate nimium commoveamur, nobiscum enim sunt s. Bonaventura, s. Franc. Salesius, Albertus M., Alexander hal., Henricus gand., Petrus de Tarantasia (cf. Limbourg l. c. pag. 636 ss.), Eckius, Lessius, Jos. Tricassinus, Frassen, Vasquez, Becanus, Joan. et Mich. Medina, Sfondrati, Maldonatus, Stapleton, Greg. de Valentia, Jansenius gandav., Turrianus, Corn. a Lapide, Alcazar, Toletus, Petavius, Gamachaeus, Amicus, Tirinus, Maeratius, Platelius, Annatus, Tournely etc.

gerit quam alium eumque exsecutioni ex parte sua mandare constituerit, nec proinde quod in Christo hos potius elegerit ad vitam aeternam quam alios ... ulla datur causa, ratio, aut conditio etiam sine qua non, ex parte usus liberi arbitrii ipsorum aut aliorum praevisi, ob quam illos praedestinaverit volueritve illis ea media, per quae praevidebat perventuros illos in vitam aeternam, aut cur potius haec ipsa voluerit eis quam aliis; sed id totum in solam liberam ac misericordem voluntatem Dei est referendum, qui pro solo suo beneplacito id ita voluit«. Quam sententiam amplectitur illustratque Billiot de Deo uno et trino th. 31 ss. Mediam sententiam proponit Ambr. Catharinus, secundum quam alii ante praevisa, alii post praevisa merita ad gloriam praedestinati sunt, quod etiam arrisit Occam, Biel, Gabriel, Flam. Nobilio, Ysamberto, Marianae etc.

Praeferimus sententiam, quae docet, Deum sicut in tempore confert gloriam propter merita, ita ab aeterno gloriam electis parasse vel destinasse propter merita eorundem praevisa: de qua merito s. Franciscus Salesius occasione l. Lessii de praedestinatione ad eundem scribit 26. Aug. 1618: „Cognovi paternitatem vestram sententiam illam antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita amplecti ac tueri. Quod etiam mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam ac amabilem existimavi quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi." Statuimus autem thesim nostram in primis adversus illorum theologorum opinionem, quam primo loco exposuimus. Eatenus autem est etiam contra assertores systematis alterius, quod secundo loco dedimus, quatenus tuerentur, rationem, ob quam Deus inter tot ordines possibiles hunc potius eligit quam alium esse, quod a priori veluti has potius creaturas rationales quam alias velit salvas. Tunc enim eorum sententia recidit in priorem. Quod si aliam reddant rationem, ea conciliari potest cum nostra assertione. Nam hac in hypothesi ratio, quare hi potius quam alii in ordine a Deo pro lubitu electo destinentur ad gloriam erit praevisio cooperationis cum gratia, non aliqua voluntas Dei absoluta independens a praevisis meritis. Cf. infra n. 128[2].

113. **Demonstratio. 1.** Probatur haec sententia corollarii modo ex thesibus praecedentibus. Cum praedestinatione ante praevisa merita cohaeret reprobatio negativa multorum ante praevisa merita. Atqui reprobatio negativa conciliari nequit cum voluntate salutifera universali Dei, quam Scripturae clare docent (th. 104). Ergo neque praedestinatio ante praevisa merita conciliari potest cum voluntate salutifera universali, ideoque hac admissa defendi nequit.

2. Probatur ex descriptione judicii universalis Matth. 25, 34 s.: *Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei;*

possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare etc. Hic **a.** describitur verum judicium, in quo Deus justissimi judicis partes obit, distribuens pro meritis demeritisque praemia vel poenas. Atqui hoc judicium ad nudam fictionem caeremoniamque redigitur, si Deus electis independenter a meritis jam infallibiliter et ante omnem praevisionem cooperationis meritorumque destinasset gloriam. Judicium enim proprie dictum essentialiter supponit ut praemia et poenae non solum dependenter a meritis et demeritis conferantur, sed etiam destinentur. Ad haec **b.** ratio collationis praemii refunditur evidenter in merita: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare;* non minus ac poena refunditur in demerita malorum. Atqui nemo dicet, poenam ante praevisa demerita destinatam fuisse reprobis. Ergo neque praemium praedestinatum erit ante praevisa merita.

Particula causalis *enim* debet referri tam ad verbum *possidete*, quam ad participium *paratum*, alioquin sensus foret sat incongruus: Possidete propter merita, quod vobis paratum est ante et sine meritis. Prorsus pro arbitrio patroni alterius sententiae supponunt, ordinem exsecutionis non respondere ordini intentionis inversoque se habere modo. Nam id circa reprobos admitti nequit: quo jure ergo alius destinationis ordo fingitur circa praedestinatos, cum Christus ex aequo refundat praemium in merita sicut poenam in demerita? »Aliter suspicari, inquit ad rem Petavius de Deo X, 2 § 6, in destinando se gessisse Deum atque in exsequendo, quod decreverat, divinare prorsus est, ut jam dixi, si hoc nulla Scripturarum oracula persuadent, nulla secretorum divinorum conscia vox et interpres;« et s. Thomas lect. 6 in ep. ad Rom. 8 statuit: »Eadem ratione omnia beneficia, quae nobis confert ex tempore, praeparavit nobis ab aeterno.« Quare bene Chrysostomus hom. 80 n. 2 verba Christi ita enarrat: »Possidete hereditate quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quae vobis a principio debebantur: nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros, haec a me praeparata fuere.« — Bruno astensis in h. l. et hom. 29 (Mig. 165, 784) ita habet: »Fit conditionaliter praedestinatio Dei nihilque sine aliqua conditione praedestinatum est . . . Praedestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, si caritatem, si humilitatem, si patientiam, si misericordiam et pietatem et his similia habuerint. Tales enim eos futuros praevidit, quos Deus ad vitam praedestinavit, ut quasi praedestinando eis diceret: Ego quidem ad vitam vos praedestino, si tales et tales fueritis, si mea mandata custodieritis, si fidem et misericordiam habueritis et si in bono tandem inventi fueritis. Qui igitur talis esse non vult, qui Dei mandata custodire non nititur, ideo non venit ad praedestinationem, quia non servat conditionem.«

Crescit **c.** vis hujus argumenti, si quae hic leguntur, conferantur α. cum variis parabolis, ut cum parabola operariorum Matth. 20, 1 ss.; hominis veste nuptiali non induti ib. 22, 1 ss.; talentorum ib. 25, 13 ss., in quibus ridiculum foret supponere nescio quam praedestinationem ad mercedem ante praevisam operariorum vel servorum cooperationem; cum-

que iis testimoniis, in quibus vita aeterna exhibetur vel β. ut *corona*, quae non datur absque legitimo certamine et cursu: 1. Cor. 9, 24: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* 2. Tim. 4, 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex;* vel γ. ut *merces,* quae redditur meritis, sicut ignis redditur ut justa poena demeritis: 1. Cor. 3, 8: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Rom. 2, 5: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* 2. Pet. 2, 13: *In corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiae.* Quibus posterioribus testimoniis manifesto evincitur, eadem ratione a Deo conferri praemium, qua retribuitur poena, nullum enim fit discrimen. Atqui inter catholicos inauditum est, malis retribui poenam ipsis absolute ante praevisa peccata jam destinatam. Ergo neque gloria justis retribuitur, quae ipsis fuerit ante praevisa merita absolute destinata. Ne pro arbitrio distinguamus! Eoque minus, quod hisce in locis non apparet vestigium antecedentis cujusdam sive electionis sive reprobationis.

3. Neque desunt alia Scripturae testimonia pro nostra sententia admodum valida, in quibus scil. gloria exhibetur ita (supposita gratia) pendens a nobis, ut poena, adeo ut ab ea excidere possimus ob defectum cooperationis, sicut et peccatores poenitentia gloriam iterum possunt assequi. Quare non independenter a praevisis meritis destinata est justis. Ideo etiam monemur, ut magna diligentia et sollicitudine utamur, ne a gloria excidamus. Atqui ejusmodi timor et sollicitudo plane esset inutilis, si gloria antecedenter ante merita praevisa absolute infallibiliterque esset destinata; imo esset Deo injuriosa: diffideremus enim quasi de efficacia divinae praedestinationis. Huc in primis spectant verba s. Petri 2 ep. 1, 10: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Quomodo potest Petrus fideles hortari, ut *per bona opera certam* faciant suam *electionem,* si haec est certa per praedestinationem immutabilem, independentem a bonis operibus, quae Deus ipse gratiis de industria selectis procurare et tribuere debet praedestinatis, ne in praedestinationis exsecutione a scopo intento aberret? Haec exhortatio in opinione contraria carere videtur sensu. Philipp. 2, 12: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* 1. Cor. 10, 12: *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat;* Rom. 11, 22: *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris;* Ap. 3, 11: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

4. In divinis literis vita aeterna promittitur omnibus sub conditione, ita Matth. 19, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Cf. Apoc. 3, 5; Rom. 8, 17 etc. et conc. tridentinum s. 6 cap. 16. Atqui promissio sub conditione pugnat cum voluntate absoluta antecedente praevisionem adimpletae conditionis: nam, ut inquit Lessius de praed. n. 12, „sicut promissio est signum voluntatis, ita promissio conditionata est signum voluntatis conditionatae, et promissio absoluta signum voluntatis absolutae . . . Sane insolens plane est inter homines id sub conditione promittere, quod jam voluntate absoluta decreverunt . . . Confirmatur quia non solum promissiones omnes sunt conditionatae, sed adduntur minae, nisi conditio illa praestetur, amissionis regni et aeternae damnationis incurrendae, quae etiam ad omnes pertinent. Ergo regnum non ita est decretum alicui, quin reipsa possit amitti. Si enim non posset sequi realis amissio, vana essent ista terriculamenta." Ergo gloria electis non est destinata ante praevisam adimpletionem conditionis, sollicitudinem, cooperationem i. e. ante praevisa merita gratiae. Hinc 1. Cor. 2, 9 gloria dicitur a Deo *praeparata* diligentibus se; dependenter igitur a conditione ponenda ab homine, cujus adimpletio praevideri debet, ut dici possit absolute *praedestinata,* seu aliis verbis non ideo diligunt (electi), quia gloria ipsis est praeparata, sed ideo est praeparata, quia diligunt.

5. Probatur sententia nostra luculento patrum suffragio. Seposita interim doctrina et auctoritate Augustini eam tuentur patres sive

a. cum explicant verba Christi Matth. 20, 21 ss., ubi Christus matri filiorum Zebedaei petenti: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo,* respondet: *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Ita Cyrillus alex. thes. 26: »Non est meum dare: non quod id praestare non posset, sed quia praemia certantium laboribus proportione quadam respondere debent. Perinde ac si quis iis, qui ad certamen vocati sunt, praemia proponens dicat: Non est meum, boni viri, summum praemium rapere, et cui libuerit conferre, neque enim idcirco curriculi terminos statui; sed ille hoc auferet, qui reliquos vincendo summo honore affici meritus fuerit. Ita et Salvator iniquum esse censuit, summum honorem petentibus prompte conferre, repulsis iis, quibus legitime debetur; iis enim deferri aequius est, quibus praescientia Patris ob virtutum recteque factorum excellentiam eum praeparavit.« — Hieronymus c. Jovin. II n. 28: »Regnum coelorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum: sed quicunque talem se praebuerit, ut regno coelorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personae, sed vitae paratum est. Si itaque tales estis, qui consequamini regnum coelorum, quod pater meus triumphantibus et victoribus praeparavit, vos quoque accipietis illud.« — Epiphanius haer. 69 n. 58; Gregorius naz. or. 37 n. 14. 15; Chrysostomus hom. 65 n. 3 in h. l.; hom. 8 c. anomoeos de petitione filiorum Zebedaei; Ambrosius de fide V, 6 n. 82; Caesarius (vel quicunque alius auctor) dial. 3 interrog. 131. — Neque ab hac

expositione dissentit Augustini expositio in Ps. 120 n. 11: »Ut autem sis ad dexteram, potestatem accepisti, de qua dicit Joannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (1, 12). Unde accepisti hanc potestatem? Credentibus inquit in nomine ejus. Si ergo credis, ipsa tibi potestas data est, ut sis inter filios Dei; esse autem inter filios Dei, hoc est ad dexteram pertinere;« in Ps. 136 n. 18; »Jacob dilexi, Esau autem odio habui . . . Esau omnes carnales, Jacob autem omnes spirituales; minores electi; majores illi reprobati. *Vult et ipse eligi?* fiat minor"; in primis vero in Ps. 126 n. 4: »Quid est, *non est meum dare vobis?* Non est meum dare superbis: hoc enim adhuc erant; sed si vultis accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est; et vos alii estote et vobis paratum est.« Quem sequuntur Beda in h. l. et in Marc. 10, 40, Paulus diaconus hom. 85; Rabanus Maurus, Zacharias chrysopolit. in h. l. (Mig. 186, 354), Christianus Druthmarus in h. l. (ib. 106, 1425), Remigius antissiodorensis hom. 11 (ib. 131, 925) etc. Verbis Augustini ut id obiter innuamus, aequivalenter continetur notum axioma: *Si non es praedestinatus, fac ut praedestineris:* quare hoc axioma censeri potest non solum verum, uti est, sed et augustinianum, quod tantus doctor illud suo suffragio approbaverit.

b. Patres tuentur nostram sententiam, cum explicant Rom. 8, 30: »*Quos praescivit, hos et praedestinavit;*« in quae verba ita scribit Ambrosius l. c.: »Quos praescivit, et praedestinavit, non enim ante praedestinavit quam praesciret, sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit.« — Quocum consentiunt Ambrosiaster, Hieronymus, Theodoretus, cujus haec sunt verba in h. l.: »Nam quos praescivit et praedestinavit . . . Non enim simpliciter praedestinavit . . . Quorum propositum praescivit, hos ab initio praedestinavit, praedestinatos autem etiam vocavit.« Consentiunt insuper Cyrillus alex., Bruno carthus. (Mig. 153, 75), s. Thomas et Sedulius scotus (ib. 103, 79 s.) in h. l.

c. Eam tuentur aliis occasionibus, ut Fulgentius ad Monimum I, 24: »Ostensurus itaque Deus, quid reddendum praesciverit et quid donandum, praedestinavit illos ad supplicium, quos a se praescivit voluntatis malae vitio discessuros, et praedestinavit ad regnum, quos ad se praescivit misericordiae praevenientis auxilio redituros, et in se misericordiae subsequentis auxilio esse mansuros.« Prosper resp. ad object. vincent. 12 (opusc. XXXV, 198): »Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt (fideles lapsi et damnati), et quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati; essent autem praedestinati, si essent reversuri et in sanctitate ac veritate mansuri.« — Irenaeus IV, 39 s.; Jo. Damascenus dial. cum manich. n. 80; Hilarius in Ps. 64 n. 5: »Multi vocati sunt, sed pauci electi . . . Itaque non res indiscreti judicii est electio, sed ex meriti delectu facta discretio est.« — Honorius augustodun. in dial. Inevitabile (Mig. 172, 1199): »Qui praevisi sunt in bonis permansuri, ad gloriam sunt praedestinati; qui vero praesciti in malo vitam finituri, ad poenam sunt utique praeordinati. Ergo quos Deus praescivit in Filium suum credituros et mandata ejus voluntarie servaturos, hos ante secula praedestinavit.« Provocamus patronos alterius opinionis ut vel unum testimonium ex patribus adeo clarum pro sua, quaestione tamen distincte proposita, afferant nostrisque tam multis opponant.

6. Nostrae sententiae suffragari videtur ipsa Ecclesia in illa oratione, qua precatur: „Deus, qui omnium misereris, quos *tuos fide et*

opere futuros esse praenoscis," quae verba desumpta videntur ex l. de praedestinat. Dei (in append. opp. s. Augustini Migne 45, 1680) n. 7: „Quos Deus suos fidei opere futuros esse praenovit, hos praedestinavit ad gloriam." Hoc argumento utitur s. Fr. Salesius [1]).

7. Suffragatur ecclesia graeca in synodo hieros. (a. 1672), statuens, Deum „illos praedestinasse, quos arbitrio suo bene usuros praescivit, quos vero male, damnasse. Hunc porro liberi arbitrii usum ita intelligimus, ut divina quidem illuminatrix gratia, quam et praevenientem appellamus, ceu lumen in tenebris a divina bonitate omnibus impendatur, ac postmodum iis, qui obtemperare illi atque ad ea, quae tamquam saluti pernecessaria, haec ipsa praecipit, cooperari voluerint (neque non volentibus utilis est, sed solum volentibus), peculiaris gratia subministretur" etc. (Hard. IX, 235).

8. Probatur ratione haud spernenda, quod in opposita sententia responderi non potest ad celebre dilemma: Vel sum praedestinatus vel non sum praedestinatus. Si sum praedestinatus, quidquid fecero salvabor; si non sum praedestinatus, quidquid fecero non salvabor. Vivam igitur pro arbitrio. Praeterea exhortationes comminationesque vim suam amittunt, torpor et incuria propriae salutis induci, zelus exstingui videtur, si secundum logicam ex principiis progredimur. Quare vel ipsi patroni alterius sententiae in praxi, in concionibus, exhortationibus et sermonibus practicis ad populum eodem plane modo loquuntur atque illi, qui tuentur praedestinationem post praevisa merita: ultro inculcant a nostro fervore salutem, a nostra negligentia pendere damnationem etc. Atqui hic dissensus inter theoriam et praxim, inter corollaria practica et praemissas nota videtur improbabilitatis sententiae, quam impugnamus. Praemio digna foret concio vel instructio ascetica innixa theoriae de praedestinatione ante praevisa merita, de reprobatione negativa, sed quae sibi constet et cohaereat, in qua exhortationes non adversentur praemissis et quae peccatores excitet ad spem et fiduciam, soletur pusillanimes, corda auditorum dilatet!

114. **Thesis CVI.** ***Praedestinationi ad gloriam post praevisa merita supernaturalia nullatenus obsunt sive quae leguntur Matth. 24, 22—24; Joan. 10, 26 ss.; Luc. 12, 32; Act. 13, 48; Rom. 8, 28; Eph. 1, 4 ss.; Sap. 4, 11; sive nominatim quae s. Paulus tradit c. 9 ep. ad Romanos.***

---

[1]) Traité de l'Amour de Dieu l. 3 c. 5, ubi citatis his verbis prosequitur: » Comme si elle (Ecclesia) avouait que la gloire, qui est le comble et le fruit de la miséricorde divine envers les hommes, n'est *destinée* que pour ceux que la divine sagesse a prévus qu'à l'avenir obéissants à la vocation, ils viendraient à la foi vive qui opère par la charité. «

Demonstratio p. I. Legimus apud Matth. 24, 22: *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi;* v. 24: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Quod testimonium nonnullis videtur pro sua sententia classicum. Sed dum ex illo arguunt, aliqua absque probatione supponunt, et ex his aliqua minus legitime inferunt.

1. Supponunt nomine *electorum* designari praedestinatos ad gloriam: sed eo possunt significari generatim fideles vel justi, ut 1. Pet. 1, 1: *Petrus, apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis* etc.; 2, 9: *Vos autem genus electum;* Coloss. 3, 12; 2. Thess. 2. 12; 2. Tim. 2, 10. Neque enim satis logica est illatio, qua ex aliquot testimoniis, in quibus electi iidem sunt ac salvandi, firmus fixusque infertur usus loquendi, quo electorum nomine semper et ubique designentur praedestinati et quidem absolute praedestinati independenter a praevisis meritis. Ad rem Lessius de praedest. s. 6 ass. 5 n. 152 statuit propositionem: „Omnes justificatos secundum modum loquendi Scripturarum esse electos et praedestinatos ad gloriam; haec tamen electio et praedestinatio non est completa, sed ut compleatur requirit conditionem ex parte nostra, quam implere vel non implere est in nostra potestate, ac proinde etiam in nostra potestate est efficere, ut praedestinatio nostra compleatur." Cf. Franzelin th. 56.

2. Supponunt praepositionem *propter* exprimere causam finalem; probabilius significat causam *meritoriam* i. e. propter justorum merita et orationes abbreviandos esse dies tribulationum. Cf. Gen. 18, 22 ss.

3. Supponunt sermonem esse de salute supernaturali: sed possunt illa verba commode intelligi de salute et vita temporali.

4. Supponunt haec referri ad finem mundi: sed de hoc dubitat ipse Augustinus ep. 199 ad Hesychium n. 29: „Lucas ergo patefecit (21, 20 ss.), quod esse posset incertum, non ad seculi finem, sed ad expugnationem Jerusalem pertinere id quod dictum est de abominatione desolationis et quod dictum est de dierum breviatione propter electos: quia etsi ea ipse non dixit, dixit tamen apertius cetera de hoc ipso, quo et ista pertinere monstravit. Non enim debemus ambigere, quando eversa est Jerusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderant sive fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breviarentur dies illi, ut tolerabilia fierent mala." Videntur ergo verba haec spectare ad excidium urbis et templi Jerusalem. Quae omnia paucis complectitur s. Chrysostomus hom. 76 in Matth. n. 1: „Hoc porro vult significare: si diutius romanorum contra urbem illam

bellum extractum fuisset, omnes judaei periissent, nam omnem carnem hic pro judaica ponit . . . Quosnam autem hic *electos* vocat? Fideles, qui in medio illorum conclusi erant . . . si illi non adfuissent, omnes radicitus perituros fuisse" etc. Cf. hom. 5 in Act. ap. n. 2; Juvencus hist. ev. IV v. 136.

Verum concedamus quae supponunt, minus legitime ex iis inferunt, electos illos praedestinatos fuisse ante praevisa merita. Cum enim Christus auditores adeo hortetur, ut sibi sedulo prospiciant, caveant a seductoribus; cum eos terreat gravissimo lapsus periculo, ac salutem a perseverantia finali dependentem exhibeat, contrarium potius inferendum esse censemus. — De verbis v. 24, quae quidem ad mundi finem referuntur, similia dici possunt. Insuper notetur, verba *si fieri potest* non necessario significare impossibilitatem perversionis electorum, sed probabiliter significare intentionem eorum, qui signa illa magna patrabunt; ea scil. facient, ut quantum est in ipsis fideles et vel Ecclesiae columnas seducant: quo in sensu verba non sunt ad rem. Nam Christus non significat id fieri non posse, imo potius tot monitionibus, quibus fideles ut sibi caveant instruit, nos docet vel electorum lapsum esse possibilem. Cf. Patrizi comment. in Marc. 13; quaest. de Evangeliis l. 2 n. 148—150; de interpret. s. Script. l. 1 n. 339.

115. Neque ad rem sunt verba Luc. 12, 32: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* nam sequeretur **1.** Judam fuisse praedestinatum; pertinebat enim tunc ad pusillum gregem, quem Christus alloquebatur. Supponitur **2.** nomine *regni* designari gloriam eamque exhiberi ut absolute praedestinatam. Atqui plurimis ex locis constat, gloriam nonnisi sub conditione promitti, ideoque supposita praevisione conditionis adimpletae destinari. Praeterea **3.** nulla habetur ratio contextus; Christus enim ibidem sic fere ratiocinatur: Nolite timere, ne vobis desint temporalia, complacuit enim Patri vestro dare vobis vel maxima dona, ipsum scil. regnum coeleste; quare profecto dabit et haec minora necessaria. Atqui Deus certe non praedestinavit bona temporalia saltem pleraque, independenter a praevisa cooperatione hominum. Quare hic textus prorsus non est ad rem.

116. Multum fidunt patroni alterius opinionis Christi verbis Joan. 10, 26 ss.: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Sed **1.** nomine *ovium* intelligi necessario non debent praedestinati ad gloriam; designantur enim admodum probabiliter fideles justi. Jam vero **2.** hisce ovibus dat Christus vitam aeternam, sed ea ratione, qua eam dat omni credenti ex. gr. Joan. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* v. 16; 6, 40. 47: *Qui credit in me, habet vitam aeternam* etc., scil. non absolute, sed sub conditione perseverantiae. **3.** Hae oves *non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu* Christi i. e. non peribunt ex incuria

et negligentia Christi, qui se hic exhibet pastorem bonum, non mercenarium, qui cum videt lupum venientem deserit oves (cf. v. 10 ss.): quod non impedit, quominus oves sua sponte pastorem deserere possint. Quare Chrysostomus hom. 81 in h. l. n. 2: „Non enim, inquit, ex custodientis imbecillitate, sed ex custoditorum fragilitate perditio exsistit.“ Nam, ut inquit Oseas 13, 9, *perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Hinc Petrus ovibus inclamat 1. ep. 5, 9: *Cui* (leoni quaerenti devorare oves) *resistite fortes in fide.*

117. Maxime urget Calvinus verba Act. 13, 48: *Crediderunt, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* Verum vox *praeordinati,* sive ratio habetur textus graeci (τεταγμένοι), sive contextus, reddi potest: crediderunt quotquot bene dispositi (sane ope gratiae) erant. Sicuti enim describitur mala judaeorum dispositio, causa eorum incredulitatis: ita mox describitur bona gentium dispositio, quae audientes Paulum et Barnabam, quos audire noluerant judaei, gavisae sunt et glorificabant verbum Domini: qua bona dispositione praesupposita nihil mirum, eas verbum Dei fide etiam esse amplexas. Hoc autem sensu omnino praeferendo verba non sunt ad rem.

118. Miramur autem nobis objici Rom. 8, 28: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti;* **1.** cum plures gravesque patres haec verba secundum nostram sententiam explicent (supra n. 113[5] **b.**). Sane **2.** legimus versiculo immediate sequenti: *Nam quos praescivit et praedestinavit.* Quod si praedestinatio praeeuntem habet praescientiam eaque regitur, non videtur antecedere merita praevisa, eoque minus, quod a vers. 12 gloria exhibetur conditionata; pendens scil. a conditione compassionis cum Christo v. 17, ad quam adimplendam hortatur Paulus triplici proposito motivo: **a.** magnitudine gloriae; **b.** auxilio Spiritus s. et quod **c.** diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Verba vero **3.** *qui secundum propositum* [1]) *sunt vocati* non designant praedestinationem absolutam, sed Dei beneplacitum, bonam voluntatem, qua nos peccato perditos non propter opera et merita nostra naturalia, sed secundum misericordiam suam mera sua benignitate et liberalitate ad gratiam et supposita nostra cooperatione ad sanctitatem per Christum vocare, et per bona opera ex gratia profecta ad gloriam eligere proposuit cf. Rom. 4, 5; Eph. 1, 5 et 11; 2. Tim. 1, 9; Tit. 3, 5. Nemo enim catholicus negare potest, nostram ad finem supernaturalem destinationem, nostram electionem quamvis sub conditione, ideo-

---

[1]) Hoc *propositum* **a.** patres graeci intelligunt de voluntate ipsius hominis (utique ex gratia concepta); **b.** patres latini duce Augustino de voluntate Dei; et ex interpretibus quidem **c.** alii eam intelligunt de voluntate efficaci dandi gloriam ante praevisa merita, ut Justinianus, Pererius, Fromondus, Estius, quae tamen voluntas non probatur, sed gratis asseritur: quare **d.** longe melius alii tot claris Scripturae testimoniis innixi propositum illud intelligunt de illo decreto, quod in textu admittimus et tuemur. Pro varia hac interpretatione alia quoque est explicatio verbi *praescivit.* Cf. in primis Lessius n. 41 ss.

que nostram praedestinationem quamvis post praevisa merita, nos debere summae Dei misericordiae, quae non respiciens mala, quae fecimus nos, gratis nos vocavit, gratis justificavit et ad tantam promovit gloriam. Hoc autem decretum modo vocatur *bona voluntas,* quia ex amore profectum bonum nostrum intendit; modo *beneplacitum,* quia gratuitum; modo *consilium,* quia secretum; modo *propositum,* quia firmum et in multis saltem est efficax.

119. Pariter ad rem non sunt verba Ephes. 1, 4 s.: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae* etc. Vix enim credibile est, revelatum esse omnes illos, ad quod Paulus scribit, multo minus nos, ad quos haec verba pariter spectant, fuisse praedestinatos ad gloriam ante meritorum praevisionem. Agitur hoc in loco non de electione ad gloriam ante praevisa merita, sed de electione quantum est ex parte Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, ad fidem et gratiam justificationis, non tamen seclusa nostra cooperatione neque independenter ab ea. Quare non est sermo de electione absoluta, a qua nullus deficere possit. Alioquin Petrus non hortaretur fideles omnes: *Fratres magis satagite, ut per bona opera* **certam** *vestram vocationem et* **electionem** *faciatis* 2 ep. 1, 10.

120. Neque ad rem sunt Sap. 4, 11: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Significatur enim tantum, mortem praematuram justo non fore damno, nam in refrigerio erit eaque eripitur tot malis. Collatio autem hujus beneficii non est necessario refundenda in aliquam praedestinationem absolutam, sed potius in sanctitatem vitae, *nam placens Deo factus est dilectus* v. 10; *propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum* v. 14.

121. **Demonstratio p. II.** De cap. 9 ep. ad Romanos tenendum est **1.** illud haberi non posse pro loco classico, e quo genuinum judicium de praedestinatione electorum ad gloriam vel reprobatione malorum ad interitum peti debeat, tum **a.** ex defectu claritatis, nam ut scribit Hieronymus ep. 120 q. 10: „Omnis quidem ad Romanos epistola interpretatione indiget et tantis obscuritatibus involuta est, ut ad intelligendam eam Spiritus sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum haec ipsa dictavit, sed praecipue locus hic;" cf. ep. 121 q. 8; tum **b.** ex defectu materiae; neque enim hic agit Apostolus de praedestinatione ad gloriam post gratiam, nec de reprobatione a gloria: sed de gratuita vocatione per fidem ad salutem, gratiam justificationis et dona s. Spiritus nulla ratione habita generationis carnalis et justitiae legalis, in qua gloriabantur maxime judaei.

2. Non licet hoc caput ita explicare, ut adversetur certissimis doctrinae capitibus sive ejusdem Apostoli, sive generatim s. Scripturae. Atqui Paulus alibi clare et diserte docet, Deum velle omnes homines salvos fieri (n. 100), Christum pro omnibus mortuum esse, pro iis etiam, qui pereunt (n. 99[2]), Deum tamen non velle salutem hominum citra eo-

rundem cooperationem 2. Cor. 5, 14 ss.; 6, 1; ideoque nobis connitendum esse et strenue currendum Phil. 2, 12, cum vita aeterna, etsi gratia, tamen simul sit merces, praemium, corona, qua propter nostram desidiam excidere possimus (113[3]). Quare fas non erit cap. 9 ep. ad Rom. ita exponere, ut vel voluntas salutifera coarctetur vel reprobatio negativa, multo minus positiva statuatur, excludatur nostra cooperatio, a qua assecutio salutis post gratiam pendeat etc.

122. Quod phrases difficiliores attinet, has paucis explicabimus. **1.** Verba v. 13: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* si referuntur ad voluntatem Dei consequentem praevisionem, nullam prae se ferunt difficultatem. Sed neque difficultatem facessunt, si referuntur ad voluntatem Dei antecedentem: nam tunc non debent intelligi de odio proprie dicto, sed de dilectione comparative minori[1]), cujus effectus proxime essent minora bona temporalia et etiam spiritualia: adeo ut sensus sit: Jacob praetuli, Esau posthabui quod attinet ad bona hereditate accipienda, nullatenus vero: Esau a salute exclusi, reprobavi, in praedestinando praeterii. Ita ea possunt explicari; ita debent, ut suadet **a.** contextus, quia scopus Pauli non plus exigit: vult enim summum Dei dominium in distribuendis beneficiis et gratiis extollere; probant **b.** praecedentia: *Major serviet minori,* cujus ratio redditur verbis *Jacob dilexi* etc.; illis autem significatur mera praelatio. Probatur **c.** ex ipsa historia, quam respicit Paulus; nam revera in benedictione praelatus fuit Jacob fratri, qui tamen non fuit exclusus ab omni benedictione Gen. 27, 37; 32, 6; 33, 9. 15; 36, 6; Hebr. 11, 20, sed tantum posthabitus. Hinc non obstantibus hisce Scripturae verbis non desunt graves theologi, qui tueantur Esau esse salvatum[2]).

2. Verbis v. 16: *Igitur neque volentis, neque currentis sed miserentis est Dei,* non excluditur cursus viribus gratiae confectus, nec voluntas praepa-

---

[1]) Luc. 14, 26: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* In loco parallelo Matth. 10, 37 dicitur: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* etc. Cf. Gen. 29, 30 col. 31 sec. LXX et Deut. 21, 15 ss. Notat autem Franzelin thes. 65: »Re tamen vera apud Malachiam 1, 2 significat *(odio habui)* positive justitiam et severitatem in puniendis peccatis: nec ulla est ratio, cur in sensu typico, qua ab Apostolo instituitur argumentatio, non intelligi debeat eadem significatione punitio judaeorum, qui fidem Christi suscipere noluerunt. Haec autem justitia divina non potest intelligi nisi suppositis peccatis ex voluntate consequente.« Quare Hieronymus l. 1 in ep. ad Galat. 1, 15 prophetae verba ita explicat: »Hoc ex Dei praescientia evenire, ut quem scit justum futurum, prius deligat quam oriatur ex utero: et quem peccatorem, oderit antequam peccet: non quo et in amore et in odio iniquitas Dei sit; sed quo non aliter eos habere debeat, quod scit vel peccatores futuros esse vel justos: nos ut homines tantum de praesentibus judicare; illum, cui futura jam facta sunt, de fine rerum, non de exordiis ferre sententiam.«

[2]) Juverit etiam notare triplici modo Jacob et Esau considerari posse: **a.** ut sunt personae singulares; **b.** quatenus repraesentant populos, qui ex ipsis generatione prodierunt; **c.** ut typi in ordine ad oeconomiam gratiae. Quod si typice considerantur, »comparatio fit, ut inquit Lessius s. 3 n. 46, inter gentes fide praeditas absque operibus externis et inter judaeos habentes opera legis et illis (et generationi carnali ex Abrahamo) nitentes.«

rata a Domino, cum agitur de accipiendo bravio, ut patet ex 1. Cor. 9, 24 ss. (n. 113 [2]), 2. Cor. 6, 1: sed excluditur cursus et voluntas naturalis ad assequendam justificationem, cujusmodi fuit cursus Esau venatum et Jacob ad ovile Gen. 27. Cf. opusc. XVI, 51 ss. annot.

3. Quae leguntur *de induratione Pharaonis* non sic adscribi possunt Deo, ut non ipse Pharao causa suae obdurationis libere fuerit. Nam **a.** Deus est usus monitionibus, praeceptis, minis, quae sicut supponunt Pharaonis libertatem, ita intentionem Dei, ut sibi morem gereret; **b.** induratio ipsi Pharaoni adscribitur Ex. 7, 22; 8, 15; 9, 34; atque ipse **c.** plagis attritus se peccasse fatetur 9, 27; 10, 16; imo **d.** Sap. 11 s. (n. 99 [1]) diserte docemur, Deum hisce plagis sincere intendisse correctionem et poenitentiam induratorum. Idem **e.** tuentur et patres, qui vel docent, Deum indurasse Pharaonem permittendo illius indurationem; vel occasione eorum, quae leguntur Sap. c. 11 et 12 et Rom. 2, 4 s., affirmant, Deum indurasse Pharaonem, quatenus divitiae bonitatis, patientiae et longanimitatis ei occasio indurationis exstiterint. Ita ex. gr. scribit Chrysostomus hom. 16 in ep. ad Rom. n. 8: »Vas irae erat Pharao, id est, homo, qui sua duritia divinam iram incendit. Longam enim ejus patientiam expertus, non melior effectus est, sed incorrigibilis mansit. Ideo non modo vas irae ipsum vocavit, sed *praeparatum* ad perditionem, id est, apparatum, per se nempe atque opera sua; neque enim Deus quidpiam praetermisit eorum, quae ad ejus emendationem facerent, neque ille praetermisit quidpiam eorum, quae ipsum perderent omnique venia privarent. Attamen haec cum sciret Deus, multa patientia eum tulit, cupiens illum ad poenitentiam abducere. Nisi enim hoc voluisset, diuturna adeo patientia usus non esset. Quia vero ille noluit divina patientia ad poenitentiam uti, sed praeparavit se ad iram, usus est illo Deus ad aliorum emendationem, per illius supplicium alios studiosiores reddens et sic potentiam suam ostendens. Quod enim nolit Deus sic et per inflictas poenas potentiam suam notam facere, sed alio modo per beneficia, per liberalitatem, id jam Paulus supra modis omnibus declaravi Nt.am si ipsemet non ita et per poenas vult potens videri: *non* enim *ut nos probati videamur*, inquit, *sed ut vos bonum faciatis* (2. Cor. 13, 7), multo magis Deus. Sed quia longanimis fuit, ut Pharaonem ad poenitentiam adduceret, is vero poenitentiam non egit, illum diuturno tempore tulit, benignitatem simul suam potentiamque demonstrans, siquidem ille lucri aliquid e tanta patientia referre vellet. Similiter cum illum in sua perversitate obfirmatum punierit, suam ostendit potentiam: eodemque modo eorum, qui multum quidem peccassent, sed poenitentiam egissent, miseratus suam in homines benignitatem patefecit.« Cf. etiam n. 9. — Ceterum ipse Augustinus de gratia et lib. arb. n. 45 scribit: »Nec ideo auferatis a Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: *Ego induravi Pharaonem,* vel *induravi* aut *indurabo cor Pharaonis.* Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. Nam et hoc de illo legitur, quando ablata est ab aegyptiis cynomya dicente Scriptura (Ex. 8, 32): *Et ingravavit Pharao cor suum et in isto tempore et noluit dimittere populum.* Ac per hoc et Deus induravit per justum judicium (permittens indurationem et nolens emollire cor Pharaonis) et ipse Pharao per liberum arbitrium.« — Cf. Caesarius arel. integro et egregio serm. 13; Theodoretus in h. l.; Thomas l. 3 in Rom. 9 cum vindiciis de Rubeis in praef. t. 6 ed. venetae n. 3; d'Argentré in comment. hist. de praed. c. 1. 2.

4. Secundum hunc sensum intellegi debent verba v. 18: *Quem vult indurat;* quae sunt illatio ex induratione Pharaonis, i. e. non emollit, cum possit quia ad hoc non tenetur; permittit indurari in poenam praecedentium peccatorum et indurationem consequenter ad bonum disponit finem.

5. Similitudo *figuli* pro lubitu vasa ex luto fingentis ad vivum resecari non debet. Prae oculis enim habeantur verba Chrysostomi l. c.: »Hoc ubique observandum est, ut similitudines non universim (i. e. adaequate) accipiantur, sed quod in illis opportunum est et ad quod declarandum assumptae sunt, oportet seligere, reliqua vero omnia missa facere.« Jam vero Paulus hac similitudine utitur ad supremum Dei dominium in distribuendis suis gratiis inculcandum et ad ostendendum non quid Deus fecerit, sed quid facere suo jure posset, ideoque ad retundendam temeritatem praesumptuosam hominis expostulantis rationes a Deo factore suo: non vero utitur Paulus hac similitudine ad excludendam liberam nostram cum gratia cooperationem, ut ex vasis contumeliae reddamur vasa misericordiae, ut praeeunte ipso apostolo 2. Tim. 2, 20 ss. quam plurimi patres docent. Quare ad rem scribit Origenes Philocaliae c. 21: »Cum igitur Apostolus quandoque non adscribat Deo, quod quis sit vas in honorem vel ignominiam, sed omnia in nos referat; et quandoque non nobis, sed Deo adscribere videatur (Rom. 9, 20): non pugnant haec loca inter se, sed ex utroque integer colligi sensus debet. Neque libertas nostra facit, ut bene operemur sine Dei auxilio: neque Dei nos auxilium cogit ad profectum, nisi et nos ad bonum concurramus.« — S. Cyrillus alex. in h. l. coll. Jer. 18, 2 (unde Paulus hanc derivaverat similitudinem) clare ostendit, homines se ipsos facere vasa vel in honorem vel in contumeliam. »Viden', infert, quanam ratione formentur quidam ad honorem, quidam vero ad ignominiam? Non quod reapse sic conformatam naturam sortiti sint: sed quia singuli parem operibus suis convenientemque remunerationem referunt.« Cf. Jo. Damascenus F. O. IV, 19. Et revera apostolus docet infra vocationem ad justitiam et salutem pendere a cooperatione, scil. a fide v. 30 ss.; fidem vero non esse absolute praedestinatam, sed pendere pariter a nostra cooperatione 11, 20 ss. Cf. Toletus comment. in ep. ad Rom. c. 9.

123. **Corollaria. 1.** Sano aliquo sensu dici potest, praedestinationem ad gloriam pendere a nobis post gratiam, quod sicut patet ex variis Scripturae effatis, ita etiam ex verbis Augustini (n. 113[5]) et Hieronymi c. Jovin. II, 28 occasione responsi Christi Matth. 20, 23: „Frustra a me petitis quod in vobis situm est, quod Pater illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem.“ Cf. Lessius ap. ad s. 4 n. 76 ss.; s. 6 ass. 5; Becanus summae theol. t. 1 tr. 1 c. 14.

2. Praedestinatio est certa et immutabilis: innititur enim infallibili praescientia Dei; eodemque modo cum libertate humana conciliatur, quo conciliantur cum eo praescientia et gratiae efficacia.

3. Certus est numerus praedestinatorum, qui quatenus subest praescientiae Dei, nec augeri nec minui potest.

De numero determinato praedestinatorum vel reproborum nil certi statui potest, concionatoribus tamen ascetisque nonnullas considerandas proponimus propositiones doctissimi theologi hispani Genér theol. dogm. scho-

last. II, 342 ss., ne nimis confidenter reproborum numerum adeo exaggerent, ut auditoribus lectoribusque desperationem injiciant. Ita ille statuit: »Principio in collectione omnium Christi fidelium adultorum in catholicae Ecclesiae sinu degentium, multo minor est reproborum numerus, quam praedestinatorum. Quia iis praecipue, tamquam electo Dei populo, favere debent innumera testimonia, quibus divina bonitas vult omnes salvare (maxime fideles 1. Tim. 4, 10), omnes ad se venire, nullum perire. Ideo ex iis stantes ante thronum numerari nequeunt Apoc. 7, 9 utpote vasa misericordiae, in quibus ostendit Agnus divitias gloriae suae Rom. 9, 23. Unde adumbrantur in convivio patris familias, ubi unus tantum absque veste nuptiali inventus est Matth. 22, 11 (neque probabile videtur, corpus Christi majori ex parte damnari)... Deinde in collectione omnium hominum, praedestinatorum numerus est multo major, et consequenter reproborum numerus est multo minor, quam quod opinio communis existimet. Imo forte saltem non reprobi cum reprobis ut minimum aequales sunt. Ratio generalis utriusque partis asserti est, quia attributum divinae misericordiae cum voluntate salvandi omnes est prae ceteris in sacro codice inculcatum commendatumque . . . Neque vero tot sunt reprobi, exceptis fidelibus, quod vulgo declamantur; nam Ecclesia habet innumeros filios occultos, de quibus ipsa dicet in die novissimo: *Quis genuit mihi istos, et isti ubi erant?* Isai. 49, 21.« Pag. 347 in annot. demum subjicit: »Postquam tertium hoc assertum jam pridem, prout jacet, definitum ac illustratum virisque doctis probatum prelo paraveram, incidi in famosam illam dissertationem Benedicti Plazza, seu potius Josephi Mariae Gravina in commentario posthumo ejusdem Bened. Plazza de paradiso par. 3 cap. 5, ubi sine haesitatione sic asseritur: ,Verisimile est, electos homines respectu hominum reproborum longe numerosiores esse'. Id autem luculentissimis probationibus ostenditur, petitis hinc inde et undequaque argumentis e sacra pagina, e patribus, e theologis qua scholasticis, qua asceticis, e coelestibus revelationibus, e theologicis conjecturis selectis quidem ac propemodum innumeris.« Fatendum tamen est praecise hoc c. 5 damnatum fuisse decreto congr. Indicis 22. Maji 1772. Inter conjecturas autem illa non est spernenda, quam ita Genér proponit: »Numerus non reproborum est saltem compar reprobis, ne dici possit cum dedecore et injuria divinae majestatis et clementiae, majus esse imperium daemonum, quam Christi, qui plane suum non fuderit sanguinem quoad efficaciam, ut in tanta hominum paucitate, quam praefert communis opinio, sua copiosa redemptio adimpleretur.« Ne vero nimis urgeant qui reproborum numerum exaggerare adamant verba Christi: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* Matth. 20, 16; 22, 14, cum **1.** non satis constet utrum haec referantur ad solos catholicos, eosque adultos, an ad omnes christianos, ad omnes homines: quod posterius haud pauci interpretes sentiunt. **2.** Verba *pauci* et *multi* possunt accipi relative ita, ut non sequatur absolute paucos catholicos, christianos etc. salvari, sed pauciores quam merito erat exspectandum attento negotii salutis momento. Ut si ad electionem maximi momenti ex centum electoribus 70 venirent, 30 deessent, posset haud immerito dici, paucos i. e. pauciores, quam merito electionis gravitas exigebat, venisse: multos i. e. plures quam par erat defuisse [1]).

---

[1]) Cf. Perger S. J. in fasc. practicis der kath. Seelsorger 1895 p. 112 ss.; 162 ss.; Dieringer, das Epistelbuch der kathol. Kirche t. 3 in festo omnium SS.,

4. Vere dici potest, solos praedestinatos consequi vitam aeternam, alioquin falleretur praescientia Dei.

5. Haec certa et infallibilis notitia Dei, qua eos, qui praedestinati sunt, complectitur et cognoscit, *liber vitae* dicitur [1]). Ceterum hoc nomine, licet minus proprie, designatur notitia Dei etiam illorum, qui actu vitam gratiae vivunt: qui, cum vita ista possint excidere, deleri quoque ex libro vitae hoc sensu accepto dici possunt.

6. Mysterium praedestinationis non est situm in praedestinatione post gratiam ad gloriam, verum in praedestinatione ad gratiam hujusque varia distributione: praesertim in eo, quod cum Deus possit loco gratiarum, quarum praevidet abusum, peccatori dare gratiam, quacum esset cooperaturus, hanc tamen non concedit, dum alteri aeque vel etiam magis peccatori ejusmodi gratias abunde elargitur. Huc pertinent verba Pauli Rom. 9, 18: *Deus cujus vult miseretur et quem vult indurat;* et quae idem Apostolus habet Rom. 11, 33 ss. de inscrutabilitate judiciorum Dei, quaeque ipso praeeunte de praedestinationis mysterio patres tradunt. Cf. in primis auctor de vocat. omnium gent. I, 13. 15. 16. 21; II, 1. 3. 9 etc. opusc. t. III. Talis vero distributio gratiae non pendet ex efficaci et absoluta praedestinatione gloriae ante praevisa merita, sed ex liberrimo Dei nutu. „Cum Deus, inquit s. Thomas c. gentes III, 161, hominum, qui in eisdem peccatis detinentur, hos quidem praeveniens convertat, illos autem sustineat sive permittat secundum ordinem rerum procedere, non est ratio inquirenda, quare hos convertat et non illos; hoc enim ex simplici ejus voluntate dependet, sicut ex simplici ejus voluntate processit quod, cum omnia fierent ex nihilo, quaedam facta sunt aliis digniora, et sicut ex simplici voluntate procedit artificis, ut ex eadem materia similiter disposita quaedam vasa formet ad nobiles usus et quaedam ad igno-

---

de opinione, quod major pars fidelium salvetur, ita scribit: »Diese ermuthigende Auffassung ist wenigstens ebenso berechtiget, als die entmuthigende, welche selbst auf der Tenne Gottes nur hin und wieder ein Waizenkorn finden will, als ob die Kirche thatsächlich vorhanden wäre, um die Hölle zu bevölkern.« Cf. etiam in dom. 22 post. Pentec. II, c.; Oehry S. J. die Zahl der Auserwählten in Zeitschr. für k. Theol. 1889, 1—57; monita practica de hoc themate pro concionatoribus in fasc. trimestr. theologico-pract. linciensibus a. 1884 pag. 82 ss.

[1]) Becanus c. 14 q. 8: »Sicut liber militiae sumitur tribus modis: 1. in quo scribuntur electi ad militiam; 2. in quo traditur ars militaris; 3. in quo continentur militum res gestae: ita etiam *liber vitae* tribus modis sumi potest: 1. in quo scribuntur electi ad vitam; 2. in quo traditur modus perveniendi ad vitam, et hoc sensu V. et N. T. dicitur liber vitae; 3. in quo scribuntur facta et gesta eorum, qui tendunt in vitam aeternam, et sic in extremo die judicii habebit unusquisque facta ante se descripta.« Ad rem autem notat s. Thomas 1 q. 24 a. 1 ad 3: »Non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos qui eliguntur: unde reprobationi non respondet *liber mortis*, sicut praedestinationi liber vitae.«

biles. Hinc est quod Apostolus dicit (Rom. 9, 21): *Annon habet potestatem figulus* etc." Cf. Bonaventura 1. d. 40 q. 2 col. Limbourg l. c. 617 ss.

7. Hinc liquet, quid de reprobatione sit tenendum. Reprobatio scil. sequitur praevisionem vel peccati originalis vel actualis vel utriusque simul ad mortem usque perseverantis.

124. **Scholion I.** *Augustini sententia de praedestinatione.* — Cum patroni alterius sententiae auctoritate unius fere Augustini utantur, juverit aliqua notasse, quae vim hujus argumenti, si non penitus dissipent, haud paulum saltem imminuant, ne nimis illo glorientur.

1. Non adeo exploratum est, ut jactatur, Augustinum inhaesisse opinioni praedestinationis ad gloriam ante praevisa merita, cum non desint summi theologi, qui contrarium tueantur, ut Lessius s. 2. 4, Jos. Tricassinus, in Augustini doctrina si quis unquam versatus, Stapleton, Valentia, Vasquez aliisque omissis Schrader, qui id 22 argumentis probare nititur comm. III de praed., et Franzelin.

2. Si inspiciuntur libri, ex quibus potissimum alterius sententiae patroni arguunt, liquebit, s. Augustinum in illis nullatenus agere de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita supernaturalia, sed de praedestinatione ad gratiam, quae nemine catholicorum diffitente praecedit praevisa merita. Id patebit, dummodo **a.** considerentur adversarii contra quos scribit; sunt enim pelagiani et semipelagiani inimici gratiae. »Videant, inquit de dono persev. n. 42, subverti hac praedestinationis praedicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem, quo dicitur gratiam Dei secundum merita nostra dari.« Atqui theologi omnes probe catholici, qui tuentur praedestinationem post praevisa merita gratiae, ultro tuentur, gratiam non dari secundum merita (in sensu pelagianorum). Non ergo habent Augustinum adversarium. Consideretur **b.** quid exigat ad sanam doctrinam de praedestinatione; exigit scil. tantum ut fateamur bona opera esse donum Dei eaque praesciri a Deo, ib., nihilque aliud exigit de gr. Chr. n. 52; ep 217 n. 16 a pelagianis, ut catholice sentiant, quam ut gratiae necessitatem et gratuitatem confiteantur. Atqui hanc omnes confitemur. Pax ergo nobis cum Augustino. Considerentur **c.** argumenta, quibus utitur; sunt enim omnia illa testimonia Scripturae, quibus etiam nunc theologi demonstrant necessitatem et gratuitatem gratiae. Cf. ex. gr. de dono persev. n. 36. 48. 65, ubi ex oratione Ecclesiae arguit: provocat etiam ad antiquos verbi Dei praedicatores, qui sicut ipse praedicarunt »gratiam Dei veram ... quam nulla merita humana praecedunt,« unde infert ib. n. 50 suum cum ipsis de praedestinatione consensum. Considerentur **d.** variae definitiones praedestinationis, quas tradit. »Inter gratiam et praedestinationem, inquit de praedest. SS. c. 10, hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero jam ipsa donatio.« Considerentur **e.** conclusiones, quas infert, ut ex. gr. de dono pers. n. 41: »Aut enim sic praedestinatio praedicanda est, quemadmodum eam s. Scriptura evidenter loquitur ... aut gratiam Dei secundum nostra dari merita confitendum est, quod sapiunt pelagiani.« Atqui hoc posterius non sapimus. Ergo judice Augustino praedestinationem praedicamus secundum Scripturam. Cf. etiam n. 42. 54. 56. 65.

3. Imo non desunt doctrinae capita apud Augustinum, quae nostrae faveant sententiae, ut patet **a.** ex verbis supra allatis n. 113 [5]; **b.** ex verbis Pro-

speri et Fulgentii, fidelissimorum ejus discipulorum ib. et 109 [4]; patet **c.** clare ex eo, quod cum pelagiani admitterent praedestinationem, sed post praevisa merita naturalia sine gratia acquisita, eos reprehendit et damnat tantum ob negatam gratiae necessitatem ad haec ipsa merita. »Cum dicunt pelagiani, ita ille de grat. et lib. arb. n. 15 . . . aeternam vitam meritis nostris praecedentibus reddi, respondendum est eis: si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia;« et de gr. Christi n. 52: »Si Pelagius consenserit, etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per J. C. D. N., nihil de adjutorio gratiae Dei, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquetur.« Neque **d.** probabile est, eum in hac quaestione ab aliis dissensisse patribus nulla hujus dissensus significatione data vel ratione reddita. Hinc etiam est **e.** quod secundum ipsum non major oriatur difficultas ex sua de praedestinatione doctrina, quam ex doctrina de praescientia Dei deque gratiae necessitate. Denique **f.** aliis omissis, Augustinus saepe inculcat, gloriam esse gratiam, etsi mercedis instar reddatur meritis, quod scil. non redditur meritis naturalibus, sed meritis ex gratia profectis. Atqui praecipua ratio in aliorum theologorum opinione est ejus praedestinatio ante praevisa merita: quae ratio integra maneret, etsi redderetur meritis *naturalibus*. Cum ergo hujus rationis nunquam mentionem faciat, eam non admisit. Omnino ad rem sunt ejus verba ep. 195 n. 21: »Quapropter, o homo, si accepturus es vitam aeternam, justitiae quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa justitia. Tibi enim tamquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia, cui debetur.«

4. Etiamsi Augustinus nostrae adversaretur sententiae, liceret eum hac in parte relinquere, ut sequamur doctrinam, quam patres gravissimi numero plures adeo clare tradunt. Cf. Franzelin th. 61 ss.

125. **Scholion II.** *Doctrina s. Thomae.* — Eadem fere de s. Thoma repeti possunt. Certe negari non potest, eum nostram approbare sententiam, cum ita scribit lect. 6 in ep. ad Rom. c. 8: »Circa ordinem praescientiae et praedestinationis dicunt quidam, quod praescientia meritorum bonorum et malorum est ratio praedestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus praedestinet aliquos, quia praescit eos bene operaturos et in Christum credituros, et secundum hoc litera sic legitur: *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii ejus, hos praedestinavit;* et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis. Sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum. Unde eadem ratione omnia beneficia, quae nobis confert ex tempore, praeparavit ab aeterno. Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud, quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis et consummatio est ex Deo.« Et infra: »Dicit autem: *Quos praescivit et praedestinavit*, non quia omnes praescitos praedestinet, sed quia eos praedestinare non poterat, nisi praesciret.« Cf. supra n. 91; in 1 dist. 41 q. 1 a. 3, ubi statuit: »In intellectu praedestinationis includitur voluntas consequens, quae respicit opera, non quasi causam voluntatis (quatenus est actus), sed sicut causam meritoriam gloriae et sicut praeparationem ad gratiam (justificationis).« Nam ut ait ad 1: »Illi Deus proponit gratiam infundere, quem praescit se ad gratiam prae-

paraturum.« Eadem habet ad 5, in Eph. c. 1 lect. 1; in 3 p. q. 1 a. 3 ad 4. Unde non desunt theologi graves, qui eum patronis sententiae nostrae adnumerent, ut Gregorius de Valentia, Gamachaeus, Petrus de Comitibus, Franzelin th. 64; Lesserteur s. Thomas et la Prédestination etc.

126. **Scholion III.** *De argumentis rationis.* — Quod attinet argumentum ex ratione scil. ex ordine mediorum ad finem petitum, cui tantopere alterius sententiae patroni fidunt, miramur, viris doctis illud adeo visum esse validum. Ita proponitur a Goneto in Clypeo theol. thom. t. 2 tr. 5 de praed. d. 2 n. 26: »Qui ordinate vult, prius vult finem quam media ad illum. Atqui gloria est finis et merita sunt media ad illam conducentia. Ergo prius vult gloriam quam merita, et consequenter electio ad gloriam non potest esse ex praevisione meritorum.« Verum

1. hi theologi non vident argumentum hoc nimium probare, ideoque nil probare. Sequitur enim ex eo praedestinationem post praevisa merita fore impossibilem, quod quis prudens concedet? Respondetur

2. principium, cui innititur argumentum, esse verum, si quis finem intendit absolute: non esse verum, si finem intendit ut mercedem, coronam, praemium ab altero obtinendum, ut Deus in praesenti ordine gloriam intendit, ut patet ex tot s. Scripturae testimoniis. Qua in hypothesi finem non intendit absolute alicui antecedenter ad ejus merita.

3. Imo belle ita retorquetur argumentum cum card. Franzelin th. 60: »Qui ordinatissime vult finem alteri formaliter ut praemium pro liberis meritis, non vult ei hunc finem intentione absoluta, nisi suppositis meritis. Atqui Deus ordinatissime vult finem gloriae aeternae adultis formaliter ut praemium pro liberis meritis (supernaturalibus). Ergo Deus adultis finem gloriae aeternae absoluta intentione non vult nisi suppositis (ergo praevisis) meritis (supernaturalibus).«

127. Si quis urgeat, Deum speciali dilectione ferri in praedestinatos, et propter hanc specialem dilectionem eos eligere ad gloriam, ideoque non propter praevisa merita, quae potius sunt effectus illius praedilectionis: respondemus dist.: Deus fertur in praedestinatos speciali dilectione consequenti praevisionem eorundem cooperationis, conc.; dilectione antecedenti praevisionem, subdist. erga aliquos, quae se prodit collatione majorum gratiarum, conc.; erga omnes, rursus dist. eo quod eos antecedenter praedestinaverit ad gloriam, alios excluserit, nego; quatenus potuisset eligere alium ordinem, in quo non fuissent salvati, conc.

Si quis urgeat, gloriam pendere a perseverantia finali: ergo praedestinari post praevisam perseverantiam: hanc autem esse speciale Dei donum, quod nemo merere potest: praedestinationem igitur ad gloriam non fieri post praevisa merita: resp. dist. antec. Gloria pendet a perseverantia finali tamquam a conditione, conc. tamquam a causa meritoria, neg. alioquin omnium praedestinatorum esset eadem gloria, cum omnibus communis sit perseverantia. — Conc. primum consequens sub data distinctione. Dist. min. subsumptam: Perseverantia est speciale Dei donum, omnibus tamen paratum, quod omnes adulti etsi non de condigno merere, tamen impetrare et hinc de congruo merere possunt, conc. quod non omnibus est paratum, omnes impetrare non possunt, sed tantum ii, quibus illud Deus antecedenter et absolute praedestinaverit, nego. Ceterum non est definitum perseverantiam esse speciale Dei donum,

sed magnum Dei donum, et ad perseverandum requiri speciale Dei auxilium, quo significatur non auxilium extraordinarium, paucis paratum, sed auxilium distinctum a gratia habituali omnibus justis destinatum, ut ostendemus in disp. de gratia actuali. Dist. ultimam concl. Praedestinatio non fit post praevisa merita citra praevisam perseverantiam a justorum strenua cooperatione pendentem, conc.; secus nego.

128. Si quis demum quaerat, unde factum sit, ut tot celebres theologi, non obstantibus tam gravibus rationibus, quas adduximus, in contrariam abierint sententiam: respondemus, non deesse conjecturas, quibus id explicari possit.

1. Non semper satis distinxerunt inter quaestionem generalem: **a.** quare Deus decreverit hominibus propter merita gloriam praedestinare? et quaestionem specialem **b.** quare Deus, hoc decreto supposito et distributa propterea gratia ad merendum, hunc ad gloriam destinet, alium ab ea excludat? Priori quaestioni respondendum est, Deum ad illud decretum condendum nullis hominum meritis fuisse inductum, sed ante omnem meritorum hominum praevisionem solis Christi meritis fuisse permotum. Ad alteram vero quaestionem dicendum est, merita vel demerita rationem esse, quare Deus alium ad gloriam, ad poenam alium destinet.

2. Ratio, quare Deus uni concedat gratiam quam praevidet efficacem, dum alii gratiam tribuit sufficientem quidem, quam tamen praevidet ex hominis desidia inefficacem, certe non sunt merita praevisa. Cum ergo a collatione talis gratiae pendeat assecutio gloriae, mirum non est, si qui inde inferant destinationem ad gloriam factam esse ante praevisa merita. Hanc tamen illationem non esse legitimam supra significavimus n. 109 3. Quod aliter etiam proponi potest: Certum est Deum posse aliam gratiarum seriem vel ordinem eligere, in quo is, qui modo propria culpa perit, salvaretur, et is, qui in praesenti ordine salvatur, propria culpa periret; certum quoque est nulla hominum merita rationem Deo esse hujus electionis; ergo neque hominis merita videntur esse ratio ejus praedestinationis ad gloriam. Quare vel ipse Lessius concedit in apol. c. censuras lovan. et duac. resp. ad cens. ass. 20, »mediate posse aliquem dici electum ad gloriam ante praevisionem meritorum; nempe qua electus ad gratiam praedestinationis, per quam Deus sciebat illum perventurum ad gloriam.« Ex altera tamen parte inconcusse quoque tenendum est, nullam praeelectionem, qua Deus quosdam absolute praedestinaverit, alios in praedestinatione praeterierit, rationem fuisse electionis determinati ordinis, sed inscrutabile divinae voluntatis consilium quod nos latet. Semel vero gratiarum ordine electo independenter ab hominum meritis, in eo praedestinationem ad gloriam consequi meritorum ex gratia praevisionem.

3. Nihil temporale potest esse causa aeterni. Hinc plures scholae theologi nolebant concedere merita praevisa causam esse praedestinationis ad gloriam et tamen a nobis non dissentiunt. Accipiebant enim nomen causae sensu proprio, quo sensu principium est verissimum; sensu laxiori pro ratione qualicunque voliti, illud nullatenus rejiciebant, nam iidem docent peccata praevisa rationem esse reprobationis positivae. Cf. d'Argentré l. c. 10 § 4.

4. Cum patroni praedestinationis ante praevisa merita nimis confidenter tamquam plane indubium jactarent, s. Augustinum et s. Thomam a suis stare partibus propter quaedam testimonia difficiliora vel obscuriora: aliqui absque accuratiori examine eorum doctrinae, horum auctoritate permoti et quasi perterriti, eam opinionem sunt amplexi.

5. Denique aliis omissis, cum theologi scholae praedestinationem adaequate spectarent, ad gratiam et gloriam seu ad totum ordinem supernaturalem, quae certe est plane gratuita, ac primum duce Scoto inciperent distinguere, et considerare seorsim praedestinationem ad gratiam, et hac supposita seorsim praedestinationem ad gloriam: aliqui ad hoc minus attendentes, quod illi de praedestinatione adaequate spectata statuebant, de praedestinatione incomplete spectata ad gloriam intelligebant, illorumque auctoritate permoti, hanc quoque plane gratuitam asserebant. Cf. n. 111[2].

PARS II.

De Sanctissimo Trinitatis mysterio.

129. *Mysterii Trinitatis momentum.* — Mysterium ss. Trinitatis mysteriorum religionis christianae certe est gravissimum, opus Evangelii et substantia N. T., ut ait Tertullianus adv. Praxeam c. 31. Nam

1. eo revelantur non naturae creatae secreta, sed ipsa *profunda Dei;* quae nullus unquam mortalium vel angelorum lumine naturali vidit, vel cogitando est assecutus, vel contemplando potuit conjicere 1. Cor. 2, 8 ss., ea Filius, qui est in Patris sinu secretorum paternorum conscius, nobis enarravit Jo. 1, 18: et haec longe splendidius manifestant divinae naturae perfectionem et fecunditatem infinitam, quam ulla id potest creatura: scil. eo perfectius, quo magis excellit Filius unigenitus Patri per omnia similis creaturam quamvis nobilissimam, quae divinae gloriae vix tenuis est adumbratio. Propterea Filius de hoc mundo transiturus dixit Joan. 17, 4. 6: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam . . . Manifestavi nomen tuum hominibus:* manifestavit enim Deum Patrem, cum antea rerum universitas eum manifestasset Creatorem tantum et Dominum rerum omnium. Cf. Scheeben Mysterien des Christenth. § 22.

2. Mysterii hujus professione tessera continetur, qua distinguuntur fideles ab infidelibus et judaeis; veritas a qua pendent pleraque alia dogmata. Quare ejus professio prae ceteris exigitur, adeo ut secundum haud paucos necessaria sit necessitate medii.

3. Ipso totus cultus innititur. „Funis enim triplex, inquit Origenes in Exod. hom. 9 n. 3, non rumpitur (Eccl. 4, 12), quae est Trinitatis fides, ex qua dependet et per quam sustinetur omnis Ecclesia."

4. Mysterii hujus momentum ostendit dogmatis historia, nam acerrime illud a primis religionis christianae exordiis fuit impugnatum. Cf. Scheeben Handb. d. kath. Dogm. § 105 s., ubi bene praecipuos hujus mysterii adversarios et propugnatores recenset, nec non Ecclesiae definitiones, quibus fuit expositum et illustratum.

130. *Fidei summa de ss. Trinitate.* — Collectis in unum symbolis, variis fidei professionibus, conciliorum decretis definitionibusque, assequi-

mur doctrinam catholicam de Deo uno et trino esse, ut credamus unum Deum unamque divinam naturam in tribus subsistentem personis divinis: quae si prae essentia spectantur, eam singulae in solidum possident, nam unum idemque sunt cum ea; ideoque in se spectatae singulae sunt Deus omnibusque divinis perfectionibus insignes; si vero ad invicem conferuntur, etsi relationibus distinguuntur, quatenus aliter atque aliter eandem naturam possident, aequales tamen sunt, nec ullatenus ab invicem divulsae atque separatae; vinculo enim et nexu cohaerent ejusdem substantiae, quam Pater generatione totam Filio communicat et totam ab utroque spiratione accipit Spiritus s. Quod patres praeclare exprimunt sive cum Dionysio alex. docentes (op. p. 91 § 6): „Unitatem indivisibilem in Trinitatem dilatamus, ac rursum Trinitatem, quae minui nequit, in unitatem contrahimus;" sive cum Joan. Damasceno de hymno trisagio n. 28: „Unitas a principio in dyada (dualitatem) progrediens, atque ad ternarium perveniens in eo stetit μέχρι τριάδος ἔστη." Cf. Gregorius naz. or. 23 n. 8; Augustinus de Trin. XV, 28, ubi paucis credendorum summam de ss. Trinitate complectitur.

131. Agentes autem de hoc difficillimo mysterio prius singula Ecclesiae dogmata circa illud vindicabimus, quae ad duo suprema capita revocari possunt, ad Trinitatem in unitate et ad unitatem in Trinitate. Triplicis autem generis adversarios prae oculis habere oportet: monarchianos, qui negant personarum divinarum pluralitatem; subordinatianos, qui infitiantur earum aequalitatem, et tritheitas, qui pro numero personarum multiplicant naturam. Praecipuis vero fidei dogmatibus vindicatis, ea subjiciemus, quae ad illud illustrandum excogitarunt theologi scholae, et quae ad sanitatem verborum, cum de illo theologice est disserendum, pertinent: secundum illa s. Bonaventurae in 1. dist. 2: „Primo contingit ipsam (Trinitatem) credere, secundo creditam intelligere, tertio intellectam dicere sive enunciare. Credere autem est per auctoritatem, intelligere per rationem, dicere per catholicam et rationabilem locutionem."

Caput I.

De Trinitate in Unitate.

132. Praemittimus tres propositiones introductionis instar ad disputationem nostram, sed lemmatum potius quam thesium instar, cum vix difficultatem prae se ferant.

I. Cum de Deo divinisque operibus sermo est, mentio fieri solet *Patris* et *Filii* et *Spiritus sancti.* Quod lemma facile probatur, si nondum agitur de singulorum divinitate, consubstantialitate, aequalitate etc.,

a. ex divinis literis, in quibus saepe, quater praesertim, Patris et Filii et Spiritus s. fit mentio: in annunciatione incarnationis Luc. 1, 30 ss.; in Christi baptismo Matth. 3, 16 s.; in ultima coena Joan. cc. 14—17; et in apostolorum missione Matth. 28, 19;

b. mentio fit in omnibus symbolis, in forma baptismi;

c. in doxologiis nullo non tempore in Ecclesia frequentatis, de quibus cf. s. Basilius de Spir. s. c. 27 opusc. XXXI; semper enim glorificabatur Pater per Filium in Spiritu s.;

d. ex haereseologia, cum plerique haeretici admiserint Patrem et Filium et Spiritum s., etsi circa singulos alii aliter erraverint.

133. II. *Pater* et *Filius* seu *Verbum* et *Spiritus s. re a se invicem distinguuntur;* quod iisdem rationum momentis evincitur, quibus antecedens lemma probatur: evidenter enim in symbolis, forma baptismi et doxologiis ab invicem distinguuntur et connumerantur. Quibus adde, quod profecto ii ab invicem distinguuntur, qui numerum faciunt, nomine proprio secernuntur, se mutuo alloquuntur etc. Haec autem affirmari debent de Patre et Filio et Spiritu s. Joan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus;* 14, 16: *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis;* v. 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus.* Deinde nemo dicitur suiipsius pater, a se procedere, seipsum audire, mittere etc. Quare alius est a Patre Filius, alius Spiritus s. a Patre Filioque.

134. III. *Pater,* cui in divinis literis Filius proprius et unigenitus adscribitur, *vera persona verusque est Deus;* quod vel ab ipsis haereticis conceditur: vel enim nullus horum trium est Deus, vel is, qui Pater exhibetur Jesu Christi, est Deus. Cf. Kleutgen l. 2 q. 1 c. 2. Quibus statutis jam de Filio et Spiritu sancto agemus.

Articulus I.

De Filii generatione.

135. **Thesis CVII.** ***Deus Pater Filium ab aeterno genuit.***

Demonstratio p. I. Inter adversarios thesis praecipuus est Arius, secundum quem Filius seu Verbum est quidem persona distincta, sed non genitus a Patre, hinc neque consubstantialis Patri, neque coaeternus, verum creatus, etsi diu ante mundum, ut esset instrumenti instar ad eum creandum. Contra quem errorem demonstrabimus eum, qui Patris dicitur Filius seu Verbum, non creatione a Patre processisse sed communicatione substantiae seu generatione, ideoque Filium esse ratione non communi cum creaturis, sed singulari et propria, Filium scil. naturalem.

1. Probatur thesis argumento generali: Filius Dei dicitur in Scriptura simpliciter filius, filius verus, proprius, unigenitus. Atqui de ratione filii veri, proprii, unigeniti, quique per excellentiam filius dicitur, est ut sit genitus generatione propria ac naturali, communicatione scil. naturae paternae, non impropria et metaphorica, cujusmodi est productio vel adoptio. Ergo is, qui tam solemniter dicitur Filius Dei, a Patre est genitus. Ad rem Gregorius nyss. adv. Eunom. l. 1 p. 83: „Quis potest esse fide dignior testis, quam ipsius vox Domini, qui per totum Evangelium Patrem non suum creatorem, sed Patrem nominat, neque opus Dei, sed filium seipsum appellat? Quemadmodum enim communionem, quam habet cum humana natura, significans *Filium hominis* id, quod apparebat, nominavit, ut carnis suae cum ea, unde est assumptus, naturalem cognationem ostenderet: ita veram et germanam suam ad universorum Deum habitudinem filii vocabulo demonstrat, naturae cognationem filii voce declarans."

Sane **a.** ut idem per partes probemus, hic filius vocatur filius simpliciter Joan. 3, 35: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus;* v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam;* 5, 19: *Non potest Filius a se facere quidquam;* 8, 36: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* etc. Atqui nomine filii simpliciter intelligitur filius naturalis, qui generatione exsistit. Is enim aliquid simpliciter, singulariter, per excellentiam dicitur, in quo illud plenissime secundum perfectam sui rationem reperitur. Ergo et in Filio Dei, de quo nobis sermo, filiationis ratio secundum genuinam suam notionem perfecte reperiri debet. Atqui is tantum vere et perfecte est filius, qui est genitus. Ergo tam singularis praedicationis modus evidenter hujus filii generationem exigit. Et revera judaei hoc inde inferebant, ideoque Christum Jo. 5, 18; Luc. 22, 66 s. etc. blasphemiae accusabant.

b. Eoque magis si non solum nunquam ut adoptione filius factus exhibetur, sed potius sistitur ut adoptionis auctor. Jo. 1, 12: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri;* Eph. 1, 5. Atqui, ut docent patres apud Petavium V, 4, prius est filiatio naturalis quam ea, quae est per adoptionem: est enim haec illius veluti adumbratio. Quare merito infert Cyrillus alex. thes. ass. 32 (Mig. 75, 470): »Si Christum induentes per fidem, reformati sumus in ipsum ideoque vocamur filii Dei, adoptione nimirum, adoptio autem semper imitatur id, quod naturaliter fit: ergo Christus est natura, non adoptione filius.« Quae ratio inde illustrari potest, quod qui generationis non est capax, neque adoptione habet filios, ut angeli; et inter homines, qui ad servandam castitatem obligantur, ut ministri Ecclesiae, filios non adoptant. Cum ergo adoptio sit adumbratio filiationis naturalis, neque locum habeat, ubi haec est impossibilis, merito infertur ex filiatione adoptiva hominum per Christum, in divinis esse filiationem naturalem, atque filium Dei Patris naturalem illum esse, qui per excellentiam Filius dicitur, quique fons est filiationis adoptivae. Crescit vis argumenti

c. nam hic filius dicitur filius proprius et verus prae filiis adoptivis, qui exhibentur servi, dum ipse tamquam filius germanus Patris

sistitur. Hebr. 3, 5 s.: *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus . . . Christus vero tamquam Filius in domo sua;* Rom. 8, 32: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit* [1]). Ergo non ratione communi i. e. adoptione, sed generatione est filius.

d. Evidenter confirmatur thesis ex appellatione *Unigeniti,* quae sicut ostendit, eum generatione esse Filium, ita ab ejus filiatione excludit consortes: haberet autem, si esset filius adoptione tantum. Cf. Jo. 3, 16; 1, 18: ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, in quae verba egregie Chrysostomus hom. 15: »Ne itaque ob nominis consortium putares illum ex eorum numero esse, qui per gratiam filii sui sunt, adest articulus, qui distinguat illum ab iis, qui per gratiam filii sui sunt. Quod si hoc tibi non sit satis, et si adhuc versus terram pronus incedis, magis proprium audi nomen: *Unigenitus.* Sin adhuc humum respicis, non dubitabo humanum de Deo proferre verbum nempe *sinum* . . . Cur ergo sinus hic memoratur? . . . Nam si per hoc verbum nec verus Filius esse probatur, nec Deum corporeum esse statuitur, frustra jactatur hoc dictum nullius usus. Cur ergo dictum est? . . . Annon palam est, id eo prolatum esse, ut non aliud ex eo percipiamus, quam quod ille sit vere Unigenitus, quod coaeternus Patri?« Cf. hom. 4 de incompreh. n. 3. 4; Thomas c. gentes IV, 4. 7. Praeterea

e. veritas, Jesum *Christum esse Filium Dei,* exhibetur princeps quoddam objectum fidei nostrae Jo. 20, 31: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei;* Matth. 11, 27 etc.; ob cujus confessionem beatus praedicatur Petrus, eaque ex paterna tantum revelatione hausta declaratur Matth. 16, 17. Ratione ergo singulari, nulli communi, Filius est Dei; hinc non adoptione, munere, gratia, sed vera generatione, qua sola allata testimonia apte explicantur. Quod argumentum praeclare exponunt patres, ut Cassianus de incarn. III, 12 ss.; Chrysostomus hom. 54 in Matth. n. 1: »Nisi Petrus sic ipsum vere confessus fuisset ut ab ipso Patre genitum, non fuisset hoc revelationis opus; si unum ex multis illum esse putasset, non erat illud beatitudine dignum. Etenim jam antea dicebant ii, qui in navigio erant, post tempestatem: *Vere Filius Dei est hic* (Matth. 14, 33), nec tamen beati dicti sunt, etsi vere dixerint. Non enim sic Filium ut Petrus confessi sunt: sed unum ex multis vere Filium esse putabant, eximium quidem inter multos, nec tamen ex ipsa Patris substantia;« et n. 2: »Quia, inquit, Patrem meum praedicasti, ego illum nomino, qui te genuit, ac si diceret: Sicut tu filius Jona, ita ego Patris mei Filius. Nam supervacaneum fuisset dicere: *Tu es filius Jona* (Matth. 16, 17); sed quia ille dixit *Filius Dei,* ut ostenderet, ipsum esse Dei Filium ut ille filius erat Jona ejusdem cum patre substantiae, ideo illud addidit.« Faustinus c. 2 n. 4 et 9. Praecipua argumenta, quae hacte-

---

[1]) In quae verba cf. Hilarius de Trinit. VI, 45; cf. etiam Matth. 3, 17; 17, 5; 21, 37 ss.; Joan. 20, 17 etc. et Faustinus, qui cum aliis patribus de Trinit. c. 2 haec argumenta urget, et § 6 acute ita disserit: »Si ergo figura erat in Abraham, cum offerret filium, veritas autem in Deo Patre, cum tradidit Filium, quid ais doctor impietatis? Ubi major vis versari debet, in figura, an in veritate? Sine dubio in veritate. Et quomodo tu minorem exhibes veritatem, pleniorem vero figuram? plenior enim est figura, ubi verus filius offertur, et minor est veritas, ubi secundum te non verus filius traditur.« Cf. opusc. XIV, 148 ss. a.

nus proposuimus, paucis complectitur Hilarius de Trinit. VI (qui totus est legendus) n. 46: »Non est humanus hic error (arianorum), neque in negando Dei Filio vitium ignorantiae est, ubi ignorari non licet quod negatur. Creatura ex nihilo subsistens Dei Filius dicitur (secundum arianos). Hoc si nec Pater locutus est, nec Filius testatus est, nec Apostolus praedicavit, tamen audere eloqui, hoc est Christum non ignorare tantummodo, sed odisse. Cum enim Pater de Filio suo dicat: *Hic est* (Matth. 3, 17); et Filius de se dicat: *qui tecum loquitur ipse est* (Joan. 9, 37); et Petrus confiteatur: *Tu es* (Matth. 16, 16), et Joannes testetur: *Hic verus est* (1. ep. 5, 21), et Paulus non desistat praedicare de *proprio:* non intelligo aliud quam negandi esse odium, ubi imperitiae error non excusatur in crimine.«

136. **2.** Dogma catholicum validissime comprobatur iis, quae legimus Hebr. 1, 1: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis:* 2. *novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et secula.* 3. *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* 4. *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* 5. *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* etc. Expensis singulis incisis quatuor sequuntur argumenta pro thesi nostra:

a. ex oppositione Filii ad prophetas v. 1, 2; sic enim his confertur, ut solus prae Deo dicatur filius. Filius ergo est filiatione nulli alii legatorum Dei communi, non igitur adoptione, munere, gratia, sed natura.

b. Filius dicitur v. 3 *splendor gloriae* [1]). Atqui sive haec metaphora inspicitur, sive interpretationis patrum ratio habetur, liquet, Filium de Patre prodire et refulgere, sicut lucem de luce i. e. de ejus substantia.

c. Paulus colligit v. 4 praestantiam Filii prae angelis ex ejus nomine. Atqui, ut arguit Chrysostomus hom. 2 in Hebr. n. 3, „si est gratia filius, non solum non est angelis praestantior, sed etiam minor. Quo modo? quoniam homines quoque justi appellantur filii, et nomen filii, nisi sit filius germanus et proprius, non potest ostendere excellentiam,“ scil. prae angelis, quia tunc nomen est commune; ex praedicato autem

---

[1]) Hac imagine, quae derivata est ex Sap. 7, 24. 26, ubi de Sapientia dicitur: *Vapor est enim virtutis Dei et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera . . . Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius*, admodum delectantur patres, qui inde inferunt **1.** Filii a Patre distinctionem: est enim ἀπαύγασμα hinc αὐγὴ ἀπὸ τῆς δόξης, lux de luce; **2.** ejus e Patre generationem, cum eodem **3.** consubstantialitatem; nominatim vero **4.** coaeternitatem, splendor enim luci est coaevus: proinde si lux est aeterna, splendor erit coaeternus. Illustrant inde **5.** generationem omnis corruptionis, mutationis etc. expertem; inferunt denique **6.** Filii divinitatem. Cf. Chrysostomus h. 2 in Hebr. n. 2; Thomas in h. c.

communi probari nequit praerogativa propria. Docet autem Apostolus hoc nomen ita convenire Filio sicut nulli angelorum. Quare inferendum est alia ratione eum esse Filium ac sunt angeli, ideoque non electione, non gratia, non adoptione, sed natura.

d. Id jam s. Paulus comprobat disertis verbis Ps. 2, 7: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quorum verborum vim egregie enarrat Bossuet in notis in h. Ps. scribens: „Paucis opus est, ut probatio valeat, nihilque aliud agendum, quam ut verborum servetur proprietas. *Dominus* enim *dixit ad me*, non ad alios, sed ad me proprie, singulariter: *Filius meus es tu,* tu, inquam, et non alius; ergo unicus, unigenitus, singularis, quod nusquam ea emphasi dictum de quopiam. *Ego hodie genui te,* non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus: nec gratia, quod angeli, quod homines, sed natura Filius."

137. Verum s. Paulus non solum tradit, Patrem Filium genuisse sed etiam qualem genuerit Filium docet: ac tot tamque insignia tradit de Filio, sive comparate ad creaturas, sive relate ad Patrem, sive in se spectatur, ut ea clare demonstrent, hunc Filium esse Deum, ergo, si est genitus, divinae substantiae communicatione genitum. Sane

1. de Filio prae creaturis spectato alia docet affirmando, alia negando. Et negando statuit **a.** eum non esse ut unum ex prophetis, sed his potiorem vers. 1 et 2; neque **b.** ordine angelorum contineri, quibus eum praefert ratione filiationis v. 4 s., dominationis v. 6—10; operationis v. 10; aeternitatis v. 11 s. et gloriae v. 13 s.; imo eum **c.** creaturarum albo eximit; omnia enim per ipsum sunt facta, *per quem fecit et secula* v. 2 et 10. Affirmando docet eum prae creaturis esse **a.** conditorem universi; ipsi enim v. 10 applicat verba Ps. 101, 26: *Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli;* **b.** conservatorem ejusdem; omnia enim portat [1]) verbo virtutis suae v. 3; **c.** dominum absolutum, quod sicut est corollarium antecedentium, ita innuitur, cum ei thronus sceptrumque v. 8 attribuitur; **d.** terminum cultus divini ab angelis exhibendi v. 6: *Et adorent eum omnes angeli Dei*, quae legun-

---

[1]) Incisum *portans omnia verbo virtutis suae* tot fere praebet argumenta pro Filii divinitate, quot sunt verba. Nam **1.** φέρων hic significat conservans, continens, regens, gubernans: quo sensu judaei adhibent vocem nâṣâ Num. 11, 14; Deut. 1, 9; eorumque magistri saepe exhibent Deum, ut qui portet creaturas suas, mundum etc. Atqui conservatio mundi opus est Dei. Dicitur **2.** Filius portans *omnia;* distinguitur ergo ab omnibus, quae sustentatione, conservatione egent, hinc non est creatura. Et si portat omnia, omnipraesens, imo immensus esse debet; ita enim ea portat, ut si alia exsisterent, illa quoque portaret nulli alligatus loco. Portat **3.** omnia *verbo* i. e. solo nutu, quae est agendi ratio Dei. Portat ea **4.** verbo *virtutis*, i. e. non verbo casso, sed efficaci, quod omnia in exsistentia conservat; proinde ab ejus nutu omnia pendent, et quidem **5.** verbo virtutis *suae,* quae ipsius est propria.

tur Ps. 96, 7, ubi de adoratione latreutica Deo Jehova exhibenda est sermo. In ordine vero reparationis **c.** est summus Dei legatus v. 1 et 2, atque reconciliator generis humani, quod propria virtute a peccatis suis mundavit sanctificavitque.

2. Prae Deo Patre exhibetur non solum nomine, sed et hypostasi ab eo distinctus, non tamen ab eo divulsus, cohaeret enim duplici vinculo cum Patre: **a.** nexu logico, cum sit manifestatio Patris, quem manifestat, sicut splendor lucem, sicut imago perfectissima archetypum: nam est *splendor gloriae et figura* (χαρακτήρ expressa imago) *substantiae ejus;* **b.** nexu ontologico, cum ejusdem sit substantiae; huic enim innititur nexus logicus, qui consequitur necessario generationem. Quare Patri est consubstantialis, coaeternus et coaequalis, ejusdem majestatis et gloriae.

3. Si in se spectatur, praedicatur **a.** immutabilis; talis enim est, de quo dicuntur: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* etc. v. 12; **b.** aeternus, ibid.; **c.** verus Deus, quod sicut est consectarium antecedentium, ita diserte v. 8 affirmatur: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* Quo in inciso nomen Dei referendum est ad Filium, neque enim Deus thronus ullius creaturae (quod Filius est ex adversariorum hypothesi) dicitur; ipse etiam Filius dicitur a Paulo sedere *ad dexteram majestatis.* Quapropter Aquila in sua versione habet θεέ ad omnem aequivocationem tollendam. Quae perfectiones, sicut illi necessario convenire debent, qui naturalis est Dei Filius, ita novum argumentum praebent, quo invicte ostenditur, eum qui hisce praerogativis est ornatus, non creatione vel adoptione, sed generatione esse Filium.

138. *Exceptionibus satisfit.* — Ut difficultates solvantur, quae contra verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, fieri possunt sive ex Psalmo 2, cujus ea sunt; sive ex Act. 13, 33; Hebr. 5, 4, ubi eadem alio in sensu a Paulo intellecta fuisse videntur; sive ex patrum interpretatione, quorum multi ea non de generatione Filii intellexisse dicuntur, notamus:

1. Nostrae explicationi verborum Ps. 2, 7 de generatione scil. naturali et aeterna non obesse vocem *hodie.* Nam **a.** etsi vox *hodie* alibi in Scripturis non designat aeternitatem, hanc tamen potest designare, quatenus ea excludit praeteritum et futurum estque immobile praesens (n. 62); imo secundum patres aptissima est ad eam exprimendam. **b.** De Deo accepta illa vox significat *hodie* Deo dignum. Hoc autem est *hodie aeternitatis,* secundum illud 2. Pet. 3, 18: *Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis.* Etiamsi **c.** vox *hodie* intelligitur juxta communem loquendi usum, id nullatenus obest argumento proposito, ut ostendit Bossuet l. c.: „Neque quidquam aptius aut propheta dignius est ad haec non subtilia, sed sublimia et divina exponenda, quam illud *hodie,* quo quippe fit, ut Filii semper sit nova, semper vetus nativitas, nusquam imperfecta ac velut in motu, sed semper absoluta perfectaque generatio: atque ipse Filius quotidiano seu potius aeterno et immutabili partu semper effusus,

semper hodie genitus, neque senescens unquam, denique, ut ait doctissimus juxta ac sanctissimus Isidorus Pelusiotes (I ep. 323) et recens et sempiternus.« — Ad rem Origenes quoque hom. 9 in Jerem. n. 4 ab Hieronymo versa: »Salvator noster splendor est gloriae, splendor autem non semel nascitur et deinceps desinit nasci: quotiescunque ortum fuerit lumen (melius: quamdiu manet lumen) ex quo splendor oritur, toties (tamdiu) oritur et splendor gloriae. Salvator noster sapientia Dei est: sapientia vero splendor est lucis aeternae. Sic igitur Salvator semper nascitur et idcirco dicit: *Ante omnes colles generat me*, non ut quidam male legunt, *generavit.*« Cf. Lombardus in 1. dist. 9 et Thomas in hanc d. q. 2 a. 2, ubi docet optimum esse, si dicatur Filius *semper natus.* Rationem reddit Guilelmus abbas Theodorici in aenigmate fidei (Mig. 180, 436): »Et *natus* et *semper* natus intelligendus est Dei Filius: natus, ne quolibet modo imperfecta putetur illa nativitas; semper, ut nativitatis ipsius ipsa se praedicet aeternitas. Natus enim pertinet ad perfectionem, semper ad aeternitatem, ut quocunque modo illa essentia sine tempore, temporali valeat designari sermone,« quae derivata sunt ex Gregorio M. Moral. l. 29 c. 1.

2. Paulus locis cit. dum provocat ad Ps. 2, 7, non excludit nostram explicationem, sed eam supponit. Priori enim loco inde probat non solum Christum resurrexisse, sed et resurgere debuisse, cum filiatio naturalis non tantum resuscitationis congruentiam inducat, sed verum includat debitum. Altero vero loco Paulus immediate non probat inde Christi sacerdotium, sed illis vel paraphrastice designat Patrem, qui dixit ad Christum: *Tu es sacerdos in aeternum* etc.; vel demonstrat qualis quantusque sit hic sacerdos. Quod si etiam referuntur ad resurrectionem et sacerdotium Christi, non adversatur haec interpretatio dictis. Ea enim verba per quandam extensionem et redundantiam referri possunt ad Christi resurrectionem et sacerdotium, quatenus utrumque est consectarium filiationis, ejus ampliatio et manifestatio, ut infra dicemus. Ceterum etsi Paulus alium in sensum Ps. 2, 7 alibi interpretaretur, nil inde contra nostrum sequeretur argumentum. Neque enim quaeritur, quo sensu Paulus alibi acceperit haec verba, sed quo illis utatur Hebr. 1, 5. Atqui hic manifesto ea intelligit de generatione naturali, quod ad dogma catholicum probandum sufficit.

3. Quod patres attinet, plurimi interpretationem, quam dedimus, suo suffragio comprobant. Si vero multi verba *Ego hodie genui te* vel de manifestatione Christi in baptismate facta, vel de resurrectione aut ascensione intellexerunt, nullus tamen **a.** adduci potest (unum si exceperis Theodoretum in h. l., cujus tamen fides hac in re suspecta est ob favorem Nestorio impensum), qui prius incisum *Filius meus es tu* non intellexerit de Filio naturali proprie dicta generatione genito. Quod si **b.** alterum incisum de impropria et metaphorica generatione intelligunt, naturalem non excludunt, aliis vero in locis acerrime propugnant, in ipsis etiam locis objectis supponunt; imo ratio non improbabilis reddi potest, cur illa verba aliter quoque explicaverint. Ita ex. gr. ea referunt ad Christi baptismum, quod in suis codd. legebant ea a Patre occasione baptismi Christi dicta Matth. 3, 17: hinc inferebant iis tempore baptismi declaratam fuisse filiationem ejus naturalem; cf. Hilarius de Trin. VIII, 25. op. IV, 322 annot. ser. II; vel ea referunt ad Christi resurrectionem, tum quod putarunt Paulum eadem resurrectioni appli-

care; tum propter quandam extensionem, quia per resurrectionem Christus a Patre veluti genitus est ad novae immortalisque vitae decus et splendorem secundum corpus, qualis decuit Filium Dei incarnatum. Cf. Petavius III, 6 et Thomassinus III, 11 de incarnat.

139. **3.** Dogma invicte probatur traditione, de qua sufficit notasse

a. nullum omnino esse symbolum sive nicaeno recentius sive vetustius, quo idem non contineatur vel diserte vel implicite; nominatim illud in conc. nicaeno contra arianos definitum fuit verbis: „Credimus . . . et in unum D. J. Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum h. e. ex substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt . . . Eos autem qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, et prius quam nasceretur non erat, et quia ex nullis exsistentibus factus est: aut qui ex alia substantia vel essentia dicunt esse, aut creatum, aut convertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.“ Et Damasus in anathematismis editis in syn. romana a. 378 vel 379 n. 11: „Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est de divina substantia ipsius, A. S.“ Cf. Passaglia comment. theol. II § 14 ss.

b. Hanc veritatem tamquam catholicum dogma acerrime fuisse propugnatam tum a conciliis tum a patribus sec. IV. contra arianos, quibuscum tota concertatio fere circa hoc unum versabatur, utrum Filius Dei sit creatura, an vere genitus generatione proprie dicta, qua ei Pater communicaverit in solidum totam divinam substantiam.

c. Patres unanimes, etiam antenicaenos, generationem Filii naturalem tradidisse, praesertim cum explicant vel Ps. 2, 7, vel Ps. 109, 3: *Ex utero ante luciferum genui te* [1]), vel Is. 53, 8: *Generationem ejus quis*

---

[1]) De hoc textu notentur: **1.** eum esse expressum ad versionem LXX interpretum, cum qua quoad sensum etiam versio syriaca concordat. **2.** Cum hinc quidem textus originalis, quem recensio masorethica praebet, praesertim in libro psalmorum valde neglectus appareat, inde vero alexandrina versio sit admodum verbalis (cf. Keil Einleit. pag. 552): concludendum esse, nostrum locum rectum exstare in versione septuagintavirali et vulgata (et arabica et syriaca), non vero in textu masorethico (aut Targum aut versione s. Hieronymi propria). Eoque magis **3.** posse id admitti, quod textus masorethicus, ut nunc exstat, nonnisi post adventum Christi fuerit constitutus, et ad unum exemplar revocatus, quod doctores judaei proprio marte elegerunt, relictis ceteris forte meliorem textum habentibus. Decursu autem tot seculorum ex tempore LXX interpretum usque ad Masorethas potuisse fieri immutationem, imo multas esse factas, probari potest argumentis invictis. Immutationem revera **4.** in versu nostro esse factam suadetur **a.** versione LXX interpretum; conjicitur **b.** ex vetustioribus interpretibus Aquila et Symmacho, ex quorum versione liquet, eos aliter legisse hunc textum; **c.** ex obscuritate (quam testantur tot interpretationes variae cf. Richard O. Min. in collat. ad h. l. subjunctis commentario Lombardi in Ps. Mig. 191, 1002) textus masorethici; **d.** ex eo, quod textus maso-

enarrabit, quae verba teste Patrizi de interpr. Script. I n. 36 ex 65 patribus a se consultis 53 de divina, vel etiam de divina generatione intelligunt. Quare falsa est remonstrantium assertio, qui cum Simone Episcopio theol. instit. l. 4 sect. 2 c. 34 affirmant, necessitatem credendi profitendique sempiternam Filii ex Patris substantia generationem seculo tandem IV. ac nicaenae synodi definitione primum fuisse inductam.

140. **Demonstratio p. II.** Filium *ab aeterno* esse genitum colligitur **1.** ex eo, quod splendor est gloriae paternae, hinc Patri coaevus; **2.** quod est ante luciferum genitus i. e. ante stellas, ante coelum rerumque universitatem i. e. ab aeterno pro loquendi ratione Scripturae, cui idem est esse ante rerum universitatem et ab aeterno.

3. Quod est *vita aeterna* 1. Joan. 1, 2; fuitque *in principio* (n. 149).

4. Quod est verus Deus, de ratione autem deitatis est aeternitas.

5. Accedit suffragium traditionis. Nam propterea quoque Arius damnatus fuit, quod contendebat, fuisse tempus, quando Filius non fuerit, seu Filium non esse ab aeterno.

141. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Contra aeternam Filii a Patre generationem excipi potest **1.** ex ea sequi, Filium a Patre esse dependentem. Atqui dependentia includit indigentiam et negat esse necessarium, ideoque et divinum, de cujus ratione est esse a se. Resp. duplex est dependentia, altera proprie dicta, orta ex indigentia et imperfectione, et haec est negatio esse necessarii atque necessariae perfectionis, et affirmatio alicujus esse et alicujus perfectionis per influxum alterius tamquam causae; altera dependentia est improprie dicta, quod unum non possit esse sine altero ex insita exigentia perfectionis. Atque haec, non illa, potest admitti inter personas ss. Trinitatis. Scil. tantae perfectionis est τὸ esse divinum, ut exigat subsistere in tribus personis, et ut unus Deus sit sicut necessario exsistens infinita intellectio sui exprimens Verbum, ita etiam necessario exsistens Verbum infinitae intellectionis. Quare non minore necessitate exsistit Filius quam Pater, necessitate oborta ex infinita naturae divinae perfectione. Ad rem respondet s. Thomas de pot. q. 10 a. 1 ad similem exceptionem, recipere scil. esse naturae indigentis: »Ad 13. dicendum, quod recipiens antequam recipiat, indiget. Ad hoc enim accipit, ut indigentiam repleat. Sed postquam jam acceperit, non indiget: habet enim quo indigebat. Si ergo aliquid est, quod receptioni non

---

rethicus inducit vocem novam atque inauditam mišchar pro aurora, quae alias semper dicitur schachar. Accedit e. quod sufficit duas voces expungere, ut textus cum versione alexandrina conciliari possit. Illud incommodum, textum emendatum etiam aliis vocalibus ornari debere (ʿimmekha nedebeth bejôm chêleka etc. pro masorethico ʿammekha nedabôth bejôm chêlekha etc.) non multum obstat; nam mutationes vocalium non pertinent ad textum proprie dictum. Nec desunt f. codd. circiter 100, qui faveant versioni alex. Mirum vero g. videri non debet, si Masorethae selegerint et praetulerint lectionem, quae textum tam splendidum pro doctrina christiana obscuret. Cf. Kaulen Katholik 1865. II, 129—174; Franzelin annot. ad th. 30 de Trinit. Oppositam tamen sententiam contra Kaulen defendit Reinke Beiträge t. 7 et Messianische Psalmen, Monasterii 1858 cum aliis.

praeexsistit, sed semper est in recepisse, hoc nullo modo est indigens. Filius autem non sic accipit a Patre quasi prius non habens et postea accipiens, sed quia hoc ipsum quod est, habet a Patre. Unde non sequitur quod sit indigens.« Urgente autem adversario, creaturam etiam post acceptionem esse indigentem, prosequitur: »Ad 14. dicendum, quod creatura a Deo accipit esse quoddam, quod non esset permanens, nisi divinitus conservetur. Et ideo etiam postquam esse accepit, indiget divina operatione, ut conservaretur in esse et sic est naturae indigentis. Filius autem accipit a Patre idem numero esse et eandem naturam numero, quam Pater habet. Unde non est naturae indigentis.«

2. Excipi potest Patrem, qui est Filii principium, ipso esse priorem, prioritatem vero adversari aeternitati. »Respondeo dicendum, inquit s. Thomas in 1. d. 9 q. 2 a. 1, quod Pater nullo modo est prior Filio, neque duratione, neque natura, neque intelletu, neque dignitate. In Patre enim et Filio non possumus nisi duo considerare: vel id quod absolutum est, et hoc utrique commune est: unde ex hoc unus non habet prioritatem ad alium . . . vel id quod est ad aliquid. Relativorum autem est simul esse natura . . . et etiam tempore, quia posita se ponunt et perempta se perimunt; et etiam intellectu, cum unum per alterum definiatur.« Et c. errores gr. c. 2: »Nullus modus prioritatis est, secundum quem Pater prior Filio dici possit. Neque enim prior est Pater tempore, cum Filius sit aeternus; neque prior natura, cum Patris et Filii sit una natura; neque dignitate, cum Pater et Filius sint aequales; neque etiam intellectu, cum non distinguantur nisi in relationibus: relativa autem sunt simul secundum intellectum, cum unum sit de intellectu alterius. Et ita patet, quod ita proprie loquendo, Filius non possit dici esse secundus a Patre, nec Spiritus s. tertius ab eodem. Dicunt ergo doctores praedicti, Filium esse secundum et Spiritum s. esse tertium secundum ordinem in numerando.« Cf. 1. q. 42 a. 3. Et sane cum Pater non sit potentia ad intelligendum, sed actus intellectionis purissimus, concipi nequit hic actus intellectionis seu dictionis paternae sine suo termino i. e. Verbo expresso: quare ipsi intellectioni aeternae est prorsus coaeternum. Ad rem Gregorius naz. or. 35 n. 3: »Quod principio caret, aeternum quoque est: quod autem aeternum est, non protinus quoque principio caret, quamdiu ad Patrem velut ad principium et originem refertur. Siquidem principium necesse non est antiquius eo, cujus est principium, sicut sol non exstat prius luce, nec mens angelica verbo, quod intra sese ipsam exprimit. Quod igitur in hunc modum ab aeterno principio procedit, id licet principio quo exsistit non careat, caret tamen principio temporis.« Hinc Alexander alex. in ep. synodica infert: »Quod si porro imago Dei non erat semper, liquet neque illum, cujus imago est, semper fuisse.« Cf. Kleutgen l. 2 q. 1 c. 3 a. 1.

142. **Thesis CVIII.** ***Frustra objiciuntur contra veram naturalemque Filii ex Patris substantia generationem sive 1. ea effata Scripturae, in quibus etiam angeli hominesve dicuntur filii Dei, imo et geniti; sive 2. Col. 1, 15, ubi Filius primogenitus omnis creaturae vocatur; sive 3. diserta testimonia Prov. 8, 22 coll. Eccli. 24, 14; Joan. 1, 15; Act. 2, 36; Hebr. 3, 1 s., quibus Filius Dei factus dicitur.***

Demonstratio p. I. Libenter concedimus, angelos hominesque diserte vel aequivalenter dici filios Dei: verum ingens est inter utramque appella-

tionem discrimen, quod ad haec capita revocari potest. Dum enim **1.** nos rarius filii dicimur et nonnisi cumulatim ac veluti in globo, Christus saepe dicitur Filius Dei vel simpliciter Filius, semper singulariter, cum appositis verus, proprius, unigenitus (n. 135).

2. Filiatio quae creaturis tribuitur, innititur vel **a.** creatione Hebr. 12, 19; Is. 64, 8 etc., quam consequitur specialis cura et providentia creaturis irrationalibus non communis Matth. 6, 26; 7, 11; 10, 29 etc.; vel **b.** electione speciali Ex. 4, 22; Rom. 9, 4; vel. **c.** adoptione Jo. 1, 12; Gal. 4, 5 etc., quae perficitur resurrectione gloriosa Luc. 20, 35, et fruitione hereditatis paternae Rom. 8, 17 ss.: Jesu Christi vero filiatio innititur generatione. Quod si et nos dicimur semel vel iterum geniti, aliquid additur, quo metaphorice id esse accipiendum significatur, ut *verbo veritatis* Jac. 1, 18.

3. Reliqui filii praeter J. Christum exhibentur creaturae, ipse vero creator (n. 137 [1]); illi describuntur ut servi, a quibus J. Christus filii proprii instar secernitur et distinguitur. Ad rem Augustinus tract. 21 in Joan. n. 3: »Non tamen sicut Christi Pater, ita et noster Pater; nunquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos et se. Ille enim Filius aequalis Patri . . . proinde nunquam auditum est de ore D. N. J. Christi, cum ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo Pater noster, sed aut Pater *meus* dixit aut Pater *vester.* Pater *noster* non dixit, usque adeo ut quodam loco poneret haec duo: *Vado ad Deum meum,* inquit, *et Deum vestrum.* Quare non dixit: Deum *nostrum? Et Patrem meum,* dixit, *et Patrem vestrum* (Joan. 20, 17); non dixit: Patrem *nostrum.* Sic jungit, ut distinguat: sic distinguit, ut non sejungat. Unum nos esse vult *in se,* unum autem *Patrem* et *se.*«

4. Christo adscribuntur praerogativae plane divinae (n. 137): illis, quae creaturarum sunt propria. Nihil horum est, quod non egregie exponant patres; paucis ea complectitur Chrysostomus hom. de consubst. c. anomoeos n. 2: »Tu filius appellaris, at ille est; hic appellatio, illic res ipsa; tu filius appellaris, sed unigenitus ut ille non appellaris; sed in sinu Patris non versaris, sed non es splendor gloriae, nec figura substantiae, nec forma Dei etc.« Quare ex qualicunque nominis communitate nihil sequitur contra naturalem Filii, de quo agimus, filiationem.

143. **Demonstratio p. II.** Antiquiores ariani sicut et recentiores duce Krellio de uno Deo P. c. 34 saepe provocant ad Col. 1, 15: *Qui (Filius) est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae;* coll. Eccli. 24, 5: *Ego (Sapientia) ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam;* et v. 14: *Ab initio et ante secula creata sum.* Verum frustra. Quos ut refellamus, necesse non est cum multis patribus contendere, haec de Filio Dei secundum humanam naturam dicta esse, secundum quam dicitur etiam primogenitus B. V. Mariae Matth. 1, 25, vel primogenitus ex mortuis Col. 1, 18; sufficit

1. notasse, vel ex loco objecto ostendi, Filium Dei creaturam non esse, sed divinae consortem naturae: exhibetur enim omnium Creator. Quare

2. appellatio *primogeniti* tam paulum obest dignitati filii, quam appellatio primae causae dignitati Dei: praesertim cum non dicatur πρωτοκτιστὸς sed πρωτότοκος, quod significat vel Filium genitum esse ante omnem creaturam, cum illud πρῶτος saepe vim habeat comparativi; vel eum in omnem creaturam

habere primatum seu principatum (pro significatione non insolita hujus vocis): neque mirum, *quoniam in ipso condita sunt universa . . . et omnia in ipso constant* (v. 16. 17.) Ad rem Tertullianus c. Praxeam c. 7: »De Patre procedendo Filius factus est *primogenitus,* ut ante omnia genitus, et *unigenitus* ut solus ex Deo genitus;« et Ambrosius de fide I c. 7: »Primogenitus, inquit, non primocreatus; ut et genitus pro natura, et primus pro perpetuitate credatur.« Cf. Jo. Damascenus F. O. IV, 8.

144. **Demonstratio p. III.** Legimus Prov. 8, 22: *Dominus possedit* (ἔκτισε) *me in initio viarum suarum,* qui textus arianorum fuit Achilles, quare de ejus lectione et interpretatione quaedam annotabimus.

Quod **1.** lectionem attinet originalem seu hebraicam, ea sine controversia est qānâ, quod significat aliquid *acquirere* emptione, productione Gen. 14, 19. 22; Ps. 139, 13, hereditate, generatione sive proprie dicta Gen. 4, 1; sive metaphorice accepta Deut. 32, 6; et quia quod acquirimus nostrum est, hinc significat *possidere.*

2. Lectio graeca septuaginta interpretum est ἔκτισε *creavit;* occurrit tamen et alia, quae respondet textui hebraico et vulgatae *Dominus possedit me,* scil. ἐκτήσατο, ita in versione Symmachi, Aquilae et Theodotionis; cf. etiam s. Basilius II, 20 et Gregorius nyss. adv. Eunomium; imo Eusebius de eccl. theol. III, 2 testatur, neminem aliorum interpretum vertisse ἔκτισε, sed ἐκτήσατο; et s. Hieronymus in Is. 26, 13: »Quaedam exemplaria male pro *possessione* habere *creaturam.*« Vix tamen credibile est, eam ab arianis primum fuisse introductam, cum ea reperiatur **a.** apud plures patres, et apud eos quoque, qui contra arianos pugnarunt; **b.** in versionibus aethiopica, arabica, syriaca, paraphrasi chaldaica et in vetere latina; imo **c.** apud patres, qui arianas praecesserunt controversias.

3. Huius loci interpretatio est omnino varia. Alii **a.** haec non referunt ad Sapientiam hypostaticam, seu ad personam Filii; sed intelligunt de sapientia in mundo apparente, quae per figuram prosopopoeiae hic loquens inducitur. Ita plus minus interpretes judaei, Clericus in annot. ad Petavium de Trin. l. 2 c. 1 § 2. Nec dissentit Petavius l. c. § 11, ubi inter alia scribit: »Quocirca magis est, ut creatam sapientiam cum nonnullis patrum istic intelligas, hoc est prudentiam et scientiam, quae futura disponit, quaeque in omni hominum vita dominatur, quam aeternam et increatam, nisi quatenus haec ad externorum molitionem operum ac gubernationem demittitur etc.« Recentioribus praetermissis auctor s. 246 in appendice serm. s. Augustini al. 58 de verbis Domini sec. Joan. scribit n. 1: »Multi quidem doctissimi viri hoc ex persona illius sapientiae dictum asserunt, quam Salomo ad judicandum regendumque populum acceperat.« Verum card. Franzelin th. 7 annot. verbis relatis subjicit: »Proferantur, quaeso, doctissimi illi viri ex patribus orthodoxis, quorum nullus ostendi potest textum integrum eo modo intellexisse.« Alii **b.** haec dicta censent de Sapientia hypostatica, imo teste Petavio ib. § 3 major patrum pars hanc in sententiam abiit; et Patritius testatur l. c. l. 2 q. 2 n. 10: »Patres, qui Sapientiam hanc a Salomone commemoratam sensere divinam personam esse, habes plurimos, ad quos enumerandos vix pagina sufficeret; ab Athenagora enim ad Augustinum plus quam viginti recenseas.«

4. Si haec intelliguntur de hypostasi Verbi, nulla est difficultas juxta textum hebraicum, quem fidelius quam versio alexandrina reddidit vul-

gata. Haec vero eo magis est retinenda, tum quod LXX interpretes verbum qānâ semper reddunt verbo κτάομαι *possideo,* exceptis tribus vicibus: bis enim illud vertunt verbo κτίζω, semel verbo γεννάω; tum ex collatione cum Gen. 4, 1, ubi Eva dicit de filio suo Cain: *Possedi* qānîthî *hominem per Deum.* Cum enim in textu nostro sermo sit de eo, qui toties dicitur Filius Dei, imo et genitus Ps. 2, 7: ratione parallelismi apte reddetur: *Dominus possedit me.* Neque difficultas est, si retenta lectione graeca textus intelligitur de Verbo secundum naturam humanam.

5. Lectione graeca etiam retenta eaque intellecta de Verbo non secundum naturam humanam, non propterea desperata est dogmatis catholici causa. »Nam hoc in loco, inquit Dionysius romanus apud Athanasium de decr. nic. syn. n. 26, ἔκτισε idem est atque ἐπέστησε praefecit operibus ab ipso factis.« Quam explicationem probat etiam Gregorius nys. serm. adv. arianos et sabell. n. 5: »Quia addidit *initium viarum suarum* perspicue intelligitur dicere: Dominus fecit, ut praesim operibus ejus et initium viarum suarum mihi commisit.« Cf. etiam Cyrillum alex. in h. l. apud Mai bibl. n. PP. II, 367. Quod si cui haec explicatio nimis libera videatur, semper tamen prae oculis haberi debet, verbum κτίζω non ita esse explicandum, ut adversetur subjectae materiae, contextui et Scripturarum analogiae: praesertim si textus originalis aliam quoque admittit interpretationem. Atqui aliunde certo constat, Verbum esse Deum, esse vere proprieque genitum, quod vel hoc in loco significatur v. 25: πρὸ τοῦ ὄρη ἑδρασθῆναι, πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με: *Antequam montes collocarentur et ante omnes colles generat me*; et vox qānâ de ea productione intelligi potest, quae est per *generationem.* Accipi scil. debet κτίζω de productione specifice divina, Deo soli propria, alia tamen atque alia pro ratione termini qui est vel extra vel intra Deum. Ad rem s. Ephraem, etsi ipse textum de Christo secundum humanam naturam intelligit, in hymnis de fide apud Assemanum (Bibl. orient. 1, 11) in verba *Dominus creavit me:* »Nomen proprium ubique recurrit: appellativum et ascititium bis terve ad summum auditur. Agedum et supputa: reperies in uno dumtaxat Proverbio *creaturam* a Salomone dici Dei Sapientiam. Alia contra nomina accurate supputa: audies a Patre in omnibus prodigiis, a prophetis in omnibus linguis, ab apostolis in omnibus vocibus, a daemonibus denique in omnibus suppliciis *Filium* uno ore praedicari. Quae cum ita sint, quis non credat Verbum esse *Filium?* Quis in contumaces et contentiosos non excandescat?«

6. Patres vero, qui legebant ἔκτισε vel *condidit,* quique hunc textum accipiebant de Filio secundum divinam naturam, ingeniose nituntur exponere, quomodo verbum κτίζειν de Filio intelligi possit vel debeat. Notant enim, opportune admodum adhiberi promiscue de Verbo κτίζειν et γεννᾶν, cum se mutuo expoliant atque explicent. Nam sicut verbum γεννᾶν removet a Filio productionem seu creationem ex nihilo atque consubstantialitatem significat: ita verbum κτίζειν exprimit Verbi subsistentiam negatque illud esse inane, evanidum, προφόρικον vel modum tantum, et removet a divina generatione omnem corruptionem, passionem, mutationem. Qua de re praeclare scribit Hilarius de synodis n. 17: »Sed quia Dei Filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est; idcirco ait *creatam* se esse Sapientiam, omnem in generatione sua naturam corporalis passionis excludens. At vero ut ostenderet non creationis in se, sed nativitatis

esse naturam, subjecit et *genitam:* ut cum *creatam* se et *genitam* confitetur, absolutam nativitatis suae intelligentiam praestaret, dum et indemutabilem Patris naturam in creatione significat, et legitimam ac propriam ex Deo Patre genitae naturae suae ostendit esse substantiam. Atque ita perfectae nativitatis intelligentiam creationis et generationis attulit sermo, cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturae est.« Cf. Athanasius or. 2 c. arian. n. 3; Thomas 1. p. q. 41 a. 3 ad 4. et c. gentes IV, 8.

7. Haec applicari etiam possunt et debent verbis Eccli. 24, 12: *Tunc praecepit et dixit mihi Creator omnium et qui creavit me;* v. 14: *Ab initio et ante secula creata sum.* Cf. Scheeben § 110.

145. Circa reliqua testimonia notetur: **1.** Etiamsi in illis Filius Dei *factus* dicitur, cum ex Scripturis evidens sit, eum duplicem habere naturam: humanam, secundum quam dicitur *factus* Rom. 1, 3 s., et praestantiorem, secundum quam dicitur *Deus super omnia benedictus in secula* Rom. 9, 5: contra regulas logicae inferri eum secundum utramque naturam esse factum et nullatenus secundum praestantiorem genitum (n. 158[1]).

2. In textu Joan. 1, 15: *Ante me factus est, quia prior me erat,* nil aliud significare *factus* quam antepositus, praelatus, ut constat ex ipsis verbis, ex contextu propinquo et remotiore, ex locis parallelis Matth. 3, 11; Marc. 1, 7; Luc. 3, 16; et ex interpretatione patrum, e quibus cf. in primis Chrysostomus hom. 13 in h. l. n. 3. Cf. opus. XXX, 169.

3. Act. 2, 36: *Et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis,* manifesto referri ad Christum secundum humanam naturam, secundum quam crucifixus fuit: *facere* enim ibi significat constituere, exaltare.

4. Hebr. 3, 2: *Qui* (Jesus) *fidelis est ei, qui fecit illum,* verbum *facere* pariter significat constituere. Locus vero iste potius est contra socinianos: exhibetur enim Christus prae Moyse famulo *filius* germanus Patris, auctor et dominus Ecclesiae, quae ejus domus dicitur; imo non obscure Deus. Ita enim legimus: *3. Amplioris gloriae iste* (Jesus) *prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. 4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est. 5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quae dicenda erant. 6. Christus vero tamquam Filius in domo sua: quae domus sumus nos* etc. Cf. Franzelin th. 20.

146. **Corollaria.** Ex hucusque demonstratis manifesto sequitur

1. Filium a Patre distingui, non utcunque, sed re et hypostasi;

2. Filium patri esse consubstantialem, cum sit genitus;

3. ideoque aequalem, nam ut patres passim cum Zenone veronensi inculcant l. 1 tr. 6 § 4: „Si quid Filio detraxeris, ad Patrem, cujus habet totum, injuria pertinebit.“ Quare

4. Dei Filius est verus Deus, quod jam accuratius probabimus.

Articulus II.
De divinitate Filii.

147. Ostendimus Patrem vere genuisse Filium. Jam in hujus Filii dotes, cujus aliquas saltem obiter proposuimus supra n. 137, diligentius

inquirendum est. Porro demonstrabimus eum verum esse Deum; quo posito sponte sua consequitur, illi omnes perfectiones convenire, quas Deo tribuendas in tractatu praecedenti vidimus. Filium autem esse Deum, semper quidem fuit creditum, in synodo vero nicaena luculenter assertum (n. 139), et expressum symbolis antiquissimis ecclesiarum caesariensis (cf. Sozomenus H. E. I, 5), hierosolymitanae et antiochenae, quae profitebatur D. N. J. Christum Filium ejus (Patris) unigenitum Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ Cf. Passaglia comment. theol. II § 14 ss.

148. **Thesis CIX.** ***Scripturarum auctoritate evincitur, Filium Dei a Patre genitum verum esse Deum.***

Demonstratio. Cum innumera sint Scripturae testimonia, quibus divinitas Filii demonstratur, prae ceteris loci classici instar eminet prologus Evangelii Joannis: 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* 2. *Hoc erat in principio apud Deum.* 2. *Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* 4. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.*

Demonstrationi praemittimus duo lemmata: **1.** Verbum esse idem cum *Filio,* quod vix demonstratione indiget. Dicitur enim **a.** Verbum *caro factum* v. 14; incarnatio autem constanter adscribitur Filio; **b.** Verbum caro factum mox et deinceps vocatur *Filius, Filius unigenitus* etc.; **c.** Verbum dicitur fuisse apud Deum, per ipsum omnia esse facta, fuisse lucem veram, in propria venisse, sed a suis non fuisse receptum etc., quae omnia praedicantur etiam de Filio Joan. 1, 18; Hebr. 1, 2; Joan. 8, 12; 9, 5; 12, 46; Matth. 8, 20. Ad haec **d.** Christus, qui est idem cum Dei Filio, ut alibi ostendemus, dicitur Apoc. 19, 13: ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.

2. Verbum esse personam patet **a.** ex contextu; **b.** ex eo quod opponitur Joan. Baptistae ut *lux vera* illi, qui *non fuit lux;* **c.** ex verbis v. 11: *Et sui eum* (αὐτὸν) *non receperunt,* ubi propter praecedens φῶς dicendum fuisset αὐτὸ; **d.** quod idem sit cum Filio ut ostendimus; Filius autem persona a Deo Patre est distincta (art. 1). Quibus praemissis ex singulis prologi incisis, collatis opportune aliis locis, eruuntur pro divinitate Filii argumenta.

149. Colligimus **1.** Verbum esse aeternum; dicitur enim *in principio erat Verbum.* Atqui sive *principii* nomine intelligitur principium absolutum, sive relativum, sequitur Verbi aeternitas. Relativum illud dicitur, quod in certo genere vel ordine etc. est primum, ante quod proinde nihil ex illo genere vel ordine est, ut principium viae, seculi etc. Absolutum vero est omnium primum, ante quod generatim nullum aliud concipi potest, eoque ipsa est aeternitas. Hoc autem sensu potius illud esse accipiendum, suadent **a.** quod simpliciter ponatur absque ullo apposito, quo restringatur ad certum aliquod principium designandum; **b.** collatio cum Prov. 8, 22 (n. 144), Eccli. 24, 5 (n. 143); praesertim

c. 1. Joan. 1, 2: *Annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis* (quae cf. cum Jo. 1, 1 et 14: *Verbum erat apud Deum . . . et Verbum caro factum est et habitavit in nobis*), ubi vocatur Verbum simpliciter *vita aeterua.* Quare sensus erit: In aeternitate erat Verbum, unde manifesto sequitur Verbi aeternitas; quae tamen etiam sequitur, si illud principium intelligatur de relativo i. e. de principio rerum creatarum: nam **a.** Verbum dicitur jam fuisse in illo principio, ac **b.** manifesto opponitur tamquam non habens principium rebus principium habentibus, **c.** ut infectum factis: ipsum enim *erat,* cetera omnia *facta sunt.* Ergo Verbum est aeternum, ergo non est creatura. Atqui haec aeternitas Verbi alibi iis notis describitur, quibus aeternitas unius Dei propria effertur Is. 41, 4; 44, 6; 48, 12 etc.: ita enim de se loquitur Filius Dei Apoc. 22, 13: *Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis;* cf. 1, 8. 17; 21, 6. Ergo Verbum est Deus.

Egregie h. l. illustrant ss. patres (cf. opusc. XXX, 29 ss. an.), e quibus s. Hilarius inter alia scribit de Trin. II, 13: »Quid est istud *in principio erat?* Transeuntur tempora, transmittuntur secula, tolluntur aetates. Pone aliquod, quod voles tua opinione principium, non tenes tempore (Verbum): *erat* enim, unde tractatur . . . Meus piscator illiteratus, indoctus, liber a tempore, solutus a seculis est, vicit omne principium. *Erat* enim, quod est: neque in tempore aliquo concluditur, ut coeperit, quod *erat* potius *in principio* quam fiebat.« — Et s. Basilius de spir. s. c. 6: »Neque ex hac voce *erat* cogitatio exitum reperire potest, neque *principium* imaginatio transcendere. Quantumvis enim cogitatione curras ad anteriora, ex voce *erat* exitum non reperis. Et quantumvis institeris videre, quae sint ultra Filium, non tamen poteris superare principium. Itaque pium est juxta hanc rationem Filium simul cum Patre intelligere.«

150. **2.** Ex verbis: *Et Verbum erat apud Deum,* quamvis immediate tantum sequi videatur, Verbum a Patre distingui, re tamen penitius inspecta plura summi momenti colliguntur. Nam sicut Verbum distinguitur in antecedenti inciso et vers. 3 a rebus principiatis et factis, ita in hoc inciso connumeratur Deo Patri. Non ergo consors est naturae creaturarum, sed particeps naturae divinae. Cf. Jo. 17, 3. Si vero quaeritur accuratius, quomodo Verbum sit apud Deum, expensis aliis Scripturae effatis colligitur inciso illo non designari societatem quamcunque, sed eam, vi cujus est in sinu Patris Jo. 1, 18, et qua ei jungitur

a. in duratione exsistentiae, utpote ejus splendor Hebr. 1, 3;

b. in operibus ad extra tum creationis, tum renovationis ac reparationis (n. 153); ideoque significatur societas, qua est apud Patrem, tamquam ejus *sapientia* et *virtus* 1. Cor. 1, 24, ad quem dixit Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;*

c. qua particeps est ejusdem cum Patre majestatis sedens ad dexteram ejus Ps. 109, 1; Hebr. 1, 3. 8. 13, adeo ut una sit utriusque *sedes* et thronus Ap. 22, 3, unum *regnum* 11, 15; qua

d. mutuo et intime se cognoscunt et unus sine altero cognosci nequit secundum illa Matth. 11, 27: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare;* Joan. 14, 7: *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis* . . . v. 9: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem?* v. 10: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* v. 20.

e. Societas est, qua fit ut una cum Patre omni honore et gloria sit prosequendus Joan. 5, 33: *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem*; cf. Rom. 14, 11 coll. Is. 45, 24; Apoc. 5, 13 etc.; qua fit

f. ut non secus ac Pater sit objectum fidei, spei et amoris; Joan. 14, 1: *Creditis in Deum: et in me credite;* Act. 4, 12: *Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* 1. Tim. 1, 1: *Paulus apostolus J. Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri et Christi Jesu spei nostrae,* Joan. 14, 21 ss.; 15, 9, s.: *Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in ejus dilectione;* Matth. 10, 37; 1. Cor. 16, 22; 2. Cor. 5, 15: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* etc.;

g. qua fit, ut una cum Patre constituat objectum beatitudinis nostrae: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum* Joan. 17, 3; vi cujus tandem

h. ut omnia paucis comprehendamus, Filius dicere potuit Joan. 17, 10: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt;* 16, 15: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt.* Atqui haec manifesto ostendunt Verbum seu Filium consortem esse divinae naturae. Quare verus est Deus.

151. **3.** Inciso *et Deus erat Verbum* (in quo ὁ λόγος est subjectum, ut patet ex articulo, quo afficitur, et ex connexione cum aliis incisis, in quibus omnibus est subjectum), docemur Verbum esse *Deum,* et quidem non minus Deum quam ille est, apud quem fuit in principio, i. e Pater. Quod confirmatur plurimis aliis testimoniis tum disertis tum aequipollentibus; et disertis quidem: Rom. 9, 5: *Ex quibus* (israelitis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*; quo textu ultra 40 patres utuntur ad probandam Filii divinitatem (cf. opusc. XVI, 240 an.); Joan. 20, 28, ubi Thomas viso Christo redivivo *dixit ei: Dominus meus et Deus meus,* quae ad Christum referri patet ex pronomine *ei,* et definivit conc. oecumenicum V. can. 12 adversus Theodorum

mopsuestenum; Tit. 2, 11 ss.: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos . . . exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri J. Christi;* ad quae verba notat Hieronymus: „Ubi est serpens Arius, ubi Eunomius coluber? *magnus Deus* J. Christus Salvator dicitur;" quem textum alii quoque patres ad Christum referunt (opusc. XXIX, 94 ss. an.), ut contextus etiam exigit: nam idem articulus in textu graeco regit utrumque appositum *magni Dei* et *Salvatoris* nostri, utrumque ergo ad idem subjectum J. Christum spectat; et J. Christi adventum gloriosum exspectamus, non Patris. J. Christus ergo est ille magnus Deus. 1. Joan. 5, 20: *Scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna,* ubi omnia exigunt, ut verba posteriora intelligantur de vero Filio Patris (cf. op. XVI, 228 an.).

Sequuntur testimonia aequipollentia, in quibus scil. ea, quae evidenter de Deo et de Deo Jehova dicuntur, de Filio intelligenda esse vel affirmatur vel ex contextu patet. Ita Luc. 1, 16 s. dicitur Joannes Baptista praecessurus Dominum Deum: sed ipse se fassus est praecursorem Christi Filii Dei Matth. 3, 11; Jo. 1, 15. 19 col. Mal. 3, 11. Ita Is. 6, 1 ss. describitur gloria Dei altissimi: vidit enim propheta Dominum sedentem in throno, seraphim stipatum, qui clamabant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Atqui teste Joanne 12, 41 Isaias tunc vidit gloriam *Filii Dei.* Ejusdem prophetae verba 45, 24: *Mihi curvabitur omne genu et jurabit omnis lingua,* quae dicta sunt de Deo praeter quem non est alius (v. 22), Paulus de Filio Rom. 14, 11 interpretatur.

152. **Scholion.** Ad quaestionem quare Filius Dei nunquam se diserte dixerit Deum, respondet Petrus ven. in ep. ad Petrum de Joanne de hoc argumento (Mig. 189, 492 s.): »Quia sol erat et vera illa lux, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Joan. 1, 9, noluit luminis immensi fulgore aegros mortalium oculos subitus apparens obtundere, sed nube carnis opposita, sobrietate verborum praetenta, ad speculandam, et suo tempore pervidendam hactenus ignoratam mortalibus deitatis lucem, spiritualem eorum intuitum confovere. Ea de causa non, ut primo tempore fecerat, se statim, ut praedicare coepit, solemni illo more Deum vocabat, sed aegris medicus pro tempore se conformans, ac velut inductionibus, vel insinuationibus utens a minoribus ad majora eos gradatim erudiens promovebat. Formabat ita verba, ut in quantum non solum veracem, sed et ipsam veritatem decebat, et scandala infidelium temperaret, et fidelibus atque intelligere valentibus, non minus quam tempore legis mosaicae se Deum clamaret.« Quod postquam probavit verbis Christi (Matth. 22, 42 ss.), ita prosequitur . . . »Confessus est plane se Deum, sed ita ut, sicut dictum est, et scandalum infirmorum nondum tam sublimia capientium vitaret, nec intelligere valentibus quod Deus esset celaret. Inauditum enim hoc erat apud homines, et ab intellectu communi adhuc omnino abhorrebat, aliquem mortalium vel sentire vel credere Deum.«

153. **4.** V. 3 edicitur, *per Verbum facta esse omnia,* nullo excepto, de quo praedicatum *factum* affirmari possit: quare significatur ipsum Verbum non esse factum, alioquin per se ipsum esset factum, quod absurdum. Aliis quoque in locis docemur ut v. 10 per Verbum factum esse *mundum;* Hebr. 1, 2 facta esse *secula;* v. 10 *coelum et terram;* Col. 1, 16 *visibilia et invisibilia,* universa et in coelis et in terra, ne nobilissimis quidem creaturis exceptis; et Paulus 1. Cor. 8, 5 docet, ita per Filium esse *omnia,* sicut ex Patre: ideoque eum omnis realitatis, veritatis, bonitatis, pulchritudinis etc. cum Deo Patre esse auctorem. Ad rem Athanasius in h. l. or. 2 c. arian.: „Si *omnia* per ipsum, non cum omnibus ipse numerabitur. Nam qui eum, per quem omnia, unum esse omnium audebit dicere, hic omnino etiam de Deo, ex quo omnia, idem cogitabit." Neque solum quoad terminum seu objectum operatio Filii parallela est operationi Patris, sed etiam quoad ipsam operationem: testatur enim Christus Joan. 5, 17 s.: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor... Quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit;* et quoad consectaria; eodem enim modo exhibentur creaturae propriae Filii Jo. 1, 11 eique famulantes, sicut Patri Matth. 8, 26, eodemque modo quo Pater, exhibetur ipse Creator coeli et terrae, cum de ipso interpretetur Paulus Hebr. 1, 10 verba Ps. 101, 26: *Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.* Cum ergo eadem sit operatio, eadem quoque erit virtus; et si eadem virtus, eadem cum Patre natura. Eoque magis ex hac Filii operatione inferre licebit eum esse Deum, quod creatio est juxta Scripturam nota et argumentum verae divinitatis. Cf. Is. 40, 12 ss. Atqui nota et argumentum non esset, si ea etiam creaturae competere posset. Quare Paulus Hebr. 3, 4 diserte pronunciat: *Qui autem omnia creavit, Deus est.* Ideo etiam Filius vocatur in divinis literis simpliciter *principium* Apoc. 3, 18; Col. 1, 18; Jo. 8, 25.

154. Quae hucusque de Joannis prologo disputavimus, pulchro plane complexus est commentario Ambrosius de fide I, 7 n. 56 s.: » *Erat,* inquit, *apud Deum. Erat, erat, erat, erat:* ecce quater erat. Ubi impius invenit quod non erat? Alibi quoque Joannes in epistola sua dicit: *Quod erat in principio* (1 ep. 2, 1). Indefinite tenditur *erat:* quidquid excogitaveris *erat* Filius. Omnes autem haereses hoc capitulo brevi piscator noster exclusit. Quod enim *erat in principio,* non includitur tempore, non principio praevenitur. Ergo Arius conticescat. Quod autem *erat apud Deum,* non permixtione confunditur: sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. *Et Deus erat Verbum.* Non ergo in prolatione sermonis hoc Verbum est, sed in illa coelestis designatione virtutis, ut confutetur Photinus. Quod vero *erat in principio apud Deum,* sempiternae Divinitatis in Patre et Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eunomius. Postremo cum *omnia per ipsum facta* dicantur, ipse conditor novi utique Testamenti et veteris designatur, ut Manichaeus locum tentationis habere non

possit. Ita piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamvis essent inutiles captioni.« Praeclare Isidorus quoque Pelusiota IV ep. 141: »Ex *Filii* appellatione consubstantiale; ex *Verbi* vocabulo passionis expers; ex eo quod *in principio erat* coaeternum; ex eo quod *apud Patrem erat* cognationem ejus cum Patre; ex eo quod *Deus* est, illius majestatem intelligentes, et ex unoquoque nomine quidquid indecorum est segregantes, velut a Filio junioris significationem, a Verbo minime subsistentis, Deum aeternum, consubstantialem citra passionem et tempus progressum noverimus et adoremus.«

155. **5.** Versu 4 dicitur: *In ipso vita erat,* scil. ita in ipso vita est, ut sit **a.** vita subsistens 5, 26: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso:* ut sit **b.** fons et origo omnis vitae tam naturalis v. 3 quam supernaturalis et beatae; Joan. 4, 14: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*; 5, 21: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* 6, 58: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem*; *et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Act. 3, 15 dicitur *auctor vitae* simpliciter; Joan. 11, 25; 17, 2: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam;* Joan. 14, 6 et 1. Joan. 1, 2 *vita, vita aeterna* etc. Sicut ergo ὁ ὤν et fons totius entitatis, Deus est: ita Deus necesse sit, qui est vita substantialis et fons omnis vitae.

156. Non dissimili ratione **6.** argumentari licet ex inciso sequenti: *Et vita erat lux hominum* collatis opportune v. 8 s.: *Non erat ille* (Joannes Baptista) *lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* Matth. 11, 27: *Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare:* unde liquet eum esse ipsam lucem, ipsam veritatem (est enim ἡ ἀλήθεια Joan. 14, 6), fontem omnis luminis tam naturalis, quam supernaturalis fidei et gloriae, lucem inaccessam: nam sicut Pater nonnisi per revelationem Filii cognoscitur, ita nec Filium quis novit, nisi Pater et cui Pater voluerit revelare Matth. 16, 17. Notetur autem gradatio, qua Verbum exhibetur principium omnis esse, vitae, lucis: quare est ὁ ὤν, actus purus, ipsa vita, ipsa lux, in qua *tenebrae non sunt ullae* 1. Joan. 1, 5, quae quadamtenus sunt synonyma; nam omne esse est quidam actus (actualitas); omnis actus quaedam vita (potentiae); omnis vita quaedam lux. Quare qui est ipsa lux, in qua nullae tenebrae alicujus defectus, ipsa vita: undequaque vivit pleneque est actuatus: nulla ergo in eo est potentia: quare est actus purus, ideoque Deus.

157. Quibus omnibus diligenter expensis non mirabimur, Novatianum ita de Trin. c. 23 scribere potuisse: »Usque adeo hunc (scil. Filium) manifestum est in Scripturis esse Deum tradi, ut plerique haereticorum divinitatis ipsius magnitudine et veritate commoti ultra modum extendentes ho-

nores ejus ausi sint, non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere vel putare; quod etsi contra Scripturarum veritatem est, tamen divinitatis Christi argumentum grande ac praecipuum est . . . Alii quoque haeretici usque adeo Christi manifestam amplexati sunt divinitatem, ut dixerint illum fuisse sine carne et totum illi susceptum detraxerint hominem, ne decoquerent in illo divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent, ut arbitrabantur, nativitatem« etc.

158. **Scholion.** *Principia ad solvendas difficultates.* — Non negamus ex Scripturis plura adduci, quae Filii divinitati adversari videntur. Cum singula expendere non liceat, juverit quaedam statuisse principia, quibus potiores saltem exponantur textus, qui opponuntur.

1. „Distinguamus, inquit Augustinus de Trin. I., 11 n. 22, quid in Scripturis sonet secundum formam Dei, in qua aequalis est (Filius) Patri, et quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre, (et) non conturbabimur tamquam contrariis ac repugnantibus inter se ss. librorum sententiis."

Idem paulo secus expressit Hilarius in Ps. 54 n. 2: »Hic ergo (Deus Verbum) assumens carnis nostrae fragilitatem et manens suus atque noster, ita agit, orat, profitetur, expectat omnia illa, quae nostra sunt, ut in his admisceat etiam illa, quae sua sunt, loquaturque interdum ex persona hominis, quia et homo et natus et passus et mortuus est; interdum autem omnis ei secundum Deum sermo sit, quia ex Deo homo et ex Dei Filio hominis filius exstitisset, naturae scil. ejus confidentiam non oblitus etc.« Cf. Fulgentius ep. 8 n. 13 ss. opusc. XLV, 239. Quocirca cum ariani haec non satis distinguerent, imo confunderent, belle conqueritur Ambrosius de fide III, 10 n. 65: »Ariani veluti judaici caupones miscent aquam cum vino, quia divinam humanamque generationem confundunt, ad Deitatem referentes, quod de carne sit dictum;« quibus similia habent Athanasius or. 3 c. arianos n. 35; ep. ad episc. Aegypti n. 17 et Gaudentius brixianus s. 19. Ad rem notat Chrysostomus quoque hom. 12 t. 1, magnum posse humiliter de se loqui idque laudi ipsi esse futurum: parvum vero nonnisi cum arrogantia sublimia de se affirmare: »Itaque si multo inferior Patre Filius esset, ut vos dicitis, non oportuisset eum verba proloqui, quibus ipsum genitori suo aequalem esse constaret: id enim arrogantiae fuisset.« Cf. opus. XXII, 168 ss. annot.

2. Christus considerari potest triplici modo: ut Deus, ut homo, ut caput corporis sui mystici i. e. Ecclesiae: quare triplicis generis praedicata de eo efferuntur; hinc plura de Christo dicuntur, quae sunt intelligenda de ejus corpore mystico, de Ecclesia seu de Christo secundum ejus corpus; nam ut toties inculcat Augustinus (serm. 137 n. 1): „Cum ergo sit ille caput Ecclesiae, et sit corpus ejus Ecclesia, totus Christus et caput et corpus est." Cf. t. I. n. 208 ss.

Quo sensu nonnulli explicant profectum Christi in sapientia Luc. 2, 52, quatenus scil. proficit in suis membris (cf. Hieronymus in Eph. 1, 22); ignorationem *diei judicii* Marc. 13, 32 (n. 161[3]). De verbis vero Matth.

27, 46: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me,* ait Athanasius de incarn. et c. arian. n. 2: »Ex nostra persona ista loquitur.« Cf. Vigilius in Constituto ad c. 23 Theodori. In primis vero secundum hanc considerationem explicant 1. Cor. 15, 27 s. Omnium nomine audiatur Ambrosius de fide V, 13. 14 fuse hunc locum expendens n. 181: »Sicut ergo nos in illo sedemus (Eph. 2, 6) per corporeae communionem naturae, ita et ille . . . per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit; cum judaeus agnoverit, quem crucifixit; cum manichaeus adoraverit, quem in carne venisse non credidit; cum arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit; cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, caritas, resurrectio.«

3. Filius est quidem Deus, sed *Deus de Deo,* Deus genitus. Cum ergo Filius omnia sua in Patrem refert, ut Jo. 5, 19: *Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem;* 7, 16: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* etc.: divinitatem sibi non negat, sed genitum se et Filium, non αὐτόθεον et ingenitum, profitetur. „Idcirco saepe, ait Cyrillus al. l. 2 c. 9 in Jo. 5, 30, inculpate ac vere suorum potestatem tribuit Patri, non quod seipsum id posse neget, sed quod ad unius operationem deitatis omnia refert." Cf. n. 163.

4. Sicut in V. Testamento unitas Dei inculcatur, ita et in novo, sed dilatata in Trinitatem, ut patres subinde loquuntur (cf. Thomassinus de Trin. c. 4): progressu scil. revelationis professio unitatis Dei aucta est professione Trinitatis personarum. Ne ergo haec illam impediat, nomen Dei in divinis literis plerumque tribuitur Patri, qui est Filii et cum Filio Spiritus s. principium; Filio vero et Spiritui s. rarius tribuitur, praesertim si simul cum Patre nominantur: ejus loco alia adhibentur nomina, quae personarum quidem distinctionem tueantur, sed simul divinitatem significent. Ejusmodi nomen est praesertim nomen *Domini,* κύριος, quod non minoris est dignitatis quam nomen *Dei*, cum LXX interpretes nomen Dei ineffabile nomine κύριος soleant reddere. Hoc porro tribui solet Filio, qui simpliciter vocatur Dominus, vel etiam *solus Dominus et Dominator, rex regum et Dominus dominantium* ep. Jud. v. 4; Apoc. 3, 17; 17, 14 etc.

Huc spectant Gregorii naz. verba or. 25 n. 15: »Quin pietatis nostrae doctrinam praescribe, sic nos instituens, ut Deum unum ingenitum agnoscamus Patrem, unum item genitum Dominum Filium, qui Deus quidem appellatur, quando per se et seorsim dicitur, Dominus autem, quando cum Patre nominatur; illud propter naturam, hoc propter unitatem principii.« — Nec minus praeclare Tertullianus c. Praxeam c. 13: »Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: *Ex quibus est Christus,* inquit, *Deus super omnia benedictus in aevum omne* (Rom. 9, 5). Nam et radium solis seorsum solem vocabo, solem autem nominans, cujus est radius, non statim et radium solem appellabo.« Apostolum autem secuta est Ecclesia in symbolis et in liturgia. Cf. Petavius de Trin. III, 1.

5. Denique cum in divinis literis aliqua praerogativa divina (scil. absoluta et naturam divinam consequens) Deo vel Patri vindicatur, excluduntur quidem ab illius consortio personae creatae, quae alterius sunt naturae, non vero Filius, qui utpote genitus ejusdem cum Patre est naturae et omnia habet, quae Patris sunt, quocum unus est Deus. „Nam *unus* et *solus,* inquit Basilius ep. 8 n. 3, de Deo dicuntur in Scripturis non ad distinctionem a Filio aut Spiritu s., sed adversus eos, qui cum dii non sint, dii tamen falso nominantur;" et Cyrillus al. thes. p. 142: „Multa dicuntur inesse soli Patri, tametsi Filius iis omnibus non careat, siquidem scriptum est: Solus verax Deus Pater . . . et Paulus alicubi dicit: *„Immortali, invisibili, sòli sapienti Deo* (1. Tim. 1, 17; Rom. 16, 27). Filius itaque nihilominus erit naturaliter eadem quae Pater, licet aliqua de Patre solo praedicantur; omnia enim, quae Patri insunt naturaliter et necessario, ea pariter communicantur Verbo ab illo procedenti." Cf. Thomas 1. d. 21 q. 1 a. 1. 2.

159. His praemissis *quatuor celebriora testimonia,* quibus in primis abusi sunt ariani, accuratius expendamus. Primum legitur Joan. 14, 28: *Pater major me est,* de quo notamus, plures patres, latinos praesertim, haec intelligere de Filio secundum humanam naturam, quo sensu (qui ratione habita contextus praeferendus videtur) nulla est difficultas; alios vero, graecos in primis, ea referre ad Filium, quatenus genitus est ex Patre: diligenter tamen cavere, ne quis inferat, Filium ratione naturae Patre esse minorem, cum potius ut Filius Patri ratione naturae sit aequalis. Quare hisce verbis significatum tantum censent Patris ἀξίωμα, quo Filii est principium, quod tamen nullam inducit inaequalitatem. Cf. Gregorius naz. or. 40 n. 43.

160. Alterum testimonium legitur Joan. 17, 3: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Sed notetur vocem *solum,* cui innititur tota difficultas, non esse referendam ad subjectum *te,* ut patet ex textu graeco, sed ad praedicatum *Deum verum*; ideoque affirmari unicitatem Dei, non vero ab unicae naturae divinae consortio excludi Filium, qui utpote genitus ejusdem cum Patre est naturae: quapropter idem apostolus diserte 1. ep. 5, 20 de eo affirmat: *Hic est verus Deus et vita aeterna.* »Quamvis Pater, inquit ad rem Athanasius or. 3. c. arianos n. 9, dicatur solus verus Deus, non id dictum est ad repudiandum eum qui ait: *Ego sum veritas* (Joan. 14, 6); sed ad rejiciendos eos, qui non sunt natura veri, qualis est Pater ejusque Verbum. Sic enim Dominus statim conjunxit: *Et quem misisti J. Christum.* Qui si esset creatura, non conjunxisset et connumerasset seipsum Creatori suo. Quae enim societas vero cum non vero? Nunc autem quod seipsum conjunxit cum Patre, ostendit se naturae Patris esse, nosque docuit, se esse veri Patris verum genitum. Hoc etiam didicerat et docuit Joannes scribens in sua epistola 1. ep. 5, 20 etc.« Cf. Gregorius naz. or. 30 n. 13 opusc. XXIX, 271 cum annot.

161. Tertium testimonium habetur Marc. 13, 32: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.* Multiplex est apud patres hujus difficultatis solutio. Non desunt

1. qui cum s. Ambrosio de fide V, 16 n. 192 affirment, veteres codices graecos non habere *quia nec Filius scit;* »sed non mirum, si et hoc falsarunt (ariani), qui Scripturas interpolaverunt divinas.« Ita Paulinns aquilej. c. Felicem urgellit. III, 12: quae tamen suspicio solido caret fundamento: hinc aliis in locis difficultatem solvit s. Ambrosius nulla facta corruptionis mentione ut ib. II, 11 n. 93; in Luc. VIII, 34 ss. Praetermittimus

2. sententiam Cyrilli alex. in dial. cum Nest. quod s. Virgo Deipara sit, et in Matth. 24, 36 (Migne 72, 443), qui putat, eo quod dicatur simpliciter *Filius,* haec non necessario intelligenda esse de Christo: posse accipi de homine in genere ad filiationem adoptivam jam vocato.

3. Nonnulli censent Christum haec dixisse in persona nostra, seu quod in idem fere recidit, de Ecclesia, corpore suo mystico. Ita Origenes tr. 30 in Matth.; Pseudo-Athanasius in disp. c. Arium n. 28 (Migne 28, 474 s.); Epiphanius haer. 77 n. 26, 30; Gregorius turonensis in praef. l. 1 hist. franc., quam sententiam laudat et Gregorius M. X ep. 39 ad Eulogium patriarcham alex. scribens: »De eo vero, quod scriptum est, quia diem et horam neque Filius, neque angeli sciunt, omnino recte vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem Filium juxta hoc, quod caput est, sed juxta corpus ejus, quod nos sumus, est certissime referendum: qua de re multis in locis idem b. Augustinus eo sensu utitur.« Cf. Thomas c. gentes IV, 8.

4. Nonnulli concedere videntur, Christum secundum naturam humanam diem ignorasse judicii, quod tamen, nisi id dextere explicetur (cf. mox n. 5), admittere non licet. Ideoque Leporius emend. l. n. 40 profitetur: »Dixi ... D. N. J. Christum secundum hominem ignorare. Sed nunc non solum dicere non praesumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum.« Patres, qui id affirmant, ita excusantur ab Eulogio apud Photium cod. 240: »Quod si aliqui e patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt, non id ut dogma protulerunt, sed ut arianorum insaniam repellerent, qui nimirum humana omnia in divinitatem transferebant, ut increatum Dei Verbum probarent esse creatum: cautius nempe existimaverunt illi haec humanitati adscribere, quam sinere illos ea in ipsam divinitatem pertrahere.« Quare hi patres magis solliciti de Verbi divinitate, permittunt interim, ut haec de humanitate Christi affirmentur, nolentes ingredi quaestionem difficiliorem ad ipsorum scopum tunc non necessariam, num etiam ab humanitate omnis excludenda sit ignorantia. Cf. Garnerius in an. ad l. fidei Rufini n. 21 (Mig. 48, 247).

5. Vero quodam sensu haec scientia Christi humanitati absque errore denegari potest, ut nos docet s. Gregorius M. X ep. 39: »In natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit ... itaque scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis ... habere denegavit.« Cf. Jo. Damascenus de F. O. III, 21. Fere in eundem sensum P. Lazeri in annot. subj. ad s. Brunonis ast. comment. in Matth. 24, 36, allatis variis interpretum sententiis, scribit: »Quid si dicamus, Christum ut hominem nescisse diem illum scientia experimentali, quatenus eo temporis articulo adfuturus sit, ut ad eum praenoscendum nullus usus rerum, nulla temporum

cognitio, nulla conjectura pervenire possit desumpta ex humanarum rerum experientia? Hoc certe esset contextui toti et Domini sermoni accommodatissimum.«

6. Non desunt qui putent, Christum eodem sensu haec dixisse, quo Jo. 5, 19 affirmat, Filium non posse a se facere quidquam: non ut sibi denegaret potentiam, sed ut significaret se eam a Patre generatione accepisse. Denegavit sibi scil. scientiam non simpliciter, sed originalem, incommunicatam: non enim eam habet a se, sed generatione a Patre acceptam.

7. Communior tamen est explicatio, quam ita proponit s. Augustinus de Genesi c. manich. c. 22: »Quid potest esse, quod ipse nesciat? Sed quia hoc utiliter occultat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat;« secundum quam explicationem Christus nescivit diem judicii scientia communicabili; nescivit qua Dei legatus, cum eam notitiam nobis communicare non debuerit. Quam sententiam jam ante Augustinum proposuerat s. Hilarius de Trin. IX, 58—75 (opusc. IV, 421—40; 448), quo l. IX. omnia haec testimonia fuse evolvit.

162. Quarto denique loco libenter provocant ariani ad 1. Cor. 8, 6: *Nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus J. Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Sed notetur

1. retorqueri posse argumentum: si enim ex eo, quod Pater dicitur *unus Deus* sequeretur, Christum non esse Deum: sequeretur pariter ex eo, quod Christus appellatur *unus Dominus,* Patrem non esse Dominum;

2. Christum simpliciter vocari κύριον, quod respondet nomini Dei Adonai seu Jehovah V. T. Ad rem Ambrosiaster in ep. ad Gal. c. 1: »Nec minorem Filium significat, cum eum Dominum nostrum vocat, nec Patrem majorem, quia eum Deum nostrum appellat; quia non erit verus Deus Pater, nisi et Dominus sit, neque verus Dominus Filius, nisi et Deus sit;«

3. apposito *per quem omnia* clare significari Christum unum cum Patre esse fontem omnis realitatis, veritatis, bonitatis etc., hinc ejusdem cum Patre substantiae. Cf. Hilarius de Trin. VIII, 34 ss.; Scheeben § 108.

163. **Corollarium.** *Calvinianorum error reprobatur.* — Etsi Filius Dei legitimo aliquo sensu αὐτοούσιος (a se exsistens) et αὐτόθεος (a se Deus) dici potest: error tamen est contendere, Filium Dei ita esse αὐτοούσιον aut αὐτόθεον, ut e Patre quidem habeat, quod sit Filius, ab eodem vero communicatam generatione naturam non habeat, qua est Deus. Quae ut intelligantur, notetur, vocem αὐτός in ejusmodi compositionibus significare subjectum, de quo effertur, vel vere ac proprie, essentialiter et solide esse, quod esse dicitur, non adumbratione, ex accidente, ex parte; vel significare id, de quo effertur, esse a se id, quod affirmatur. Priori sensu vere dicitur Filius αὐτοούσιος, αὐτόθεος, quia non ex parte, non participatione, sed vere et per essentiam est Deus. Posteriori sensu dici nequit αὐτόθεος, ut probatur

1. ex vetustissimis symbolis, in quibus profitemur Filium Deum de Deo;

2. ex Joan. 5, 19: *Non potest Filius a se facere quidquam;* v. 26: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso;* 17, 24: *Pater, quos dedisti mihi, volo . . . ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi,* in quibus Filius testatur, se a Patre accepisse vitam, omnipotentiam etc., ideoque et essentiam.

3. Ex notione generationis, quae est communicatio naturae specie vel numero ejusdem, quam generans habet. Si ergo Filius est genitus a Patre, non a se habet naturam, qua est Deus, sed a Patre. Ceterum

4. error hic ortus est ex idearum confusione. Aliud est enim habere substantiam, essentiam a principio: et aliud, substantiam seu essentiam habere principium. Ex eo, quod Filius habet substantiam divinam a principio i. e. a Patre, non sequitur, ipsam substantiam, quam accipit, habere principium. Nam Filius accipit substantiam eandem a Patre, quam hic habet, ideoque carentem principio: non ipsa ejus substantia gignitur, sed ei a Patre communicatur. Est igitur Filius αὐτόθεος i. e. vere Deus sicut Pater, quia eandem cum Patre generatione possidet naturam; non est αὐτόθεος a se Deus, quia eam non sicut Pater a se habet. Cf. Bellarminus de Christo II, 1; Petavius VI, 11.

Articulus III.
De persona Spiritus sancti.

164. **Thesis CX.** ***Spiritus sanctus, qui a Patre Filioque distinguitur, subsistens est ac vera persona verusque Deus.***

Declaratio. Thesis tres continet partes, in quarum prima tuemur contra sabellianos, Spiritum s. a Patre Filioque re distingui; in secunda vindicamus ei substantiam et personalitatem contra socinianos et rationalistas, qui Spiritus sancti nomine intelligunt quandam virtutem seu operationem Dei; in tertia affirmamus contra macedonianos eum esse verum Deum. Complectitur thesis dogma fundamentale religionis christianae solemniter declaratum in conc. alexandrino a. 362: in confessione fidei a Damaso a. 378 vel 379 edita in ep. ad Paulinum antioch. n. 3: „Si quis non dixerit Spiritum s. de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divina substantia et Deum verum, A. S." et in concilio CP. I. a. 381, quod symbolo nicaeno haec verba adjecit: „Credimus . . . et in Spiritum s., Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio est adorandus et glorificandus, qui locutus est per prophetas," in quem art. cf. Thomas in expos. symb. ap. n. 29. Quamvis autem tres sint partes, eas simul probabimus; nam praecipuis in testimoniis afferendis tria haec simul credenda proponuntur.

165. **Demonstratio. 1.** Spiritus s. saltem in 25 locis, non solum nominatur sed vel Patri vel Filio vel utrique conjungitur et connumeratur in oppositione ad creaturas: ita tamen, ut ab iis distinguatur proprio nomine, propriis operationibus (quae scil. ipsi appropriantur), tamquam tertius a primo et secundo. Cf. Matth. 3, 16 s.; 28, 19; Joan. cc. 14. 15. 16; Rom. 15, 30; 1. Cor. 12, 3 ss.; 2. Cor. 13, 13; Tit. 3, 4 ss.; Hebr. 9, 14; 1. Petr. 1, 2 etc. Atqui haec adeo frequens distinctio et connumeratio cum Patre et Filio, qui personae divinae realiter distinctae sunt, suadet et persuadet, Spiritum s. ita distingui a Patre et a Filio, sicut Filius a Patre,

eum subsistere, esse personam non inferioris conditionis quam illi sunt. „Impium enim est, inquit Athanasius de incarn. n. 9, creatum aut factum dicere Spiritum Dei, ubi omnis Scriptura vetus et nova cum Patre et Filio ipsum annumerat et glorificat.“ Quo argumento patres saepe ad probandam Spiritus s. divinitatem utuntur, ut ostendimus opusc. XIII, 14 ss.

2. His addimus aliquot testimonia magis diserta. Ita ex. gr. legimus Joan. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* 14, 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum:* in quibus exhibetur Spiritus s. sicut Filius (8, 42) procedens a Patre, missus a Patre et Filio, dicitur Spiritus veritatis, cujus est edocere ad finem usque seculi Ecclesiam eamque sua praesentia reddere columnam ac firmamentum veritatis; designatur consummator operis a Verbo caro facto incepti. Atqui haec manifesto ostendunt Spiritum non solum distinctum a Patre et Filio, verum etiam ejusdem esse cum ipsis naturae et dignitatis.

Act. 5, 3 legimus: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui s.? . . . non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ergo mentiri Spiritui s. idem est ac mentiri Deo. Quo argumento libenter utuntur patres (cf. opusc. XXII, 190 ss). Stephanus 7, 51 exprobrat judaeis, quod semper sicut et patres eorum resisterent Spiritui s. Atqui patres judaeorum jugiter arguuntur, quod Deo non obsequerentur Hebr. 3, 7 ss.; 4, 1 ss. col. Ps. 94, 7. Quare sat clare Spiritus s. divinae esse majestatis significatur. — Luc. 12, 10 blasphemia in Spiritum s. gravior judicatur peccato in Filium: quae major gravitas explicari nequit, si Spiritus s. est creatura.

A Paulo dicimur templa Spiritus s. 1. Cor. 3, 16 s.; 6, 19: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus s., qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Unde infert Augustinus, qui hisce textibus cum aliis patribus saepe utitur, c. Maxim. III n. 3: »Spiritus s., quod cum magno honore de Deo dictum est (Act. 17, 24), non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus sancti; et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis est ergo Deus, cui templum aedificatur et a Deo et e membris Dei? Et c. 11: »Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi et ab Ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servitutem, quae uni tantum Deo debetur? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturae, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?« — »Nulla quippe creatura, subjicit Cyrillus alex. thes. ass. 34, neque factum aliquid tamquam Deus in templo habitare dicitur. Nam id inter alias proprietates Deo soli convenit.« Cf. opusc. XVI, 229 a.

166. **3.** Efficax argumentum pro divinitate Spiritus sancti erui potest ex iis, quae illi passim in divinis literis adscribuntur. Sane

a. adscribitur ei non obscure mundi creatio; ita Gen. 1, 1: *Spiritus Dei ferebatur super aquas,* quem in l. cf. multorum patrum commentarium opusc. XXII, 181; Ps. 32, 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt et*

Spiritu oris ejus omnis virtus eorum; Ps. 103, 30: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Tribuuntur ipsi

b. Christi incarnatio Luc. 1,35, quorum verborum occasione pulchre Augustinus l. c. c. 17: „Mundus per Filium factus est, et creator est Filius. Caro ejus, quae data est pro mundi vita, per Spiritum s. facta est, et non est creator Spiritus sanctus?“ Christi inunctio Luc. 4, 18, et miracula Matth. 12, 28 coll. Jo. 14, 10;

c. quod corpus Christi i. e. Ecclesiam in omnem ducat veritatem Jo. 14, 16 ss. (t. I n. 263[2]); regat et administret Act. 20, 28; 1. Cor. 12, 28 (ib. n. 250[2]).

d. Adscribitur ei inspiratio Scripturae et prophetarum 2. Petr. 1, 21, per quos tamen jugiter exhibetur Deus locutus.

e. Ipsius est non secus ac Dei Patris fidelium regeneratio et renovatio Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei;* Tit. 3, 5: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti;* 1. Cor. 6, 11: *Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri J. Christi et in Spiritu Dei nostri;* Rom. 5, 5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum s., qui datus est nobis;* Joan. 20, 22 s.: *Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* 1. Cor. 12, 3 ss., ubi Paulus recensitis plurimis charismatibus subjicit: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Ad rem Tertullianus c. Marc. I, 28: „Baptismus regeneratio est hominis. Quomodo regenerat, qui non generavit? Iteratio non competit ei, a quo quid nec semel factum est.“ Tribuuntur ei remissio peccatorum, quae propria est Dei; distributio charismatum et sanctificatio, qua sancti divinaeque consortes naturae efficimur, cujus effectus occasione ita loquitur Gregorius naz. or. 34 n. 22: „Non adducor, ut credam, mihi ab aequali salutem afferri. Si Spiritus s. non est Deus, fiat Deus prius et ita demum me, aequalem suum, Deum efficiat.“ Ex his vero Spiritus s. operationibus colligitur ejusdem omnipraesentia, imo et immensitas. „Incircumscriptus et infinitus Spiritus s., infert Ambrosius de Spir. s. l. 1 c. 7, qui se discipulorum sensibus per separatarum divortia discreta regionum remotosque fines totius orbis infundit, quem nihil potest praeterire vel fallere.“ Cf. Didymus alex. de Spir. s. n. 6; Petavius II, 15.

f. Adscribuntur Spiritui s. dotes ac praerogativae divinae, ut sanctitas non accidentalis, participata, sed essentialis, ex qua omnis sanctitas in creaturas derivatur: et quidem toties, quoties simpliciter Spiritus dicitur sanctus. „Si extremae stultitiae, inquit Cyrillus alex. dial. 7 de Trinit., certum illud est argumentum, nominare quidem Patrem Deum, sed

ipsum Patrem esse non intelligere: aut Filium quidem Filium, istud autem non esse dicere: quomodo ignorantiae culpa liberabimus eos, qui naturali sanctitate spoliare audent natura et vere sanctum Spiritum?" Tribuitur ei omniscientia 1 Cor. 2, 10 s.: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

Ex quo Pauli loco variis modis patres s. Spiritus divinitatem inferunt:

a. tribuitur a Paulo Spiritui s. notitia secretorum paternorum profundorumque Dei, et quidem connaturalis, sicut connaturale spiritui hominis est, nosse secreta hominis propria. Atqui ejusmodi notitia exhibetur connaturalis et propria Filio, qui est in sinu Patris (Joan. 1, 18): nam nemo novit Patrem nisi Filius (Matth. 11, 27); quare ejusdem est dignitatis, conditionis, familiaritatis cum Patre Spiritus s. ac Filius. Et sane

b. Spiritus s. confertur cum spiritu hominis, qui non est aliquid homini extraneum alienumve ab ejus substantia. Ad rem Hilarius de Trin. XII n. 55: »Nulla te (Patrem) nisi res tua penetrat, nec profundum immensae majestatis tuae peregrinae atque alienae a te virtutis causa metitur. Tuum est, quidquid te init, neque alienum a te est, quidquid virtute scrutantis inest;« et Chrysostomus in Ps. 44 n. 3: »Quanta ergo est animae ipsius cum seipsa consensio, tanta est Spiritus cum Patre cognatio. Quemadmodum ergo Filius quoque dicitur Verbum, nec est tamen ejusmodi, ut non subsistat: ita etiam Spiritus Dei dicitur Spiritus, nec tamen non subsistit.« — Athanasius de incarn. et c. arian. n. 13: »Sicut igitur spiritus hominis ab humanitate ejus et substantia non est segregatus, sic et Spiritus Dei a divinitate ejus et substantia non est alienus.« Ad haec

c. si hominis occulta cognoscere »divinitatis est proprium (ut ex pluribus s. Scripturae effatis colligitur), quanto magis profunda Dei summi in persona Spiritus s. majestatis insigne est?« ita Paschasius (vel probabilius Faustus rhegiensis) de Spir. s. II, 1. Similiter argumentatur antiquus auctor breviarii fidei adv. arianos (Migne 13, 663): »Sicut legimus, quod nemo noverit cogitationes hominum nisi Deus, quomodo Spiritus s. non est Deus, qui etiam non solum quae in homine, sed etiam quae in Deo sunt, scire dignoscitur?« Praeterea

d. si Spiritui Dei vel ipsa τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ sunt pervia, nil divinorum erit illi impervium: Deum ergo comprehendit. Deum autem comprehendere solius est intellectus infiniti seu Dei. Merito igitur Spiritus s. *Spiritus veritatis* dicitur Joan. 14, 17, quod omnem complectitur possidetque veritatem. — Argumentum ex divinis literis deductum bene expositum habes in professione fidei ab episcopis africanis Hunerico regi oblata, quam exhibet Victor vitensis in historia persec. vandalicae III, 9 ss. opusc. XXII, 179 ss. cum annot. subjectis. Cf. Thomas c. gentes IV, 17. 18.

167. **4.** Eadem veritas probatur ex traditione; pro qua sufficit provocare **a.** ad antiquissima symbola, in quibus Patri et Filio conjungitur et connumeratur Spiritus sanctus.

»Descendisti igitur, inquit de myst. c. 6 n. 28 s. Ambrosius (in fontem baptismi). Recordare, quid responderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum s. Non habes illic: Credo in majorem et minorem et ultimum, sed eadem vocis tuae cautione constringeris, ut similiter credas in Filium, sicut in Patrem credis; similiter in Spiritum s. credas, sicut credis in Filium.« — Et s. Athanasius in expos. symb. (opp. t. 1 p. 2, 1278): »Credimus in Spiritum s., qui non est alienus a Patre et Filio, sed consubstantialis Patri et Filio, increatus, perfectus etc.«

b. Ad doxologiam ex vetustissima traditione derivatam, qua semper Spiritus s. cum Patre et Filio conglorificabatur.

De hac praxi praeclare disserit s. Basilius de Spir. s. c. 27 ss. opusc. XXX, et ep. 159, ubi inter alia scribit n. 2: »Ut baptizamus, ita et credimus; ut credimus, ita et glorificamus. Cum igitur baptisma a Salvatore datum sit in nomine Patris et Filii et Spiritus s., consentaneam baptismo confessionem fidei, consentaneam etiam fidei glorificationem adhibemus, Spiritum s. una cum Patre et Filio glorificantes, eo quod persuasum sit nobis, illum a natura divina non esse alienum. Neque enim eorundem honorum esset particeps, quod alienum foret secundum naturam.« Notum enim erat patribus dictum illud Dei Is. 42, 8: *Gloriam meam alteri non dabo.*

c. Ad integra opera, quibus patres hoc dogma propugnarunt, ut praeter Basilium, Didymus alex., Athanasius in suis ad Serapionem ep. et passim alibi, Gregorius naz. or. theol. 5, praesertim n. 26 op. XXIX, et nyssenus serm. de Sp. s., in quo n. 15 statuit: „Qui Patrem quidem confitetur Filiumque admittit, Spiritus tamen abolet majestatem: fidem negavit et est infideli deterior christianique mentitur nomen;“ Chrysostomus in duabus homiliis de s. Pentecoste, auctor breviarii fidei adv. arianos, Epiphanius haer. 74, Ambrosius, Cyrillus alex. thes. ass. 33. 34, Fulgentius ad Trasimundum l. 3 (cf. opusc. XXII, 198 a.), episcopi africani sec. VI. l. cit. etc.

168. **5.** In primis delectantur patres argumento ex baptismi forma deducto. Ut ejus vis perspiciatur, notetur **a.** conjungi et adnumerari Spiritum s. Patri et Filio in ritu fundamentali religionis christianae maximeque ad salutem necessario, quo homines mundantur a peccatis, regenerantur, sanctificantur totique transeunt in peculium et discipulatum Dei. Eandem **b.** invocationis Spiritus s. esse necessitatem, quae invocationis Patris et Filii, adeo ut ea praetermissa invalidus sit baptismus. „Quem si in baptismate, inquit Vigilius tapsensis c. arian. et sabell. II, 37, non nominaveris, frustra videbitur mysterium omne, perfectum non erit sacramentum. Incassum quippe Patris et Filii nomine uteris illo non nominato [1].“ Invocari **c.** tres personas sub uno communique nomine;

---

[1]) Cf. etiam Fulgentius ep. 8 n. 19 opusc. XLV; fragm. 37 c. Fabianum; Basilius de Spir. s. c. 12; Didymus de Spir. s. n. 24; Gregorius naz. or. 33 n. 17 et s. Zacharias ep. 11 ad s. Bonifatium.

inepte vero d. dici fideles baptizari in nomine rei creatae vel attributi. Cum ergo in tanto opere tanta necessitate Spiritus s. conjungitur Patri et Filio, liquet eum esse ejusdem auctoritatis, virtutis, honoris, majestatis, divinitatis cum Patre et Filio.

Praeclare Hieronymus in Eph. 4, 5: »Fides una dicitur, quia similiter et in Patrem et in Filium et in Spiritum s. credimus. Et baptisma unum, eodem enim modo et in Patrem et in Filium et in Spiritum s. baptizamur. Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris et Filii et Spiritus s., sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror qua consequentia in uno vocabulo, eodem opere et eodem sacramento naturae diversitatem Arius, Macedonius et Eunomius suspicentur (concordante in impietate discordia) et creaturae in Filio et Spiritu s. coenosum fontem tenentes diversos haereseos rivulos duxerint.« — Et aliis praetermissis Faustinus de Trinit. l. 7 § 3: »Sed et cum praecipit Dominus, ut gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus s. baptizentur, apertissimum est Spiritum s. non esse creaturam, vel ex ipsa societate, quae illi cum Patre et Filio est, vel quod nunquam praeciperet Dominus, ut in creaturae nomine aliquis baptizaretur: multum enim divinae potentiae derogaretur, si cum confessione divini nominis par quoque creaturae confessio poneretur. Et bene quod unum nomen posuit dicens, in nomine Patris et Filii et Spiritus s., ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis et perfectae Trinitatis.«

Articulus IV.

De processione Spiritus sancti.

169. **Thesis CXI.** ***Spiritus sanctus secundum Scripturae doctrinam non solum a Patre, verum etiam a Filio procedit.***

Demonstratio. Dogma hoc catholicum in conciliis lateranensi IV. cap. ‚Firmiter', lugdunensi II. et florentino solemniter declaratum fuit [1]) contra graecos schismaticos. Lugdunense enim docet: „Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus s. aeternaliter ex Patre et Filio non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit."

I. Probatur ex illis testimoniis, in quibus Spiritus s. dicitur *Spiritus Filii* vel *Christi* vel *Jesu*, sicut aliis in locis passim dicitur Spiritus Dei vel Patris. Act. 16, 6. 7: *Vetati sunt* (Paulus et comites) *a Spiritu s. loqui verbum Dei in Asia: . . . tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu;* Gal. 4, 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Cf. Rom. 8, 9; Phil. 1, 19; 1. Petr. 1, 11. Atqui Spi-

---

[1]) Ceterum illud jam enunciatur in symbolo Leonis IX. († 1054); in ep. 13 Stephani V. († a. 891) ad Suentopolcum regem (Migne 129, 801 s.); in symb. Leonis III. († a. 816), in quo profitemur »Spiritum s. a Patre et a Filio aequaliter procedentem, consubstantialem, coaeternum Patri et Filio;« in conc. toletano XVI. (a. 693); XI. (a. 675); III. (a. 589) et plenario (a. 447); in symb. athanasiano et in ep. dogmatica s. Leonis I. ad Turribium c. 1 (a. 447).

ritus s. ideo dicitur Spiritus Patris, quia ex Patre procedit: ut patet **a.** ex confessione ipsorum graecorum; **b.** ex interpretatione patrum[1]), imo ipsius Pauli, qui postquam Spiritum s. dixit *Spiritum Dei* (1. Cor. 2, 11), quasi hujus appellationis reddens rationem subdit (v. 12) *Spiritum, qui ex Deo est;* **c.** ex simili modo loquendi Scripturae et patrum, quo Verbum dicitur *Filius Patris;* **d.** ex eo, quod in divinis alia assignari nequit relatio, quam relatio originis. Ergo ideo etiam dicitur Spiritus s. Spiritus Filii, quia ex Filio procedit.

Ad rem Cyrillus alex. in ep. synod. ad Nest. approbata a conc. ephesino: »Spiritus . . . non est alienus a Filio, *Spiritus* enim *Veritatis* nominatur et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo atque a Deo Patre procedit.« Et Hugo Etherianus de error. graec. I, 1: »Si ab uno solo duorum processionem Spiritus haberet, duorum non esset aequaliter commune et indifferenter: sed praecipue illius, ex quo proveniret. At vero Spiritus est alterutrius aequaliter et indifferenter, non enim minus Filii et magis Patris est. Quare non ab uno solo duorum processionem habet Spiritus.«

2. Probatur ex eo, quod Filius mittit Spiritum sanctum teste Scriptura. De ratione missionis sunt duo, processio aliqualis missi a mittente, et inceptio essendi in aliquo termino ad extra, saltem novo aliquo modo, quo ibi missus antea non erat. Requiritur praeterea, ut posterius sequatur ex primo quatenus missus habeat vi missionis, quod alicubi incipiat esse vel modo novo esse. In divinis fundatur processio in origine personae missae a mittente; alterum vero elementum continetur nova relatione ad terminum externum, ratione cujus persona divina missa dicitur: ideoque missio divina complectitur elementum aeternum, processionem scil. personae divinae ab alia, et elementum temporale, habitudinem scil. ad aliquam creaturam vel opus effectum.

Falsa et haeretica est **a.** missionis notio, qua usi sunt sabelliani, secundum quos missio non est nisi motio quaedam illius, qui mittere perhibetur; **b.** notio ariana, quae involvit praecellentiam mittentis prae misso, ideoque veram perfectionis inaequalitatem. Neque adaequata est **c.** illa missiouis acceptio, qua ea significat vel solam incarnationem Filii, vel generatim transitum ex statu invisibilitatis ad statum visibilem, vel solam originem aeternam unius personae ab altera, vel solam effectionem operis externi aut signi sensibilis repraesentantis unam e divinis personam. — Notionem quam dedimus, esse genuinam suadetur **a.** inductione, qua constat, neque Patrem, neque ss. Trinitatem, sed solum Filium vel Spiritum s. legi missum, et quidem a Patre, a quo procedunt. Confirmatur **b.** auctoritate theologorum scholae praeeunte s. Thoma 1. p. q. 43, imo et gravium patrum. Ita Fulgentius c. Fabianum fragm. l. 8: »Filius est igitur missus a Patre, non Pater a Filio, quia Filius

---

[1]) Cf. Anselmus de proc. Spir. s. c. 21. Rationes a graecis excogitatas, quare Spiritus s. dicatur Spiritus Filii, quamvis ab eo non procedat, plane improbabiles vel inadaequatas esse ostendit Hergenröther in fol. trimestri tübing. a. 1858 p. 589 ss.

est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus s. a. Patre et Filio legitur missus, quia a Patre Filioque procedit.« Cf. Augustinus de Trinit. IV, 19. 20; c. Maximin. II, 14 n. 8; Gregorius M. in Ev. hom. 26 n. 2. Illustratur **c.** ratione: missio enim significat unius ab altero egressionem secundum aliquam rationem principii ad aliquem terminum, et mitti nihil aliud est quam ire vel venire ad aliquem terminum per virtutem alterius impressam aliquo modo ei, qui mitti dicitur: quod fieri potest quadruplici modo, per impulsum, praeceptum, preces, productionem, qua ratione ex. gr. sol emittit radium, arbor florem. Atqui triplex prior modus in divinis locum non habet. Ergo missio in divinis involvit processionem personae missae a mittente [1]).

Quibus praemissis ita instituimus argumentum: Missio in divinis involvit processionem personae missae a mittente. Atqui Spiritus s. non solum a Patre mittitur, sed et a Filio; Joan. 16, 7: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos;* 15, 29; Luc. 24, 49. Ergo a Filio quoque procedit. Quod secundum plures patres Christus significavit facto illo, quod narratur Jo. 20, 22; *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.*

Sic ex. gr. Cyrillus in Jo. 14, 16 l. 9: »Propterea corporaliter Christus sufflavit (in apostolos) ostendens, quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic et ex divina substantia Deitati convenienter Spiritus, qui ex eo est, profunditur. Cum ergo Spiritus ipse Dei Patris sit ac Filii, quomodo non unam omnino habebunt substantiam et distincte simul atque conjunctim (διῃρημένως τε ἅμα καὶ συνημμένως)?« — S. Thomas c. error. graec. c. 32: »A nullo potest dari nisi quod ejus est. Spiritus ergo sanctus ab eo datur, cujus est sicut habetur 1. Jo. 4 (13): *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Si ergo Filius mittit vel dat Spiritum s., oportet quod sit Spiritus ejus. Ex hoc autem quod est Spiritus ejus, sequitur quod ab eo sit aeternaliter«. Cf. opusc. XVI, 234 an.

3. Probatur ex Joan. 16, 13 ss.: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso; sed quaecunque audiet loquetur, et quae ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet et an-*

---

[1]) Plura de missionis notione cf. apud Suarez l. 12 de Trinit.; Petavium l. 8; Franzelin th. 42 et in examine doctrinae Macarii Bulgakow de processione Spiritus s., Romae 1876 sect. 1; Scheeben § 125 et Myst. des Christ. § 27 ss.; Billiot de Deo uno et trino t. II. in q. 43. De discrimine inter processionem, missionem et dationem cf. s. Thomas in 1. dist. 15 q. 1 a. 1. Secundum humanam naturam, secundum quam Filius conceptus est de Spiritu s., Filius dici potest missus a Spiritu s. (Is. 61, 2). »Si in missione personae divinae, inquit s. Thomas l. c. c. 14, consideretur effectus, ratione cujus persona mitti dicitur, cum effectus sit communis toti Trinitati . . . tunc dici potest, quod persona mittitur a tota Trinitate;« et hinc juxta Augustinum de Trinit. II, 5 et Petrum Lomb. 1. dist. 15 etiam a seipsa, sed certe minus proprie.

nunciabit vobis; quo in textu mira habetur incisorum connexio, quorum subsequens prioris solet continere rationem. Atqui in eo diserte edicitur, Spiritum s. accipere a Filio seu de iis, quae sunt Filii: accipere vero in divinis nihil aliud significat quam procedere, cum praeter processionem alia accipiendi ratio non cognoscatur. Hinc etiam Filius suam a Patre processionem ita expressit Joan. 8, 26: *Qui me misit, verax est; et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo: et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum;* cf. v. 28; 5, 19; 7, 16; 12, 49 s. Ad rem Anselmus de proc. Spir. s. c. 11: „Quid est, inquit, audire Spiritui sancto, nisi quasi discere? Et quid est discere, nisi scientiam accipere? Si ergo scientia ejus non est aliud nisi essentia ejus: ab illo habet essentiam, a quo audit ea, quae loquitur et quae docet;" et Anselmus havelburg. dial. II, 18 (Mig. 188, 1190): „Unde illi essentia, inde illi audientia; et unde illi audientia, inde illi scientia; et unde illi scientia, inde illi processio". Cf. s. Augustinus tr. 40 et 99 in Jo. — Ad haec Filius testatur se omnia habere, quae Patris sunt, excepta profecto paternitate. Atqui Pater habet virtutem spirandi, quae non est idem ac paternitas, alioquin Spiritus s. esset Filius Patris. Ergo et hanc virtutem habet Filius, ideoque cum Patre principium est Spiritus sancti.

Neque obstat futurum *accipiet.* Ad rem Augustinus contra serm. arian. c. 24: »Nec moveat, quod futuri temporis verbum est *accipiet,* quasi nondum haberet. Indifferenter quippe dicuntur temporis verba, quamvis sine tempore manere intelligatur aeternitas. Nam et *accepit,* quia de Patre processit; et *accipit,* quia a Patre procedit; et *accipiet,* quia de Patre nunquam procedere desinet: sicut Deus et *est,* et *fuit,* et *erit,* et tamen initium vel finem temporis nec habet, nec habuit, nec habebit.« Cf. ejus verba n. 62 [2]; Thomas c. gentes IV, 24; Anselmus l. c. c. 19 ss. Ad haec, ideo tempus futurum hic adhibetur, quod sermo est de missione Spiritus s., quae esset manifestatio processionis. Atqui haec missio tunc erat futura. Potuit ergo Christus propter relationem ad missionem futuram adhibere verbum temporis futuri; »quodam enim modo locutionis, inquit Petrus Lomb. in ep. ad Hebr. 1, 4, dicit Scriptura rem esse vel fieri, cum innotescit.« Quare acceptio est futura in sua manifestatione et effectu temporali, non vero in sua origine. Ceterum plures codd. antiquissimi et patres graeci, necnon versio syriaca simplex habent tempus praesens.

Confirmatur argumentum ex hoc textu petitum authentico veterum suffragio. Ita ex. gr. scribit Apollinarius in catena apud Corderium p. 396: »A me (i. e. a Filio) Spiritus procedit. Qui autem dico a me, etiam a Patre significo, mea enim sunt ea, quae Patris. Ad hunc ergo modum intellige illud *de meo accipiet.*« — Cyrillus alex. in h. l. XI, 1: »Citra culpam et reprehensionem omnem dici potest ab Unigenito quiddam accipere Spiritum ejus. Nam cum per ipsum procedat naturaliter (προϊὸν δι᾽ αὐτοῦ φυσικῶς) utpote cum sit ejus proprius (ὡς ἴδιον αὐτοῦ) una cum omnibus, quae perfecte habet, accipere dicitur quae ejus sunt.« — Didymus alex. de Spir. s. n. 25. 26. 34: »Non

loquetur a semetipso... quia non ex se est, sed ex Patre et me est; hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est [1]).«

Absurde graeci, ut hujus textus vim effugiant, vel incisum *de meo accipiet* explicant ita: de meo Patre accipiet; haec enim explicatio est contra contextum, contra grammaticam, contra traditionem exegeticam; vel illud interpretantur de missione temporali: sed nimis clare ita sermo est de missione, ut includatur processio, et omnes alioquin notiones de processionibus divinis subvertuntur, neque ipsa processio Spiritus s. a Patre poterit a graecis legitime ex divinis literis probari.

170. **Thesis CXII.** ***Processio Spiritus s. a Patre Filioque suffragio patrum graecorum comprobatur.***

Demonstratio. Graeci schismatici evidentia veritatis convicti concedunt, patres latinos processionem Spiritus s. a Filio quoque docere, quos ideo erroris inscitiaeve accusant: ideoque dogma catholicum suffragio patrum graecorum comprobabimus. De quo in primis nobis constare debet indirecte ex consensu patrum latinorum, quos cf. apud Petavium VII, 8. Si enim patres graeci usque ad sec. IX. in una Ecclesia cum illis fuerunt, et si patrum latinorum maxima semper fuit in Oriente auctoritas: merito cum doctissimo cardinali Bessarion in egregia sua disp. dogmatica habita in conc. florentino c. 8 ex fide patrum latinorum fidem graecorum colligemus. Hoc unum concedimus, fieri potuisse, ut quod patres latini clarius et magis explicite proposuerunt, graeci obscurius et magis implicite docuerint; verum neque hoc factum est, cum et patres graeci clare et explicite dogma catholicum tueantur.

171. Doctrina est **1.** s. Basilii ep. 125: „Immotus et inviolabilis custodiendus est ordo, quem ex ipsa voce Domini traditum accepimus dicentis, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.“ Atqui non alia ratio congrua reddi potest vel redditur a patribus, quare ordo, vi cujus Pater nominatur primus, secundus Filius, tertio loco Spiritus s., immutabilis et plane necessarius sit, quam quae oritur ex origine unius personae ab altera.

»Nos autem, inquit idem c. Eunomium l. 1 n. 20, secundum causarum [2]) habitudinem ad ea, quae ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium asse-

[1]) Cf. Hilarius de Trinit. VIII, 19. 20; Augustinus tr. 99 in Joan. n. 4. 8; Fulgentius c. Fabianum fragm. 27. Cf. Franzelin th. 32 ss.

[2]) Patres quidem graeci causae faciunt mentionem in divinis: »apud latinos autem, inquit s. Thomas contra err. graec. l. 1 c. 1, non est consuetum, quod Pater dicatur causa Filii vel Spiritus s., sed solum principium vel auctor. Et hoc propter tria. Primo quidem, quia Pater non posset intelligi causa Filii per modum causae formalis vel materialis vel finalis, sed solum per modum causae originantis, quae est causa efficiens. Hanc autem semper invenimus secundum essentiam esse diversam ab eo, cujus est causa. Et ideo ne Filius intelligeretur esse alterius essentiae a Patre, non consuevimus dicere patrem esse causam filii; sed magis utimur illis nominibus, quae significant originem cum quadam consubstantialitate, sicut fons, caput et alia hujusmodi. Secundo, quia causa apud nos correspondet effectui, unde Patrem non dicimus causam, ne aliquis intelligat Filium esse factum. Nam et apud

rimus;« et etiam clarius l. 3 initio: »Dignitate secundum eum (Spiritum s.) esse a Filio, ut qui ab ipso esse habet et ab ipso accipit et annunciat nobis, atque omnino ab illa causa (a Filio) pendet, tradit doctrina pietatis.« — Quod etiam Gregorius nyss. statuit c. Eunom. l. 1 p. 164: »Eadem est nostra doctrina de Spiritu s., in solo ordine differentiam (inter personas) agnoscens. Sicut enim conjungitur Patri Filius et ex illo esse habens, non tamen exsistentia posterior est; sic pariter ab Unigenito pendet Spiritus s., ita ut sola cogitatione secundum rationem principii κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον Filius praeintelligatur hypostasi Spiritus. Temporales enim dimensiones in aeterna vita non habent locum, ita ut excepta ratione principii ss. Trinitas nulla re in se ipsa discernatur.« Cf. etiam in l. Quod non putandum sit tres deos dici oportere op. II, 459; serm. de Spir. s. n. 24.

2. Statuunt patres, ita logice et ontologice Spiritum s. connecti cum Filio ut Filius cum Patre conjungitur. Atqui nexus logicus et ontologicus inter Filium et Patrem innititur origine unius ab altero. Ergo et nexus inter Spiritum s. et Filium.

Ad catenam logicam haec spectant s. Basilii[1]) ex ep. 38 ad Gregorium fratrem: »Qui Patrem intellexit, et eum in seipo intellexit et Filium animo simul est complexus. Qui autem percepit Filium, a Filio Spiritum non separavit, sed consequenter quidem secundum ordinem, conjuncte vero ac indivisum secundum naturam trium simul permixtam in seipso fidem expressit.« Ad catenam ontologicam haec pertinent ib. n. 4: »Sicut qui unum ex catena extremum apprehendit, alterum extremum simul attraxit, ita qui Spiritum attraxit, et Filium et Patrem per ipsum attraxit« etc.; de Spiritu s. c. 16. 17. 18, ubi n. 47 utrumque paucis complectitur: »Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem. Et vice versa essentialis bonitas et secundum naturam sanctitas et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum ad Spiritum permanat.« Ceterum jam Tertullianus adv. Praxeam scripserat c. 25: »Ceterum *de meo sumet* (Joan. 16, 14) sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus.«

3. Docent patres eandem esse habitudinem inter Spiritum s. et Filium, quae sit inter Filium et Patrem. Atqui Patrem inter et Filium est habitudo originis. Ergo et Filium inter et Spiritum sanctum. Quod argumentum card. Bessarion de processione Spir. s. § 9 ita proponit: „Tum a magno Basilio tum a plerisque sanctorum Filius quidem dicitur imago Patris, Spiritus autem imago Filii; Filius operatio Patris, Spiritus s. operatio

---

philosophos prima causa Deus nominatur. Omne autem causatum sub universitate creaturarum comprehenditur apud eos, et ideo si Filius causam dicatur habere, posset intelligi, quod sub universitate causatorum vel creaturarum comprehenderetur. Tertio quia de divinis non de facile debet homo aliter loqui, quam s. Scriptura loquatur. Scriptura autem s. Patrem nominat principium Filii . . . nunquam autem dicit Patrem esse causam vel Filium causatum.«

[1]) Ceterum de doctrina s. Basilii cf. Kranich der h. Basilius, seine Stellung zum Filioque, Braunsbergae 1882. De hoc argumento cf. Thomam l. c. II, 30; Joannem theologum in conc. florent. apud. Harduinum IX, 239 ss.

Filii; Filius Verbum Patris, Spiritus s. Verbum Filii; Filius suaveolentia Patris, Spiritus s. suaveolentia Filii. Sed illa omnia dicitur Filius, utpote qui a Patre exsistat. Igitur et Spiritus s. eadem dicitur Filii esse tamquam a Filio exsistens."

Ita ex. gr. Basilius l. 5 c. Eunomium (Mig. 29, 731): »At dicis: Si Dei quidem imago est Filius, et imago Filii Spiritus; item si Filius est Verbum (λόγος) Dei, et Spiritus Verbum (ῥῆμα) Filii, cur Spiritus dictus non est Filii filius? Nam et hoc argumento firmissimo usus es ad impietatem.« — »Qualem scimus, inquit s. Athanasius ep. 3 ad Serap. n. 1, proprietatem ἰδιότητα esse Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum sanctum comperiemus. Et quemadmodum Filius dicit: *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt* (Joan. 16, 16), ita haec omnia per Filium in Spiritu esse deprehendemus.« Quod plenius declaraverat jam ep. 1. n. 20: »Filium quidem mitti a Patre verissimum est, ut ipse his verbis testatur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum mitteret* Joan. 3, 16. Sic etiam Filius Spiritum mittit (Joan. 16, 7) . . . Filius similiter Patrem honorat, ut ipse ait (ib. 17, 4): *Ego te clarificavi.* Spiritus item Filium honorat, ut idem Filius dixit: *Ille me clarificabit* (ib. 16, 14). Filius praeterea dicit: *Quae audivi a Patre, haec loquor in mundo* (ib. 8, 26). Spiritus autem ex Filio accipit: *De meo*, inquit, *accipiet et annunciabit vobis* (ib. 16, 14). Rursus Filius in nomine Patris venit: ita et Spiritus s., inquit Filius, *quem mittet Pater in nomine meo* (ib. 14, 26).« Unde infert n. 21: »Cum igitur *eundem ordinem* eandemque naturam habeat Spiritus erga Filium, *qualem* Filius erga Patrem, qua, quaeso, ratione is, qui Spiritum s. rem creatam esse contendit, non idem necessario de Filio sentiet? nam si Filii Spiritus res creata est, consequens est, ut et Verbum Patris rem creatam esse fateatur.« Et ep. 3 n. 1: »Sane ergo si Filius ob suam proprietatem ad Patrem, et quia ejus substantiae est proprium genimen, non est creatura, sed Patri consubstantialis: sic nec Spiritus s. creatura fuerit . . . ob suam proprietatem ad Filium, et quia ex ipso datur omnibus, et quae habet, Filii sunt.« Quae illatio evidenter ostendit, Athanasium credidisse, Spiritum s. a Filio ita procedere, ut Filius a Patre gignitur.

4. Imo quemadmodum Patrem vocant πηγήν (principium) Filii, ita vel aequivalenter vel diserte Filium vocant πηγήν Spiritus sancti. Ita Athanasius de incarn. n. 9: „Idcirco David psallens canebat (Ps. 35, 10): *Quoniam apud te fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Noverat enim apud Patrem esse Filium, fontem Spiritus sancti;" et or. 3 adv. arian. n. 24: „Ipse (Filius) dat Spiritui, ut dictum est, et quaecunque habet Spiritus, a Verbo habet."

5. Succedunt testimonia [1]) diserta. Ita ex. gr. Gregorius Thaumaturgus in expos. fid. secundum versionem sec. 4 apud Rufinum H. E. VII, 25:

---

[1]) Haec passim collecta reperiuntur ut apud Petavium VII, 3 ss., recentiori aetate apud van der Moerens in dissert. theol. de processione Spir. s. Lovanii 1864; Franzelin thes. 35 et in examine doctrinae Macarii Bulgakow. Testimonia ex ipsorum graecorum libris liturgicis deprompta exhibent monachi balázsfalvenses

„Unus Spiritus s., inquit, ex Deo subsistentiam habens, et qui per Filium apparuit, imago Filii perfecti perfecta . . . Trinitas perfecta . . . Neque itaque defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus s., sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper."

Epiphanius haer. 62 n. 4: »Non alienus est a Patre et Filio Spiritus sanctus, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio cum Patre et Filio subsistens semper Spiritus sanctus;« et saepe alibi. — Gregorius nyss. hom. 3 in or. dominic.: »Unigenitus Filius ex Patre a s. Scriptura dicitur, et in hoc sacra doctrina sistit ejus proprietatem; Spiritus s. vero et ex Patre dicitur et ex Filio esse simul testimonio confirmatur. Etenim *si quis,* inquit (apostolus Rom. 8, 9), *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* [1]).« — Cyrillus alex. thes. ass. 34 (p. 345): »Cum igitur Spiritus s. in nobis inhabitans conformes nos Deo reddat, procedat vero is ex Patre et Filio, manifestum est, divinae essentiae eum esse essentialiter in ipsa et ex ipsa procedentem, sicut halitus ex humano ore pro diens, etsi humile et non dignum tanta re sit hoc exemplum: Deus enim omnia excedit.«

Quapropter Hormisdas ep. 79 ad Justinum imp. a. 521 scribere potuit nemine ex graecis reclamante: „Notum est, quia proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis; proprium Spiritus sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis." Consentiunt et aliae ecclesiae orientales, ut ex. gr. synodus seleuciensis in Mesopotamia 40 episcoporum a. 410 can. 2: „Confitemur in Spiritum vivum et sanctum Paracletum, vivum de Patre et Filio [2])." Secundum canones s. Hippolyti arabice vulgatos interrogat sacerdos, dum baptismum administrat: „Credisne in Spiritum sanctum Paraclitum procedentem a Patre Filioque [3])?" In explicatione nestoriana symboli legimus [4]): „Spiritus s. procedit ex substantia Patris et Filii."

---

in flosculo veritatis, Romae 1862, quae cf. apud Nilles Kalendarii manualis utriusque Ecclesiae II, 406 ss.

[1]) Cf. de quorundam incisorum pro dogmate catholico, quae in editis deesse solent, genuinitate Mai in bibl. n. PP. IV, 40 ss., qui illam comprobat auctoritate 9 codd. vatic., quorum aliqui sunt vetustissimi.

[2]) Cf. Lamy Concilium Seleuciae et Ctesiphonte habitum a. 410, Lovanii 1869; de quo tamen nonnihil dubitat Hefele Conciliengesch. II, 10 ed. 2.

[3]) Haneberg. Canones s. Hippolyti, Monasterii 1870 pag. 40. 76.

[4]) Cf. Badger, the Nestorians, Londini 1852. II, 79. Cf. etiam liturgiam monophysiticam s. Jacobi (syriace), Xisti et Ibn Vahib; liturgiam syriacam s. Clementis apud Renaudot collect. liturg. orient.; acta martyrii s. Sarbeli edesseni (sub Trajano) apud Cureton Ancient syriac documents relative to the earlest establishment of Christianity in Edessa, Londini 1864 p. 43, ubi Spiritus vivificus dicitur diserte ‚qui a Filio'; the doctrine of Addai, the Apostle, edited by G. Pillips, Londini 1876, quae Doctrina Addaei, substantiam si spectes, recentior non est sec. III. et forte jam sec. I. In ea autem p. 19 docet Addaeus: »Hunc J. Christum praedicamus et annunciamus vobis et cum eo celebramus ejus Patrem et adorantes glorificamus Spiritum suae divinitatis; ipse enim nos jussit, ut fideles in nomine Patris et

172. Eadem veritas ex haereticorum objectis patrumque adversus eos disputandi ratione erui potest. Nam haeretici docebant, Spiritum s. esse creatum ejusque productionem soli Filio tribuendam, et sic adversus ejus processionem arguebant apud s. Athanasium ep. 1 ad Ser. n. 15: »Si Filii dicatur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus;« vel cum Eunomio inferebant, si Spiritus est ex Filio, filius esset Filii (n. 171 [3]). Atqui patres contra eos disserentes non negant Spiritum s. esse a Filio, nec unquam inculcant, eum a solo Patre procedere; quo responso omnis difficultas peremptorie soluta fuisset: verum alia ratione eam solvunt. Supponunt ergo Filium esse principium Spiritus s., sed non solum nec primum. Cf. de hoc argumento Bessarion in orat. habita in conc. flor. c. 6.

173. Suffragatur dogmati catholico etiam gravissima ratio theologica, quam proponit s. Thomas in 1. d. 11 q. 1 a. 1: »Respondeo dicendum simpliciter, quod Spiritus s. procedit a Filio. Hoc enim remoto, inevitabiliter removetur distinctio Filii et Spiritus s. Dum enim divinae personae secundum nihil absolutum distinguantur, oportet, quod omnis ipsarum distinctio sit secundum relationes originis. Unde si Spiritus s. et Filius non distinguerentur per hoc, quod unus est ab alio, oporteret, quod uterque esset una persona. Nec hoc remoto posset dici, quod distinguerentur personaliter Filius et Spiritus s. per diversum modum procedendi a Patre, ut quod Filius procederet per modum naturae, et Spiritus s. per modum voluntatis. Ille enim modus diversus aut diceret diversitatem per oppositionem relationis, et sic rediret idem quod prius: aut diceret diversitatem in absolutis; et tunc vel realem diversitatem, et sic esset compositio in Deo, vel diversitatem rationum, et sic non posset esse inter Filium et Spiritum s. nisi diversitas rationis; et hoc non sufficit ad distinctionem personarum, ut supra dictum est. Et ideo cum Filius non sit a Spiritu s., relinquitur, quod Spiritus s. sit a Filio.« Cf. etiam c. gentes IV, 24; 1. p. q. 36 a. 2. 3; Franzelin th. 40; Scheeben § 114. praesertim n. 887—90, ubi sagaciter ostendit, quantopere graecorum errore ss. Trinitatis mysterium obfuscetur, imo et subvertatur.

174. **Thesis CXIII.** ***Frustra objiciuntur contra dogma de processione Spiritus sancti etiam a Filio sive 1. quod tum Joan. 15, 26, tum in symbolo constantinopolitano dicatur Spiritus s. a Patre procedere nulla facta Filii mentione; sive quod 2. aliqui patres negarint, Filium dici posse Spiritus sancti principium; sive 3. quod frequentius dixerint, Spiritum s. per Filium mitti, apparere etc., quam ex Filio esse et procedere.***

Demonstratio p. I. Provocant graeci ad Christi verba Joan. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veri-*

Filii et Spiritus s. baptizemus et a peccatis mundemus.« Cf. Bickell Zeitschr. für kathol. Theologie, Innsbruck 1877 p. 303; David archiep. syrus in Revue de l'Eglise grecque unie 1888 p. 177, ubi testimonia ecclesiae syriacae pro dogmate adducit. In palimpsesto divitis Augiae (Reichenau) sec. V., quo continentur missae liturgiae gallicanae reperitur praefatio, in qua legimus: »Spiritus sanctus ex Patre et Filio mystica processione subsistens.« Cf. Mone lateinische und griechische Messen, Frankfurt 1859 p. 19.

tatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et ad verba gemina symboli constantinopolitani (n. 164). Sed notetur

1. verba Christi et symboli esse affirmantia, non excludentia. »Non autem omnia, inquit Faustus de lib. arb. I, 6, quae tacentur, negantur;«

2. tum in divinis literis tum in symbolis saepe uni personae divinae adscribi, quae sine controversia communia sunt reliquis personis: ita ex. gr. omnipotentia et creatio tribui solent Patri;

3. vel ex his verbis demonstrari posse thesim cum Augustino tr. 99 in Jo. n. 8: »Si ergo et de Patre et de Filio procedit Spiritus s., cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde illud est, quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui me misit* (Joan. 7, 16). Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris: quanto magis illic intelligendus est de ipso procedere Spiritus s., ubi sic ait: *De Patre procedit,* ut non diceret: De me non procedit? A quo autem habet Filius, ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus s., ac per hoc Spiritus s., ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, (Filius) ab ipso habet Patre.« Cf. de Trinit. l. 15 n. 47; c. Maximin. II, 14 n. 1. Eadem ratione argumentatur conc. florentinum in decreto unionis [1]).

4. Verba symboli esse contra macedonianos, qui ultro concedentes Spiritum s. a Filio esse, sed creatione, ejus a Patre processionem negabant. Hinc concilium inculcare voluit, Spiritum s. ob suam a Patre processionem Filio esse aequalem (Jo. 8, 42) et ex aequo Patri consubstantialem. Hinc etiam Damasus in suis anathematismis parum ante hoc concilium editis, contra eosdem haereticos statuit (16): »Si quis non dixerit Spiritum ex Patre esse vere et proprie sicut Filius ex divina substantia et Deum verum A. S.; 18: Si quis dixerit Spiritum s. facturam aut per Filium factum, A. S.« Ceterum

5. teste Epiphanio Ancor. n. 121 haec ubique locorum viguit hujus articuli expositio: »Ita porro in ipsum (Spiritum s.) credimus, quod scil. est Spiritus sanctus, Spiritus Dei, Spiritus perfectus, Spiritus Paracletus, increatus, qui ex Patre procedit et accipit et esse creditur ex Filio.«

175. Secundum haec licebit explicare ea, quae ex Theodoro mopsuest. et Theodoreto schismatici adversus dogma catholicum objiciunt. Inculcare scil. hi scriptores volebant processionem Spiritus sancti a Patre per communicationem substantiae, qualis est processio Filii a Patre, quam negabant pneumatomachi; et negare productionem seu creationem ipsius per Filium, quam illi tuebantur: non vero processionem a Filio, quae velut consectarium consequitur processionem a Patre.

176. **Demonstratio p. II.** Concedimus, non deesse patres, qui Filio rationem principii quadamtenus abjudicent; plures tamen sunt, qui eam ipsi vindicant (n. 171). Unde patet nomen principii nunc pressius, nunc laxius accipi. Qui ergo vindicant Filio praerogativam principii, hujus nomine com-

---

[1]) Apud Denzinger Ench. n. 586. Cf. Anselmus l. c. c. 19 ss.; P. Damianus opusc. 1 et 38 c. 6 s. et 2, in quo scribit: »Cum Filius dicat: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. 10, 30), quomodo potest Spiritus s. ab eo, quod unum est, procedere et non procedere?« et egregia P. Chrysolani ep. med. or. de proc. s. Spiritus n. 6 s. (Mig. 162, 1021 ss.). Cf. Franzelin th. 38.

prehendunt etiam illud, quod est principium de principio; qui vero eam illi abjudicant, nomine principii intelligunt principium principale quod scil. non est ab alio, ἄναρχον, secundum illud Aristotelis ἀρχὴ ἀρχὴν ἔχουσα οὐκ ἔστι ἀρχή.

177. **Demonstratio p. III.** Concesso illo vario loquendi modo, quem in thesi indicavimus, de Spiritu s. relate ad Patrem et Filium, dicimus tamen **1.** illum non esse universalem et constantem, nam **2.** non desunt plures patres graeci, qui dicant, Spiritum s. a Filio vel ex Filio esse et procedere, ut patet ex testimoniis allatis; et etiam Spiritum s. a Patre effulgere, profundi, mitti etc. Neque **3.** eum obesse dogmati catholico, cum verba profundi, effulgere etc. in divinis aptum non fundent sensum, nisi idem significent ac procedere vel aeternam supponant processionem. Hinc etiam Filius dicitur *splendor gloriae* Patris Hebr. 1, 3. Quod autem **4.** frequentius dicant Spiritum s. esse *per* Filium quam *a* Filio, non exinde repeti debet, quod praepositio *per* abjudicet rationem principii Filio: imo eam includit, sicut cum Pater dicitur per Filium omnia creasse. Significat scil. **a.** sic Filium esse principium Spiritus sancti, ut ipse non sit principium ἄναρχον sine principio, sed principium de principio; **b.** Patrem et Filium non esse duo principia, quae seorsim ab invicem spirent; sed **c.** unum principium et una spiratione Spiritum s. spirare; **d.** processionem non esse parallelam generationi, sed in hac fundari, cum ea tendat et aspiret in spirationem: adeo ut κίνησις productionis divinarum personarum absolvatur in spiratione Spiritus s., unde hic significanter dicitur *Spiritus Veritatis, qui a Patre procedit.* Cf. Kleutgen q. 3 c. 3 a. 2; Scheeben § 118 praesertim n. 875 ss. De Damasceno, cujus auctoritate abutuntur schismatici, cf. quae annotavimus opusc. XLI pag. 25. 34. 49.

178. **Corollarium I.** Cum Spiritus s. ex Patre Filioque procedat processione substantiali, de eo repeti debent, quae de Filio statuimus n. 146. 163 scil. Spiritum s. a Patre Filioque distingui, eisque esse consubstantialem et aequalem, verumque Deum, sed non αὐτόθεον a se Deum.

179. **Corollarium II.** *De additamento ‚Filioque‘.* — Cum ergo additamentum *Filioque* in symbolo veritatem revelatam contineat, cumque Ecclesia jus habeat non quidem aliam fidem praedicandi, sed eandem aliter i. e. clariori et magis explicita ratione profitendi et enunciandi, praesertim urgente necessitate ad pleniorem fidei declarationem: injuria graeci schismatici Ecclesiam latinam incusant corruptionis symboli. Opponunt quidem graeci schismatici decretum synodi III. ephesinae et IV. chalcedonensis: „Definivit s. et universalis synodus, alteram fidem nulli licere proferre aut conscribere vel componere aut sentire aut alios docere. Eos autem, qui audent componere fidem alteram aut proferre aut docere, aut tradere alterum symbolum . . . hos si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clero; si vero monachi aut laici fuerint, anathematizari eos.“ Verum respondemus, hoc decreto prohiberi, ne altera, id est contraria fides, non vero ne clarior ejusdem fidei expositio proponatur; vel si etiam hoc prohibitum censeatur, prohibitum id esse personis privatis, non ipsi Ecclesiae, ut patet ex decreti oc-

casione, ex poenis adjectis, quae respiciunt singulares personas; ex rei natura, cum Ecclesia sibi adimere non possit jus ad veritatis revelatae tutelam plane necessarium; et ex factis, cum Ecclesia semper hoc jus exercuerit.

Ita hoc decretum jam explicat Cyrillus alex. in ep. ad Acacium melitinensem; Eulogius alex. apud Photium cod. 227, Ephraem antiochenus ib. cod. 228, aliique catholici apud Maximum op. II, 140 et Paulinus aquilejensis egregie apud Mansi coll. conc. XIII, 833 ss. Cf. Lequien dissert. 1 in op. Damasceni, qui erudite et historice prosequitur controversiam; Franzelin th. 41; Perrone cap. 5 prop. 2. — Non satis constat, quinam fuerit auctor additamenti *Filioque* in symbolo. Certum tamen videtur, usum canendi in missa symbolum cum particula »Filioque« primum invaluisse in ecclesia hispana, quo tempore gothi ejurata haeresi ariana catholicam fidem professi sunt a. 589 in synodo toletana III. Ex Hispania mos iste transiit in Galliam, deinde in Germaniam, demum in Italiam. Romani pontifices circa hunc usum passive se habuerunt usque ad Photii tempora, et nonnisi eo temporis intervallo, quod a Photio ad Mich. Caerularium effluxit, adjectam in romana ecclesia fuisse symbolo illam particulam verosimilius videtur, cum Benedictus VIII., adnitente Henrico imp., aegre tamen, indulserit, ut Romae in missa symbolum CP. cum illo additamento caneretur (a. 1014).

180. **Corollarium III.** *De personarum trinitate.* — Cum ex toto capite sequatur, Patrem esse Deum eumque genuisse Filium, qui Deus quoque sit; ex Patre vero et Filio procedere Spiritum s., qui pariter verus sit Deus, cumque revelatio christiana praeter Patrem, Filium et Spiritum s. aliam personam divinam non cognoscat, christiana pietas nullam aliam glorificet, quod tamen hujus majestas et cum aliis tribus personis aequalitas prorsus exigeret, si qua alia esset persona divina, et Ecclesia nunquam non abhorruerit a quaternitate: manifesto sequitur, dogma esse revelationis christianae tres tantum esse personas divinas et non plures: profitendam ergo esse in unitate naturae personarum trinitatem, quod tenendum est in primis contra Sabellium, Noëtum, patripassianos, Photinum, socinianos et generatim contra rationalistas. Haec personarum pluralitas si non diserte proposita, saltem adumbrata dici potest in veteri Testamento, si hoc in lumine novi consideretur. Insinuatur nimirum verbis Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* in theophaniis, in quibus Deus verus exhibetur missus a Deo vero; in vaticiniis messianis, in quibus Messias promissus praedicatur Deus; in descriptionibus *Sapientiae* Prov. 8, 22 ss.; Sap. 7, 25 ss.; Eccli. 24, 5. 14, quae sistitur ut Deus cum distinctione personali. Cf. Franzelin th. 6 ss.; Scheeben § 110.

181. Numerus vero personarum seu trinitas adumbratur secundum plures patres (opusc. XVI, 178 ss.) in visione Is. 6, 3, qui audivit cherubim clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum:* de qua scribit

Ambrosius de fide II, 12 n. 107: »Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio, cur nisi quia Pater et Filius et Spiritus s. sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum praeteriret; non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cum tertio dixisset: *sanctus, sanctus, sanctus,* addidit singulariter: *Dominus Deus Sabaoth.* Sanctus igitur Pater, sanctus Filius, sanctus et Dei Spiritus. Adoratur igitur Trinitas, non adorat; laudatur Trinitas, non laudat etc.« Cf. etiam Is. 48, 16; Kleutgen q. 3 c. 2.

Caput II.

De unitate in Trinitate.

182. **Thesis CXIV.** ***Quamvis Pater et Filius et Spiritus s. tres sint personae divinae distinctae et unaquaeque sit Deus, unus tamen est Deus, et unitate quidem non tantum morali, specifica vel in idea, sed physica, numerica, objectiva.***

Declaratio. Dogma catholicum bene expressum habetur in confessione fidei a Damaso Paulino antiocheno ep. missa (a. 378 vel 379), in symbolo athanasiano: „Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus s., et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus s., et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus: quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur;" in conc. lateranensi IV., quod c. 1 statuit: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus . . . Pater et Filius et Spiritus s., tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino;" distinctissime vero et plenissime in decreto conc. florentini pro jacobitis. Defendimus unitatem Dei maxime contra tritheitas, qui duce Jo. Philopono opinabantur pro numero personarum multiplicari etiam naturam divinam. Eundem in errorem seculo XII. lapsus est Joachimus abbas, secundum quem ea tantum est naturae divinae unitas, qualis humanae seu hominum, moralis scil. et specifica. Contra quos tuemur unitatem Dei non collectivam et moralem, quo sensu multi homines populus unus, plures amici anima una et cor unum sunt; nec specificam, qua natura humana est una, specie scil. non numero; nec idealem tantum, qua plura re distincta notione universali ut unum apprehenduntur: sed unitatem singularitatis, physicam, numericam, objectivam, qua Deus unus est a parte rei independenter a nostra consideratione. Quod etiam tenendum est contra recentiores quosdam Germaniae theologos, qui in meridiana fidei catholicae luce numericam naturae divinae unitatem in dubium vocarunt.

183. **Demonstratio. 1.** Perfectissimam Dei unitatem evidenter docent divinae literae et quidem multiplici modo, nam **a.** absolute affirmant, Deum esse unum: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est* Deut. 6, 4 coll. Marc. 12, 29; Rom. 3, 30 etc.; **b.** id inculcant formulis negantibus: *Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius* Deut. 4, 39 coll. 3. Reg. 8, 60; Is. 44, 6 s. etc.; **c.** formulis excludentibus: *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra* Ps. 82, 19 col. 4. Reg. 19, 15 ss.; **d.** id repetunt formulis excludentibus simul et negantibus Deut. 32, 39: *Videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me;* **e.** id significant adhibita figura interrogationis 2. Reg. 22, 32: *Quis est Deus praeter Dominum, aut quis fortis praeter Deum nostrum?* **f.** id demonstrant formulis comparativis, quibus ita unum esse Deum docent, ut nemo cum eo conferri possit Ex. 8, 10: *Non est sicut Dominus Deus noster;* **g.** id tandem docent, cum gloriam, opera proprietatesque divinas ita adscribunt Deo, ut fas esse negent, alteri cuipiam illa tribuere: *Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te et non est fortis sicut Deus noster* 1. Reg. 2, 2; Luc. 18, 19; 1. Tim. 6, 15. Accedit **h.** probatio ex forma baptismi Matth. 28, 19 n. 168. Hac methodo jam utitur Cerealis ep. in lib. adv. Maximinum arianum c. 2 ostendens Patrem, Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum [1]).

2. Eadem veritas probatur ex ipso dogmate catholico de generatione Filii et processione sancti Spiritus; revelatio enim docet, Patrem vere genuisse Filium, et Spiritum sanctum ab utroque procedere. Posita autem generatione Filii et processione sancti Spiritus, necessario consequitur, unam eandemque numero esse naturam divinam Patris et

---

[1]) Probari potest thesis etiam ex 1. Joan. 5, 7: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus s.: et hi tres unum sunt,* de quo textu pluribus difficultatibus criticis et exegeticis obnoxio (cf. t. I. n. 182[1]) erudite disputat em. card. Franzelin th. 4. 5. Ex ordine statuit **1.** Ecclesiae competere jus declarandi quodnam sit verbum Dei divinitus inspiratum; **2.** conc. tridentinum declarasse omnes libros s. Scripturae cum omnibus suis partibus, prouti in editione vulgata habentur, verbum Dei; **3.** nomine partium ex concilii scopo intelligendos esse textus dogmaticos; ideoque **4.** et hunc textum partis nomine esse intelligendum; eum **5.** reperiri in codd. antiquis versionis latinae, apud plures scriptores vetustos Hispaniae, Galliae, Italiae, jam apud Cyprianum et Tertullianum; **6** adversarios non posse demonstrare hujus textus interpolationem, cum contra ejus omissio in pluribus codd. et apud patres facile explicetur; **7.** sensum v. 5 et 6 esse, J. Christum significari verum hominem effusione aquae et sanguinis in cruce et testimonio Spiritus sancti (per apostolos), et demonstrari, quod sit veritas, verus homo verusque Deus; **8.** v. 7 et 8 proponi testimonium in coelo pro divinitate et testimonium in terra pro humanitate; et v. 7 significari duplex testimonium de veritate testanda: Jesus est Filius Dei, verbale, *testimonium dant,* et reale *unum sunt;* **9.** lectionem v. 8 probabiliorem esse *in unum sunt;* ideoque non esse inter v. 7 et 8 parallelismum verbalem, nedum realem.

Filii et Spiritus sancti, quod ita concilium lateranense IV. cap. 2. ‚Damnamus, probat: „Pater ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit . . . ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit et partem ipse sibi retinuerit: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius eandem habent substantiam." Quae de Spiritu sancto quoque repeti possunt.

3. Probatur illustri patrum suffragio. Verum cum hi ipsi tritheismi accusentur, data opera de eorum doctrina disseremus [1]).

184. **Thesis CXV.** ***Summa injuria patres tritheismi accusantur, cum potius eorum suffragio una singularisque Patris et Filii et Spiritus sancti natura et essentia comprobetur.***

Demonstratio. 1. Patres non solum uno ore, maxime cum primum symboli articulum explicant, unum et unicum esse Deum docent: verum etiam omnis generis argumentis dualismum et polytheismum refellunt probantque Deum esse unum ex unitate mundi, ex notione ultimi finis, entis summi, infiniti, simplicissimi, quod citra compositionem multiplicari

---

[1]) Cf. testimonium martyrum opusc. XIII, 10 ss.; Franzelin th. 3 de Deo trino; Kleutgen q. 2 c. 3, in primis Katschthaler Zwei Thesen für das allgemeine Concil p. 1, qui etiam in sua theol. dogmat. t. 1 pag. 136 s. in annot. diligenter omnes Ecclesiae definitiones de hoc argumento exhibet et expendit. Ad illustrandam confirmandamque doctrinam catholicam adducemus cap. 1 schematis constit. dogmaticae de doctrina cath. reformati et patribus conc. vaticani propositi (cf. coll. lacensis conc. VII, 553), quod ita habet: »Mysteriorum, quae fide illuminati profitemur, omnium supremum ipse Deus est, unus in essentia, trinus in personis, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Haec beata Trinitas secundum sinceram catholicae fidei veritatem unus est Deus, propterea quod essentia seu substantia tribus personis communis re et numero una est. Pater enim ab aeterno Filium generat, non aliam suae aequalem essentiam emanatione producendo, sed ipsam suam simplicissimam essentiam communicando: pariterque Spiritus s. non multiplicatione essentiae, sed ejusdem essentiae singularis communicatione a Patre et Filio tamquam ab uno principio una spiratione aeterna procedit. Haec igitur una numero essentia seu natura veraciter est Pater, Filius et Spiritus s. tres simul personae et singillatim quaelibet earundem: ita ut personae inter se realiter distinctae sint, natura autem seu essentia unum idemque sint.« Subjiciuntur deinde adversus güntherianorum errores canones: »1. Si quis dixerit, sicut tres personas, ita et tres essentias seu substantias in Deo esse, A. S. 2. Si quis dixerit, divinam substantiam non numero, sed specie seu qualitate trium personarum unam eandemque esse, A. S. 3. Si quis dixerit, Trinitatem unum Deum esse non propter unius substantiae singularitatem, sed propter Dei trium substantiarum aequalitatem et personarum ad se invicem relationem, A. S.«

nequit, omnipotentis, veritatis [1]) etc., quae evidenter supponunt et probant unitatem Dei non specificam, sed numericam. Quare

2. nullus erit patrum, qui non assentiat Basilio dicenti ep. 189 n. 2, „se anathematizare quemque, qui tres deos dicit, ac eum ne christianum quidem judicare;“ neque unquam apud eos occurrit formula tres dii; ideoque Vigilius tapsensis de Trin. l. 6: „Maledictus, inquit, qui propter tria nomina personarum tres deos aut tres substantias aut tres spiritus confitetur. Fiat, Fiat!“ Atqui admissa sola unitate specifica impune, imo verissime, liceret dicere tres deos, sicut multi dicuntur homines; nec citra contradictionem potuissent patres accusare arianos polytheismi, cujus ipsi fuissent rei. Quod si propter summam naturae aequalitatem dicendae essent tres personae unus Deus: quare non liceret etiam tres personas dicere unam personam?

3. Plane ad rem est Gregorii nysseni doctrina or. catech. c. 3: „Judaicum dogma (de una natura et una persona divina) cum Verbi professione tum fide, quae est in Spiritum s., evertitur, et gentilium in multos deos distracta superstitio per hoc exstinguitur, quod inane commentum multitudinis naturae singularitas excludit. Rursus igitur e judaica persuasione naturae unitas (ἑνότης) maneat, ex gentili autem errore sola discretio hypostaseon, et utrinque congruenti remedio impia curetur opinio. Est enim velut medicina quaedam iis, qui circa unum aberrant, Trinitatis numerus: iis vero, qui in multitudinem dispersi sunt, unitatis ratio [2]).“ Quibus vix opportunius quidquam ad rem nostram dici potuit.

4. Sicut patres arianos polytheismi accusabant, ita vicissim ariani catholicis sabellianismum objiciebant: cf. Hilarius de Trin. X, 5. Atqui talis accusatio omni caruisset fundamento, si patres tritheismo favissent: non vero si patres tres quidem admiserunt personas, sed unam tantum singularemque substantiam; hac enim admissa vix apparet, quomodo personae divinae realiter distingui possint.

5. Huc spectat controversia inter catholicos, num liceat dicere una οὐσία et tres ὑποστάσεις; quae formula inde nonnullis suspecta videbatur, quod hypostasis nomine intelligebant substantiam: de qua cf. Hieronymus ep. 15 n. 3. 4: Athanasius ep. syn. ad antioch. n. 5. 6. Idcirco etiam

6. passim inculcant, unitatem in Trinitate summum esse mysterium. „Nullo sermone, inquit Gregorius nyss. l. c., declarari potest ineffabilis profunditas mysterii, quomodo res eadem et numerabilis est et numerum fugit, et cernitur in distinctione et in monade intelligitur et distinguitur hypostasi et non dirimitur subjecto (τῷ ὑποκειμένῳ i. e. natura, quae subesse concipitur distinctis hypostasibus). Porro alius est ille, cujus est Verbum et Spiritus;

---

[1]) Cf. Passaglia comment. theol. II. § 5 ss.; Petavius I, 3 ss.; II, 8; Scheeben § 82. Speciminis gratia lege Damascenum F. O. I, 5.

[2]) Cf. quoque Gregorius naz. or. 20 n. 5. 6; or. 21 n. 13; or. 25 n. 16; or. 38 n. 8 et or. 45 n. 4; Fulgentius ep. 8 cc. 11. 12 opusc. XLV.

sed ubi in his conceperis distinctionem, vicissim naturae unitas partitionem non admittit.« Atqui nullum est mysterium plurium unitas moralis vel specifica et secundum considerationem.

7. Patres passim rationem reddunt, quare, etsi tres sunt personae, unus tamen sit Deus. Atqui hanc non repetunt ex unitate speciei, sed quod Pater Filio et cum Filio Spiritui s. sine divisione, partitione etc. communicaverit totam substantiam. Evidenter igitur unam in tribus personis admittunt substantiam. Hinc docent etiam, perire, si duo ingeniti essent, dogma monarchiae i. e. unitatis Dei; atque inferunt, personas ab invicem distingui, sed nullatenus separari, cum glutine ejusdem substantiae cohaereant. »Neque tres hypostases, inquit Athanasius in expos. fidei n. 2, per seipsas divisas (μεμερισμένας καθ' ἑαυτάς), ut in hominibus pro natura corporum accidit, fas est in Deo cogitare, ne ut gentes deorum multitudinem inducamus: sed sicut fluvius, qui ex fonte genitus ab eodem non separatur, quamvis duae sint illorum figurae duove nomina (δύο σχήματα καὶ δύο ὀνόματα). — Ita etiam Cyrillus alex. dial. 6 de Trinit.: »Non enim secernitur Pater a Filio, sicut angelus ab angelo, neque sicut nobiscum aliquis ab aliquo totus a toto distinctus est... alioquin duo essent dii, cum tamen una et sola intelligatur deitas;« episcopi africani in lib. fidei Hunerico regi oblato n. 6 s. (opusc. XXII, 175 ss.); Tertullianus adv. Praxeam c. 2; sed praeclarissime Dionysius rom. († 269), cujus doctrinae aureum fragmentum nobis asservavit s. Athanasius de decr. nic. syn. n. 26, in quo inter alia statuit: »Porro aequum fuerit etiam adversus illos dicere, qui augustissimam Ecclesiae Dei praedicationem, monarchiam, inquam, dividunt et discindunt et distribuunt in tres aliquas virtutes et divisas hypostases et tres entitates . . . qui e diametro, ut ita loquar, opponuntur Sabellii sententiae. Illius enim impietas in eo consistit, quod Filium dicat esse Patrem et vicissim; hi vero tres deos aliquo modo praedicant, cum in tres hypostases invicem alienas omnino separatas dividunt sanctam unitatem. Necesse est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum et Spiritum s. in Deo manere et vivere et denique omnino necessarium est divinam Trinitatem in unum quasi quendam verticem, Deum universorum omnipotentem dico, reduci et colligi. Nam insani Marcionis doctrina, quae monarchiam in tria principia secat et dividit, diabolica est . . . Hi (Christi discipuli) bene sciunt, Trinitatem quidem in divina Scriptura praedicari, tres vero deos neque in V., neque in N. T. doceri.«

8. Inferunt tres personas non tantum consideratione, sed *re* esse unum Deum. „Nobis unus Deus est, inquit Gregorius naz. or. 31 n. 14 ss.: quoniam una Deitas . . . Quid autem, dixerint fortasse, nonne apud ethnicos quoque deitas una est, ut docent, qui plenius apud illos perfectiusque philosophantur, et apud nos genus universum nonne humanitas una, nihilominus tamen multi sunt dii et non unus, sicut etiam (multi) homines? At in his communitas habet unitatem solum ratione consideratam, singularia autem plurimum inter se divisa sunt... Nostrum (dogma) non ita habet, nec pars haec Jacob (Jer. 10, 16), ait meus theologus; sed unumquodque eorum (unaquaeque persona divina) *cum altero non minus unitatem habet quam secum ipso identitate essentiae et potentiae* (τῷ ταυτῷ

τῆς οὐσίας καὶ τῆς δυνάμεως)." Cf. infra n. 190 a. et Jo. Damascenus n. 193; Fulgentius ep. 14 n. 6 opusc. XLVI.

9. Illustrant ss. Trinitatis unitatem comparatione cum mysterio incarnationis; sicut enim in hoc est aliud et aliud, non alius et alius: ita vicissim in ss. Trinitate est alius et alius, non aliud et aliud. Atqui illa loquendi ratione inculcant singularitatem personae in Christo. Ergo et hac exprimunt singularitatem naturae in Deo. De hac comparatione cf. egregie disserentem Vincentium lirin. commonit. c. 13 (opusc. IX, 180) et Damascenum de F. O. III, 5.

10. Denique multiplici similitudine conantur patres illustrare unitatem numericam in Trinitate, inter quos eminet Augustinus, qui passim in suis operibus, praesertim l. IX. de Trin., provocat ad Trinitatis vestigium, quod reperitur in anima humana. „Est quaedam imago Trinitatis, ita ille n. 18, ipsa mens et notitia ejus, quod est proles ejus ac de se ipsa verbum ejus, et amor tertius, et haec tria unum atque una substantia; nec minor proles, dum tantum se novit mens, quanta est: nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum novit et quanta est." Cf. Anselmus monol 67 ss.; de fide Trin. c. 8; opusc. VI, 141 a.

185. **Thesis CXVI.** ***Ex asserta unitate naturae divinae sponte sua consequitur 1. tres divinas personas esse consubstantiales; 2. esse coaequales, 3. sibique mutuo inexsistere seu perichoresis (circumincessionis) nexu vinciri.***

Declaratio p. I. Non inutile erit accuratius de *consubstantialitate* divinarum personarum disserere, cum patres sec. IV. pro defensione hujus dogmatis ac vocis τοῦ ὁμοουσίου ad profusionem usque sanguinis certaverint: ariani vero totum commoverint orbem, ut vel hanc vocem e symbolo eliminarent. Quare notetur **1.** usum hujus vocis relate ad personas divinas antiquiorem esse concilio nicaeno, ut constat ex. gr. ex Dionysio alex. ep. ad Dionysium rom. (c. a. 260), in qua de quibusdam literis disserens subdit: »In quibus mendacii convici etiam illud, quod adversum me proferunt, me scil. non asserere, Christum ὁμοούσιον esse Deo. Etiamsi enim dicant, hanc vocem meis in scripturis se non invenisse, nihilominus argumentationes meae, quas reticuerunt, ab hoc sensu minime sunt alienae.«

2. Suspecta igitur videri debet damnatio synodi antiochenae a. 269, quae hanc vocem reprobasse fertur. Quam si reprobavit, certo nonnisi in sensu Pauli samosateni et sabellianorum rejecit. »Dixerunt enim (Pauli asseclae), scribit Basilius ep. 52 n. 1, consubstantialis voce exhiberi notionem substantiae et eorum, quae ex substantia, adeo ut divisa substantia appellationem consubstantialis conciliet iis, in quae divisa est [1]).«

---

[1]) Cf. Hilarius de Trin. IV, 4; de synodis n. 68. 81. Juxta Epiphanium Paulus samos. voce hac usus videtur eo sensu, quo excluditur dualitas hypostaseon. Cf. Petavius IV, 5 cum an. Zaccaria; Hefele Conciliengesch. I, 140 ed. 2, cui videtur genuina damnatio vocis conc. antiocheno tributa.

3. Non ea est hujus vocis insita vis, ut significet unam numero singularemque esse eorum naturam, quae ὁμοούσια dicuntur; potest enim significare horum in natura unitatem tantum specificam; quocirca Christus a concilio chalcedonensi dicitur etiam nobis consubstantialis. Tamen

4. ad Deum translata propter conditionem subjecti unitatem significat singularitatis simulque omnem imperfectionem excludit creaturarum propriam, quae consubstantiales dicuntur.

5. Cum autem hac voce aptissime exprimatur dogma revelatum, immerito ariani eam recipere recusant, quod in s. Scripturis non legatur. Merito enim respondet Augustinus ep. 174: »Quid est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine?« et iterum ep. 88: »Et si verbum scriptum in lege ipsum non invenitur, res ipsa tamen invenitur.«

186. **Demonstratio p. I.** Tres personas divinas consubstantiales esse, ex omnibus hucusque dictis adeo est evidens, ut ulteriori demonstratione non indigeat. Textum illum tantum expendemus, quo ad consubstantialitatem Filii cum Patre comprobandam prae ceteris patres utuntur, quique legitur Joan. 10, 28 ss.: *Et ego vitam aeternam do eis* (ovibus meis): *et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est* [1]: *et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus:* quibus **1.** sat clare significatur eandem esse Patris et Filii virtutem, cum ex aequo dicatur, neminem posse oves rapere de manu Patris et de manu Filii. „Si autem eadem est virtus, infert Chrysostomus in Joan. hom. 61 n. 2, manifestum quod eadem et natura.“

2. Rationem redditurus identitatis potentiae subdit Christus: *Ego et Pater unum sumus.* Jam vero, subjicit Augustinus contra serm. ar. n. 7: „Quis ferat, si quantuscunque homo ac quaelibet adeo creatura dicat: Ego et Deus unum sumus?“ — „Si minor Filius esset, inquit Chrysostomus ibidem, temerarium esset dictum.“

3. Confirmatur illatio interpretatione judaeorum v. 31 ss., qui arreptis lapidibus voluerunt lapidare Christum propter blasphemiam, quod se faceret Deum, v. 33: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Unde Augustinus in Jo. tr. 48 n. 8: „Ecce judaei intellexerunt, quod non intelligunt ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici: *Ego et Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.“

---

[1]) Ita a Tertulliano usque semper lectum est in Occidente. Lectio vero graeca communis est ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέν μοι scil. has oves, πάντων μείζων ἐστίν i. e. est omnium maximus. In verbis Vulgatae: *Pater meus quod dedit mihi* syntaxis inversa est atque legendum: Quod Pater meus mihi dedit, scil. natura divina, majus omnibus est.

4. Christus judaeorum interpretationem non corrigit, ut debuit, si fuisset falsa: verum eos in eadem confirmat, dum constanter Deum *Patrem* suum appellat, se ejus *Filium* dicit, se *Patris opera* facere ac se *in Patre esse, ut Pater in ipso est*, testatur. *Si non facio,* inquit v. 37, *opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.*

5. Confirmatur haec explicatio suffragio patrum, inter quos praecellunt Hilarius de Trin. VII, 22 ss.; VIII, 5, Chrysostomus l. c. et Augustinus, qui scribit tr. 36 in Jo. n. 9: »Utrumque audi et *unum* et *sumus* et a Charybdi et a Scylla liberaberis. In duobus istis verbis quod dixit *unum,* liberat te ab Ario: quod dixit *sumus,* liberat te a Sabellio. Si *unum,* non ergo diversum; si *sumus,* ergo et Pater et Filius. *Sumus* enim non diceret de uno, sed et *unum* non diceret de diverso.« — Quod si qui patres contra sabellianos disputantes verba *Ego et Pater unum sumus* intellexisse videntur de unitate morali consensionis, voluntatis, prae oculis habeatur Hilarii doctrina VIII, 19: »Non negamus unanimitatem inter Patrem et Filium; nam hoc solent haeretici mentiri, ut cum solam concordiam ad unitatem (scil. hanc explicandam) non recipimus, discordes eos a nobis affirmari loquantur. Sed audiant, quam a nobis unanimes non negentur. Unum sunt Pater et Filius natura, honore, virtute: nec natura eadem potest velle diversa.«

187. **Demonstratio p. II.** *Tres personas divinas coaequales esse* profitemur in symbolo athanasiano: „Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.“ Quod sponte sua sequitur ex singularum divinitate, quae est infinitae perfectionis. Quare nequit una esse alia perfectior. Nominatim id de Filio docet Paulus Phil. 2, 6: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* et ex notione generationis infertur (cf. n. 146[3]). Imo secundum Augustinum de Trin. VII, 8, „tantus est vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus s., quantus est simul Pater, Filius et Spiritus s.“ Ideo Damasus inter anathematismos in synodo romana (a. 378 vel 379) editos decernit (21): „Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus s. aequales, semper viventes, omnia continentes, visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes, A. S.“

188. Nec obsunt proprietates personales, quibus personae realiter ab invicem distinguuntur, de quibus duplex est sententia. Alii enim negant, illas, quatenus ab essentia virtute distinguuntur, veram perfectionis rationem habere, cum tota perfectio, quae personis divinis inest, sit formaliter ab essentia, non vero a relationibus. Ita Bañez, Molina, Gonet, Petavius VI, 7; Becanus c. 2 q. 6, qui eam sententiam pluribus theologis tribuit, et s. Thomae de pot. q. 2 a. 5; q. 10 a. 1 ad 17, ubi statuit: »Auctoritas Patris non est aliud quam relatio principii. Secundum relationem autem non dicitur

aliquid aequale vel inaequale, sed secundum quantitatem, ut Augustinus dicit; et propter hoc Filius non est inaequalis Patri;« 1. p. q. 42 a. 4 ad 2: »Paternitas est dignitas Patris, sicut et essentia Patris. Nam dignitas est absoluta et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas, quae in Patre est paternitas, in Filio est Filiatio. Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec sequitur: paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid* in *ad aliquid*. Eadem enim est essentia et dignitas Patris et Filii, sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis.« His accensendi sunt Kleutgen, qui l. 2 q. 5 c. 2 a. 1 statuit de aequalitate personarum esse judicandum ex iis, quae absolute personis conveniant, non ex iis, quae relative. Relationibus enim personae distinguuntur: distinctio autem non facit res inaequales, sed plures. Quare personales proprietates non tam sunt plures perfectiones, quam plures rationes, quibus una perfectio, quae est ipsa divina essentia, manifestatur; Billot comment. in 1. p. s. Thomae q. 28: »Relatio realis, qua parte dicit *in*, ponit perfectionem (propter identitatem cum divina essentia); qua vero parte dicit *ad* praecisive, nihil perfectionis superaddit, sed solum oppositionem ponit ad correlativum. Non tamen inde recte concluderes, relationes divinas reduplicative ut relationes non pertinere ad necessariam perfectionem Dei. Duobus enim modis potest aliquid pertinere ad perfectionem entis: vel ut complens quasi constitutive perfectionem ipsam, vel solum ut consecutive se habens ad plenitudinem perfectionis. Et hoc ultimo modo se habent relationes in divina natura, cujus infinita perfectio propter rationem nobis ignotam exigit distinctionem et oppositionem trium relativorum in ipsa subsistentium: quam distinctionem seu oppositionem ponunt relationes ex eo, quod est proprium sibi.«

Alii vero censent, proprietatibus personalibus perfectionis rationem competere, sed cum ejusdem sint conditionis et dignitatis, non inaequales reddere personas. Quod profecto ita erit explicandum, ut cum em. card. Franzelin th. 15 statuatur, singulas personas perfectionem relativam, qua constituuntur, habere formaliter; perfectiones vero relativas aliarum personarum non habere formaliter h. e. ut constituentes, sed per immanentiam seu correlative ut immanentes et pertinentes ad perfectionem uniuscujusque personae; hinc unamquamque personam non solum esse totam perfectionem absolutam eandem, quae sunt tres personae simul, quia essentia divina una est: sed etiam in plenitudine suae perfectionis relativae habere perfectiones relativas aliarum personarum modo singulis personis convenienti. Ad rem s. Thomas c. errores graec. I, 7: »Non posset esse Pater perfectus, nisi Filium haberet, quia nec Pater sine Filio esset; nec esset Deus perfectus, nisi haberet Verbum et nisi haberet spiramen vitae (Spiritum s.)... In quo apparet, quod non esset Pater Deus perfectus, nisi Filium et Spiritum s. haberet.«

189. **Scholion.** Sicut personae divinae dici possunt aequales ita etiam certo quodam sensu licet eas dicere similes. Verum similitudo, quae subinde a patribus de divinis personis, non de earum natura, quae est una, praedicatur, coincidit cum aequalitate; et utraque, similitudo scil. et aequalitas personarum divinarum nil aliud tandem est, quam personarum identitas secundum essentiam. Nam sicut per unam eandemque, quam possident, naturam

divinam sunt personae divinae, ita per eam similiter seu aequaliter est unaquaeque Deus.

190. **Demonstratio p. III.** Perichoresis, quae latine *circuminsessio* vel magis ad verbum *circumincessio* dicitur, unius in alterum immeatione, illapsu, penetratione continetur. Habitu perichoresis personas divinas connecti sibique mutuo inexsistere, **1.** testatur Christus Jo. 14, 10 s.: *Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?... Pater autem in me manens ipse facit opera;* 10, 38 (n. 186[4]); 17, 21. Patres vero **2.** saepe ex unitate substantiae perichoresin et ex hac illam inferunt. Omnium nomine audiatur Damascenus F. O. I, 8 n. 40: »Uniuntur non ita, ut confundantur, sed ut invicem haereant ac mutuam in se commeationem habeant sine ulla confusione et commixtione. Neque porro extra se consistunt aut secundum substantiam secantur, cujusmodi divisionem Arius instituit, indivisa quippe in divisis, ut uno verbo dicam, est divinitas.« Et revera **3.** si eadem natura divina est in Patre et in Filio, necesse est, ut Pater ratione naturae divinae, a qua non distinguitur, sit etiam in Filio et vicissim. Hinc in decreto pro jacobitis statuitur: »Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu s.: Filius totus est in Patre, totus in Spiritu s.; Spiritus s. totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine aut superat potestate.« Bene autem notat s. Thomas in 1. p. q. 42 a. 5: »Dicendum, quod in Patre et Filio tria est considerare, scil. essentiam et relationem et originem et secundum quodlibet istorum Filius est in Patre et e converso.« Quod ex parte ita explicat Dionysius alex. apud Damascenum Eclog. 1: »Nominum illorum quodlibet inseparabile est, nec a proximo dividi potest. Patrem dixi, et priusquam Filium subjiciam, hunc in Patre significavi; Filium subjeci, et etiamsi Patrem non ante nominassem, prorsus tamen in Filio jam praeconceptus fuisset; Spiritum s. adjeci, simul vero (ipso nomine Spirati) inclusi et a quo et per quem processerit.« — Fulgentius ad Monimum III, 7: »Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium . . . Sicut de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente non est ejus aliquid, ubi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa de qua est: et cum apud illam est, in illa est [1]).«

191. **Thesis CXVII.** ***Ex unitate naturae divinae sequitur etiam unam eandemque esse Patris et Filii et Spiritus sancti operationem.***

---

[1]) Audiatur et Gregorius naz., qui or. 40 n. 41 totius vitae sociam nobis et patronam adprecatur unam deitatem, »trium infinitorum infinitam conjunctionem, Deum unumquemque, si separatim consideretur, ut Patrem sic Filium, ut Filium sic et Spiritum s., servata sua cuique proprietate: Deum rursus haec tria, si simul cogitentur; illud propter eandem essentiam, hoc propter unum principatum (διὰ τὴν μοναρχίαν). Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeor. Vix tria distinguere incipio, cum ad unum reducor. Si unum quodpiam trium appareat, id totum mihi esse videtur, atque implentur oculi, majorque etiam pars oculorum aciem fugit. Hujus magnitudinem comprehendere nequeo ut ei, quod reliquum est, plus tribuam. Quod si rursus haec tria animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam. Cf. Anselmus Monologii c. 57 opusc. XXVIII; Petavius l. 4 c. 16; Kleutgen c. 5 a. 2.

Demonstratio. Unicam esse Patris et Filii et Spiritus sancti operationem personasque divinas non seorsim ab invicem, sed communi operatione agere, tenendum est contra güntherianos, et sequitur

1. ex unitate naturae: nam inter naturam, quae consideratur ut principium et physica operationum origo, et operationem, quae est naturae motio et explicatio, intimus est nexus, adeo ut ex diversitate operationis liceat inferre et diversitatem naturae, et ex identitate operationis identitatem naturae; quod non solum inductione constat, sed etiam ex disputatione patrum contra arianos et monotheletas. Licebit ergo etiam ex unitate naturae divinae operationis unitatem inferre.

2. Illationem confirmant patres suo suffragio: ita Cyrillus alex. adv. Nestor. IV, 2: »Eadem operatur s. Trinitas, et quaecunque jusserit ac voluerit Pater efficere, eadem et Filius eodem modo facit, similiterque et Spiritus s. Singulis vero hypostasibus tribuere seorsim operationes cuique proprias, nihil est aliud quam tres seorsim et prorsus inter se disjunctos deos pronunciare. Nam in s. Trinitate illa naturalis unitatis ratio unam prorsus in omnibus operibus motionem ostendit.« Cf. Petavius IV, 15.

3. Nominatim operationis unitatem praeclare illa solemni formula significant, qua praeeunte Scriptura dicunt, *Patrem per Filium in Spiritu sancto omnia operari:* docemur enim hac formula **a.** personarum Trinitatem: **b.** personarum ad invicem ordinem et relationem: **c.** operationis unitatem, quae una cum natura a Patre in Filium et ab utroque in Spiritum s. derivatur.

Ita Athanasius ep. 1 ad Serap. n. 28: »Similis est ipsa sibi et individua natura unaque in ejus operatio. Nam Pater per Verbum in Spiritu sancto omnia facit, atque ita sanctae Trinitatis servatur unitas. Ita unus Deus in Ecclesia praedicatur, qui est super omnia et per omnia et in omnibus.« Quod ita illustrat or. 2 c. arianos n. 31: »Ut lux omnia splendore illuminat, nihilque sine splendore potest illuminari: ita et Pater veluti per manum omnia in Verbo efficit nihilque sine illo facit.« — Gregorius nyss. ep. ad Ablavium (Mig. 45, 126): »Omnis actio ad creaturam a Deo perveniens, quae secundum varias notiones atque considerationes nomen accipit, a Patre proficiscitur et per Filium progreditur et in s. Spiritu perficitur. Idcirco in multitudinem operantium nomen efficaciae non scinditur, quoniam non separatum cujusque atque peculiare circa aliquam rem studium est: sed quidquid fit, quod vel ad nostri providentiam vel ad summae rerum administrationem et constitutionem pertineat, per tres quidem fit, non tamen tria sunt quae fiunt.« Hinc etiam Filius passim brachium vel manus dicitur Patris, Spiritus s. autem digitus Filii.

4. Quare docent patres, opera ss. Trinitatis esse communia, „non quod invalidus sit, ut scribit Augustinus contra serm. arian. c. 15, unusquisque eorum sine aliis, quod operatur implere; sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum aequalis est, verum etiam indis-

creta natura, ita ut cum tres sint ac eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen dii non sint."

Quod similitudine egregie illustrat de Trin. IV n. 30: »Quemadmodum cum memoriam meam et intellectum et voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt; nullum enim eorum trium nominum est, quod non et memoria et intellectus et voluntas mea simul operata sint: ita Trinitas simul operata est et vocem Patris et carnem Filii et columbam Spiritus sancti (Matth. 3, 16 s.), cum ad personas singulas singula haec referantur. Qua similitudine utcunque cognoscitur inseparabilem in se ipsa Trinitatem per visibilis creaturae speciem separabiliter demonstrari, et inseparabilem Trinitatis operationem etiam in singulis esse rebus, quae vel ad Patrem, vel ad Filium, vel ad Spiritum sanctum demonstrandum proprie pertinere dicuntur.« Cf. ep. 11 n. 3; 169 n. 5 s.

5. Eandem veritatem Scripturae quoque docent, cum eadem opera nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui s. adscribunt, ut inductione ostendit auctor Breviarii fidei adv. arianos. Nominatim unitatem operationis saltem Patris et Filii docent, nam extensive, collective et distributive eundem terminum operationi Filii adscribunt, quem alias adscribunt Patri; et extensive quidem Hebr. 1, 10: *Tu in principio, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli;* Joan. 5, 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor;* collective Joan. 1, 3: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est;* distributive Joan. 5, 19: *Quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Cf. n. 153.

Hinc ad rem Augustinus de Trin. I n. 12: »Si enim alia, inquit, per Patrem, alia per Filium, jam non omnia per Patrem, nec omnia per Filium. Si autem omnia per Patrem et omnia per Filium, eadem per Patrem, quae per Filium. Aequalis est ergo Patri Filius et inseparabilis est operatio Patris et Filii;« una et numero; si enim alia numero esset operatio Patris, alia Filii, alius utrique operationi responderet terminus, atque idcirco non omnia et eadem per Filium, quae per Patrem [1]).

192. **Scholion I.** Provocant tritheitae et etiam ariani vetustiores et recentiores pro suo errore ad Joan. 17, 22: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint;* Act. 4, 32; *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una;* 1. Cor. 3, 8: *Qui autem plantat et qui*

---

[1]) In schemate cit. constit. dogmaticae de doctrina cath. c. 1 statuitur: »Et quoniam in Deo omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio, una est voluntas et operatio, qua Trinitas sacrosancta cuncta extra se condidit, disponit et gubernat. Neque enim personae divinae extra se secundum originis relationes, quibus distinguuntur, sed secundum quod sunt unum et singulare principium, operantur.« Et can. 4 de ss. Trinit.: »Si quis creationem aut quamvis aliam operationem ad extra uni personae divinae ita propriam esse dixerit, ut non sit omnibus communis, una et indivisa, A. S.« Cf. Kleutgen adv. Günther, qui hunc errorem docuit, q. 5 c. 2 a. 3; Theol. der Vorzeit t. 1 d. 3 c. 3 § 5.

rigat, unum sunt; 1. Joan. 5, 8: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus et aqua et sanguis et hi tres unum sunt* etc. Ut difficultas inde petita solvatur, notetur:

1. praedicatorum significandi potestatem multipliciter pendere a subjecta materia; ideoque unitatem, quae tam de divinis personis, quam de fidelibus affirmatur, aliter esse accipiendam pro diversitate subjecti. Atqui fidelibus convenit tantum moralis unitas, ontologica vero divinis personis.

2. Non obesse particulam *sicut:* notum enim est, eam posse adhiberi tam de iis, quae sunt omnino eadem seu aequalia, quam de similibus tantum; ideoque cum homines Deo comparantur, de similitudine analogica intelligi debere. Cf. Jo. 6, 58; Luc. 6, 36. Ad rem concilium lateranense IV. cap. 2 ,Damnamus:' »Cum vero Veritas (i. e. Christus) pro fidelibus suis orat ad Patrem: *Volo,* inquiens, *ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus:* hoc nomen *unum* pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia, pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura. Quemadmodum alibi Veritas ait: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (Matth. 5, 48), ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae, utraque videlicet suo modo: quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.«

3. Imo eo ipso, quod unitas divinarum personarum exemplaris instar esse debet, quod aspirare debet unitas fidelium, consequi, illam esse omnium perfectissimam i. e. unitatem naturae.

4. Etiamsi concedatur objectis in testimoniis sermonem esse de unitate quadam voluntatis divinarum personarum ad invicem, nondum tamen consequi, nullam inter eas vigere unitatem ontologicam vel illam non ex ontologica oriri; sicut etiam fidelium concordia innititur unitate Spiritus sancti, qui omnes inhabitat et animat, et identitate corporis Christi, quo omnes per eucharistiam fruuntur. Hinc s. Bernardus de diligendo Deo c. 12 n. 35: »Quid vero in summa et beata illa Trinitate summam et ineffabilem illam conservat unitatem, nisi caritas? Lex est ergo et lex Domini caritas, quae Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, et colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me aestimet caritatem hic accipere qualitatem vel aliquod accidens (alioquin in Deo dicerem, quod absit, esse aliquid, quod Deus non est), sed substantiam illam divinam: quod utique nec novum, nec insolitum est, dicente Joanne: *Deus caritas est* (1. ep. 4, 8).« Cf. verba Hilarii n. 186[5]; Thomas lect. 3. in Joan. c. 17.

Fatendum est, patres nonnullos unitatem personarum contulisse cum unitate trium hominum; inde tamen inferre non licet, eos favisse tritheismo; nam semper prae oculis habendum est, omnem similitudinem claudicare, ideoque non nimis esse urgendam; praesertim si longe frequentius aliis utuntur similitudinibus, quae naturae divinae unitatem numericam manifesto significant. Cf. opusc. VI, 141 ss. Hac similitudine utuntur vel **a.** ut inculcent divinarum personarum in eadem natura aequalitatem contra arianos, qui naturarum fingebant gradus; vel **b.** ut illustrent quadamtenus discrimen hypostasim inter et naturam, seposita interim accuratiori inquisitione de communitate propria naturae sive humanae sive divinae; vel **c.** ut significent, ita unam re esse naturam divinam, prout mente concipimus unam

naturam plurium hominum. »In omnibus creaturis, inquit ad rem Damascenus F. O. I, 8, discretio quidem personarum quoad rem consideratur. Re quippe ipsa Petrum a Paulo separatum consideramus; communitas autem et conjunctio atque unitas ratione atque cogitatione percipitur . . . In sacrosancta vero et substantiam omnem exsuperante atque ultra res omnes evecta et incomprehensibili Trinitate contrario modo se res habet. Illic enim communitas quidem et unitas reipsa consideratur... Quod autem in ea discretum est, cogitatione percipitur.« — Quod Gregorium nyss. attinet, qui hanc comparationem maxime urget, certum est aliunde, eum naturae divinae singularitatem nullatenus negasse (cf. n. 184[3]); cum vero nimis inhaereret philosophiae platonicae principiis, eam in opinionem videtur delapsus per excessum, ut plurium etiam hominum naturam re et numero esse unam putaret.

193. **Scholion II.** *Exceptionibus satisfit.* — Contra unitatem operationis **1.** excipitur, saepe uni personae specialiter quaedam opera adscribi. Verum hoc non ad exclusionem ceterarum personarum fit, sed per appropriationem, de qua infra n. 228 agemus.

2. Opponi potest axioma philosophorum actiones esse suppositorum. Verum **a.** hoc axioma non opponitur doctrinae patrum, operationes esse et naturarum. Notari enim debet, hypostasis rationem nihil addere naturae, etiam secundum eos, qui reale discrimen inter hypostasim et naturam tuentur, praeter modum exsistendi. Ab hoc autem modo **b.** naturam non accipere tamquam a causa vires, quibus actuosa reddatur, nec eum modum exsistendi esse fontem et originem physicam actionum, sed **c.** conditionem tantum, sine qua natura agere non possit; nam ut ea agere valeat, prius subsistere debet sive in se sive in alio. Ideoque **d.** operationes tribui immediate naturae ut principio *quo:* supposito vero mediate ut principio *quod,* quod scil. agit vi suae naturae. Etsi ergo **e.** Pater et Filius et Spiritus s. operantur et ad singulos operatio pertinet, ea tamen est una et communis propter unitatem naturae divinae, quae singulis inest et vi cujus seu qua operantur. Quare autem Pater, Filius et s. Spiritus, etsi tres personae sunt, dici nequeant tria principia quod, dicemus infra n. 207[5].

194. **Corollarium.** *De nomine Patris.* — Cum adoptio in filios sit opus ad extra, hinc communis toti ss. Trinitati, Deus unus et trinus Pater noster est dicique potest. Solet tamen adoptio primae ss. Trinitatis personae speciali ratione appropriari. Quare nomen Patris triplici sensu de Deo adhibetur. Est enim nomen personale seu proprium, commune et appropriatum.

195. **Scholion III.** Quaedam *de fide patrum antenicaenorum* adnotabimus, nam fere omnes plus minus accusantur, circa mysterium Trinitatis errasse atque praelusisse arianis. Non erit nostrum singulorum apologiam texere[1]); aliqua tantum notabimus, quae ad tuendam orthodoxiam, si non omnium, saltem plerorumque sufficient.

---

[1]) Id a pluribus praestitum est, quos cf. apud Genér theol. dogm. schol. t. II n. 587, in primis a Marano in op. de divinitate Christi, et a Stentrup prael. dogm. de Verbo incarn. th. 5. Omnibus sedulo expensis unus Lucianus videtur non posse excusari et forte etiam Lactantius.

1. Vix credibile est, patres, qui impugnabant arianos, tam confidenter potuisse eos accusare novitatis et provocare ad traditionem et majorum fidem, si horum plerique illis favissent.

Audiatur ex. gr. Athanasius de decr. nic. syn. n. 27: »En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam a patribus ad patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi judaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidem e prudentibus et cordatis nominare potestis. Cuncti vos aversantur, praeter unum — diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit.« Et n. 3 refert: »Eusebiani quoque his ipsis vocabulis, quae nunc reprehendunt, subscripsere (in synodo), nempe quod Dei Filius ex substantia Patris sit eique consubstantialis, et quod neque res creata, nec facta vel condita sit, sed quod Verbum ex Patris substantia sit genitum. Imo quod mirum est, ipse Eusebius Caesareae in Palaestina episcopus, qui pridie restiterat, postea subscripsit, *hancque Ecclesiae fidem et patrum traditionem esse,* missis ad suam Ecclesiam literis significavit omnibusque aperte declaravit, illos prius errasse frustraque contra veritatem contendisse [1].«

2. Idem suadetur ex fraudibus, quibus teste Athanasio in ep. 18 ad episc. Aegypti, ariani utebantur, ut suam occultarent haeresim simplicesque fideles deciperent. Nulla vero calliditate et aequivocatione opus fuit, si provocare potuissent ad sensum fere totius antiquitatis.

Unde eos ita l. c. provocat s. Athanasius: »Si hanc fidem (Arii) ecclesiasticam esse confidunt et existimant, suam sententiam aperte declarent. Nemo enim accensam lucernam sub modio ponit, sed super candelabrum, ut omnibus ingredientibus luceat.« — Quare Basilius l. 2 contra Eunomium dicentem, sanctos vocasse Filium ποίημα, scribit n. 5: »Si umbram haberet testimonii, quo Unigenitus factura diceretur, nonne jam aures nostrae his clamoribus circumsonantes obsurduissent?« Passim etiam s. Hilarius

---

[1] Plura gemina testimonia adjicere licet, ut de sent. Dionysii n. 1 ss.; 13; 27; or. 1 contra arianos n. 10; in vita s. Antonii n. 82 etc. Aureum plane est testimonium scriptoris sec. III. ex libro, cui titulus parvus labyrinthus ap. Eusebium H. E. l. 5 c. 28. Synodus antiochena adv. Paulum samosatenum ap. Mansi 1, 1034 ita habet in sua fidei profess. (a. 266 secundum nonnullos spuria vel dubia; secundum Mansi, Hagemann die röm. Kirche p. 458 etc. genuina): »Qui vero repugnat, ut non credat et profiteatur Filium Dei Deum esse ante constitutionem mundi dicens, duos annunciari deos, si Filius Dei Deus praedicetur, hunc alienum judicamus ab ecclesiastica regula, et omnes catholicae ecclesiae consentiunt nobiscum«. Cf. quae ad rem referunt Socrates H. E. I, 10; V, 10 Sozomenus I, 22; VII, 12. Juverit, etiam haec Hieronymi prae oculis habuisse l. 2 apologiae adv. Rufinum n. 17: »Quomodo, inquies, in libris eorum (scriptorum veterum) vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos haereticos judicabo. Fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint [unus forte vel alter ex iis, qui proprie patres non sunt], vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint; vel certe antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sunt et quae non possint perversorum hominum calumniam declinare.« Cf. Franzelin th. 8. 10. 11, qui in fine th. 10 haec verba circumspecte accipienda esse monet.

arianorum artes subdolas pro suo stabiliendo errore aperit et carpit ut de Trin. VI, 4. 7; VII, 1 (opusc. IV ser. II).

3. Imo Augustinus de Trin. I, 7 testatur: „Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus s. unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus et ideo Pater non sit, qui Filius est; Spiritusque s. nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus . . . Haec et mea fides est, quando haec est catholica fides."

4. Distinguatur inter ipsum dogma et modum, quo dogma enunciatur; inter illius substantiam ejusque scientificam expositionem et illustrationem; inter doctrinam, quae ex testimoniorum summa colligitur, et effata, quae extra contextum considerantur: neque difficile erit patrum antenicaenorum fidem tueri vel eos excusare. Ad rem Petavius prooem. de Trin. c. 6: „Errores illi ac labes opinionum privatarum vel magis in loquendi modo quam in re ipsa consistunt, ut saepe dixi: vel ad ipsam communis dogmatis substantiam non pertinent, sed ad quaedam capita illius et consequentia decreta, vel denique versantur in sola interpretandi ratione: cum mysterii ipsius fideique summam, in qua omnes invicem congruunt, alius aliter edisserit."

196. Jam directe ad *praecipua accusationis capita* respondeamus. Accusantur patres illi ideo, quod docuerint, Patrem non ab aeterno genuisse Verbum, sed ante mundi creationem, quodque ideo illud produxerit, ut eo tamquam ministro uteretur in condendo mundo; eique praecepisse, ut mundum crearet, ac Filium Patri praecipienti obtemperasse. Verum

1. notari debet, patres quandoque triplicem Verbi generationem nativitatemque distinxisse: primam, qua Verbum ab aeterno a Patre conceptum processit ut persona distincta, sed adhuc velut in visceribus et corde tamquam consiliarius latens; alteram, qua conditum fuit initium viarum Domini, et quae non in alio consistit, quam in manifestatione Verbi creatione, qua Verbum a Patre genitum sed in sinu Patris latens ad extra quadamtenus est manifestatum: nam per ipsum dixit Pater omnia et facta sunt; hinc subtiliter Tertullianus c. Praxeam c. 5 ss. Verbum considerat ut ab aeterno genitum et sic illud vocat Rationem, et deinde manifestatum ad extra, et ita vocat Sermonem. Tertia generatio ea est, qua Verbum in tempore est caro factum. Quare patres illi in locis objectis de secunda eaque metaphorica nativitate explicari possunt.

2. Quod illas locutiones attinet, quibus dicunt, *Filium Patri praecipienti ministrasse,* notari debet **a.** similes locutiones inveniri apud patres, qui post concilium nicaenum floruerunt, quique acerrimi erant hostes haeresis arianae,

ut apud Hilarium, Athanasium, Basilium, Gregorium naz., utrumque Cyrillum. Ejusmodi ergo locutiones adeo suspectae censeri non debent. Eoque **b.** minus, quod vel Josue 10, 14 legimus: *Non fuit antea nec postea tam longa dies obediente Domino voci hominis.* **c.** Patres hisce formulis uti tum contra gnosticos asserentes, mundum conditum fuisse a virtute abscissa seu apostata a Patre, tum contra sabellianos, qui distinctionem personarum negabant. Contra utrosque autem opportunae sunt, praesertim cum patres ea soleant adjungere, quibus omnis aequivocatio tollatur, imperfectio excludatur. Quare ejusmodo locutiones explicari ita debent, ut Deum decent, quod praeclare praestat Basilius de Spir. s. n. 20 scribens: »Itaque quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio veluti subdito praescribentem, quid facere debeat; sed prout Deum decet, cogitemus voluntatis communicationem, veluti formae cujusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium aeternaliter dimanantem. Pater enim diligit Filium et omnia illi ostendit.« — Et Ambrosius de fide V n. 132: »Plerique doctiores et audire Filii et dicere aliquid Filio Patrem, accipiunt per unitatem naturae; quod enim per unitatem voluntatis novit Filius Patrem velle, videtur audisse.« Verbis ergo Pater mandat, Filius exsequitur, non alia habitudo exprimitur, quam nominibus Patris et Filii. Sensus enim est, Filium operari operatione a Patre vi generationis communicata. Ideoque Augustinus vocat serm. 140 n. 6 Filium ‚mandatum natum.'

3. Quando patres affirmant Patrem *voluntate genuisse Filium*, non loquuntur de voluntate libera, sed de concomitante et naturali, quae opponitur coactioni vel necessitati fati, de ea, qua etiam vult esse Deus.

4. Si negant, Patrem apparuisse, quod sit invisibilis: non ideo inferre licet, Filium qui apparuit, alterius inferiorisque naturae esse. Nihil enim aliud significare volunt, quam Patrem ideo non apparuisse, quod apparitiones in V. T. relatae includerent missionem, missio vero originem, ipse vero sit ingenitus; vel decuisse, ut Filius appareret, cujus character proprius est manifestare Patrem, cum sit ejus splendor, imago, speculum sine macula et Verbum Hebr. 1, 3; Sap. 7, 26; Col. 1, 15; et quod ipsius futura esset incarnatio; non vero dicunt eum ideo esse visum, quod secundum propriam naturam sit visibilis vel naturae inferioris. Hinc non affirmant Filium visum esse in propria natura, sed in assumpta et secundum hanc fuisse visibilem, circumscriptum etc.

5. Cum Filium vocant portionem, derivationem Patris, distinctionem ejus a Patre contra sabellianos ejusque a Patre processionem vera substantiae communicatione inculcare volunt, tamen sine divinae substantiae divisione vel personarum inaequalitate, ut et ex analogia fidei et ex aliis eorundem testimoniis colligitur. Cf. opusc. XIX, 107 a.

6. Quod si Filium dicunt Deum sine articulo, personarum divinarum discrimen, non earum inaequalitatem significant.

197. **Thesis CXVIII.** ***Etsi personae divinae ex natura divina communi et charactere personali proprio et distinguente constitui a nobis concipiuntur, et in una natura divina tres creduntur personae realiter distinctae: nulla tamen idcirco realis compositio est sive in personis divinis, sive in Deo. Nec ob tantam simplicitatem***

ulla pugna oritur inter mysterium ss. Trinitatis et identitatis principium.

Declaratio p. I. Multa ex ratione huic mysterio opponi solent, quae conferri possunt apud s. Thomam c. gentes IV, 10. Hic potiores tantum attingimus difficultates. Verum si unquam, certo cum de hoc mysterio agitur, prae oculis haberi debent, quae de habitu rationis ad mysteria statuimus t. I n. 487 s. Quibus suppositis notamus

1. merito a nobis concipi personas divinas constitui veluti elemento communi et proprio. Si enim eandem naturam communem habent et simul realiter ab invicem distinguuntur, aliud in ipsis commune, aliud proprium concipi debet. „Oportet igitur, scribit Basilius ep. 236 n. 6, ut communi proprium adjungentes ita fidem profiteamur: commune deitas, proprium paternitas; atque haec conjungentes dicamus: Credo in Deum Patrem. Ac rursus in Filii confessione faciendum est similiter. Conjungendum est communi proprium, ac dicendum: Credo in Deum Filium. Pariter et de Spiritu s.“ Cf. ep. 37 et 214 n. 4; c. Eunom. II, 28.

2. Si quaeras, quid sit commune quidque proprium, tenendum est, communem esse divinam essentiam seu, ut theologi dicunt, quidquid absolutum est, i. e. solutum a quavis relatione ad aliam personam; proprium vero esse, quidquid personas distinguit et constituit, seu relativum est. Hoc docent **a.** patres, cum passim inculcant, in divinis non aliter personas distingui, quam quod prima sit Pater, altera Filius, tertia procedens, quibus praedicatis relationes designantur.

Quocirca Fulgentius de Trin. c. 2 statuit [1]): »Ista relativa nomina Trinitatem faciunt; essentialia vero nullo modo triplicantur;« et Damascenus F. O. I, 2: »Scimus et confitemur unum esse Deum unamque substantiam, quae cognoscitur et exsistit in tribus hypostasibus, nimirum in Patre et in Filio et in Spiritu s.; tum Patrem et Filium et Spiritum s. unum secundum omnia esse, excepta ingeniti, generationis et processionis proprietate.« cf. III, 5. Quare conc. toletanum XI. statuit: »In relatione personarum numerus cernitur . . . in hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt; et in hoc numero carent, quod ad se sunt;« quae derivata videntur ex tr. 39 s. Augustini in Joan. n. 4.

b. Idem docet universa schola, cui solemne est axioma s. Anselmi, *omnia* (in divinis) *esse unum, ubi non obviat relationis oppositio;* quod axioma receptum fuit ab Eugenio IV. in decretum pro jacobitis [2]). Quare Petavius de sententia, quae affirmat, proprietates personales in-

---

[1]) Alia ejusdem verba asservarunt nobis Hincmarus rhemensis et Ratramus corbejensis in suis adversus graecos scriptis (Migne 65, 833). Cf. Petavius IV prooemio et c. 1; Passaglia com. theol. III et IV § 17 ss.

[2]) Cf. disputationes theologorum in conc. florentino sess. 18 et 19.

cludere sua notione aliquid absolutum, ita pronunciat IV, 10 § 6: „Non est omnino tolerabilis aut theologi cujusquam patrocinio digna sententia: imo imperitus potius error est, quem latinae graecaeque pariter Ecclesiae doctorum consensus abjudicavit.“ Accedit **c.** inductio. Expensis enim omnibus, quae secundum s. Scripturam et patres personarum divinarum sunt propria, et quibus ab invicem distinguuntur, reperiemus tantum quinque proprietates, quae omnes relatione continentur, scil. paternitatem, filiationem, spirationem activam et passivam et esse ingenitum, quod relationis negatione continetur [1]).

3. Proprietates has a scholae theologis notiones appellari, quia iis personae divinae innotescunt: notio enim secundum s. Thomam in 1. p. q. 32 a. 3 est id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Ex proprietatibus illae tres, quae personas constituunt, dicuntur hypostaticae. Cf. Scheeben § 115.

198. **Demonstratio p. I.** Personas non esse realiter compositas, etsi in ipsis distinguimus naturam communem et proprietatem, qua illas constitui concipimus, certissimum esse debet ex decreto Eugenii III. in conc. rhemensi a. 1148 edito et ex definitione conc. lateranensis IV. cap. ‚Damnamus‘: „Credimus et confitemur . . . quod una quaedam summa res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus s., tres simul personae ac singillatim quaelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet personarum est illa res, videl. substantia, essentia seu natura divina . . . et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat; et Filius, qui gignitur; et Spiritus s., qui procedit: ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus s., non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est Filius et Spiritus s. idem omnino.“ Probatur autem iisdem argumentis, quibus perfectissimam Dei simplicitatem demonstravimus (n. 30 ss.); unaquaeque enim persona Deus est, ideoque perfectissime simplex. „Personarum proprietates, inquit ad rem s. Bernardus de consid. V, 8, non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam . . . fides catholica confitetur. Numera ergo, si potes, aut sine substantia personas quae ipsa

---

[1]) Cf. Petavius VII, 12; Becanus c. 3 q. 12; c. 7 q. 1; Maurus op. theologici t. 1 q. 100; Franzelin thesi 26. Si autem quaeritur, num proprietates personales seu personae sint de essentia Dei seu essentiales, affirmative videtur respondendum cum Kleutgen q. 2 c. 4 a. 2, etsi graves theologi, ut Suarez de Trinit. IV, 5, Vasquez in 1. disp. 119 c. 2, Molina etc. tenent, personas divinas non esse de essentia divinitatis seu melius relationes reales non esse de conceptu quidditativo essentiae divinae.

sunt, aut sine personis proprietates, quae ipsae sunt. Aut si dividere quis conetur vel personas a substantia, vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, cum in tantam numerositatem excesserit.“ Quare esse divinum in summa sua simplicitate eminentissime rationem absoluti habet, et ita unus est Deus; et simul rationem relativi seu relativorum habet, et sub hac ratione est ipsemet Pater generans et Filius genitus et Spiritus s. procedens; adeoque summa res, quae sub formali ratione absoluti est unum, una essentia, unus Deus, eadem sub formali ratione relativorum est tres, qui tres unice sub hac formali ratione relativorum inter se distinguuntur. Haec vero distinctio τοῦ esse absoluti et τοῦ esse relativi non est realis, sed rationis cum fundamento in re; nam quod respondet distinctis hisce rationibus relativi et absoluti, est ipsa realitas divina in se una et simplicissima, quae simul est et absolutum et relativum habetque functiones tum absoluti tum relativi.

S. Thomas de potentia q. 8 a. 2: »Alia est ratio substantiae et relationis et utrique (conceptui) respondet aliquid (ratio objectiva) in re, quae Deus est, non tamen aliqua res diversa, sed una et eadem ... Licet relatio non addat supra essentiam aliquam rem, sed solum rationem (i. e. res eadem revera est sub alia ratione essentia et sub alia ratione relatio, et proinde sub duplici ratione concipitur cum fundamento in re), tamen relatio est aliqua res, sicut etiam bonitas est aliqua res in Deo, licet non differat ab essentia nisi ratione, et similiter est de sapientia. Et ideo sicut ea, quae pertinent ad bonitatem vel sapientiam, realiter Deo conveniunt, ut intelligere et alia hujusmodi; ita etiam id, quod est proprium realis relationis scil. opponi et distingui realiter in divinis invenitur.« Cf. de hac distinctione subtiliter, sed dilucide disputantem card. Franzelin thes. 21, qui th. 23 bene notat: »Non sunt ibi duae res vel saltem duae rationes cum praecisione objectiva distinctae, absolutum ac relativum, quae concurrant ad unam rem componendam; sed una summa res, quam concipimus sub ratione relationis divinae e. g. paternitatis vel in concreto Patris, reipsa est simul essentia absoluta; sicut vicissim eadem res, dum concipitur sub ratione essentiae, est simul tres relativi et quilibet eorundem, qui non sub ratione essentiae, sed sub ratione relativorum inter se distinguuntur. Noster vero conceptus relativi ex creaturis derivatus non exprimit simul absolutum, sicut conceptus absoluti non exprimit simul relativum; ideo duplex illa ratio, quam summa res in sua eminentia habet secundum functionem tum absoluti tum relativi, a nobis sub duplici inadaequata notione concipitur.«

199. **Demonstratio p. II.** Ex quibus sequitur, nullam pariter esse compositionem realem in Deo propter trinitatem personarum. Sane ad compositionem requiruntur partes. Atqui personae divinae nec constant partibus, ut patet ex parte praec., nec sunt partes divinitatis seu Dei, neque enim partem, sed totam singulae possident divinam naturam et quidem per identitatem. Ergo nulla oritur ex trinitate personarum compositio realis. »Personae enim (divinae), inquit s. Thomas de pot. q. 7 a. 1 ad 10, dupliciter possunt con-

siderari. Uno modo secundum quod comparantur ad essentiam, cum qua sunt idem re, et sic patet, quod non relinquitur aliqua compositio; alio vero modo secundum quod comparantur ad invicem, et sic comparantur ut distinctae, non ut adunatae et propter hoc nec ex hac parte potest esse compositio, nam omnis compositio est unio.«

200. **Demonstratio p. III.** Sequitur jam praecipua difficultas: nam cum tanta simplicitate consistere non posse videtur reale personarum discrimen. Quae enim eadem sunt uni tertio, sunt etiam eadem inter se. Atqui personae divinae secundum fidem catholicam sunt unum idemque cum divina natura. Ergo idem inter se. Quare vel negandum est reale personarum discrimen, vel hoc admisso defendi amplius nequit aut summa simplicitas aut unitas Dei. Ad quam difficultatem, si non clare solvendam, saltem infringendam, haec notentur:

1. ingens esse, imo infinitum discrimen inter naturam divinam et naturas creatas; ideoque harum ad illam defectus transferre non licere.

2. Inter discriminis capita illud etiam secundum revelationem esse, quod divina natura, etsi re una, simul pluribus est communicabilis et in sua entitatis opulentia pluribus suppositis constituendis par: virtute ergo aequivalet distinctis re substantiis; dum contra natura creata utpote finita ob inopiam τοῦ esse unum tantum suppositum constituere possit. Quod forte illustrari potest discrimine inter substantias corporeas et spirituales. Illae enim ob perfectionis inopiam nonnisi uni loco implendo et quidem per partes sufficiunt; hae vero ob suam praestantiam pares sunt suam praesentiam non solum virtualem, sed et substantialem pluribus partibus et membris exhibere; adeo ut absque divisione totae singulis adsint et ita quadam multiplicitate substantiali gaudeant. Ergo ex identitate divinarum personarum cum una divina natura eaque pluribus communicabili non sequitur absoluta personarum identitas inter se.

201. Ad argumentum vero ex identitatis principio petitum ita in forma respondet Billot de Deo uno et trino in q. 28: »Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, dist. maj. Quae sunt eadem re et ratione, conc. maj.; re, sed non ratione, subdist. si ratio, secundum quam a tertio distinguuntur, sit ratio absoluta per se ipsam ponens aliquid in re, rursus conc. maj.; si sit ratio propria relationis, scil. *ad aliquid,* adhuc subdist. sunt eadem, si inter se relativa oppositione non opponantur, iterum conc. maj.; si inter se opponantur ut relatio principii et relatio ejus quod est a principio, neg. maj. Et contradistincta minore, quae est de relationibus identificatis cum divina substantia contradistinguitur etiam consequens et consequentia.« Rationem autem hujus distinctionis in praemissis annotationibus sagaciter evolvit.

Quod si quis excipiat: Pater est Deus, Filius est Deus; ergo Pater est Filius; respondendum est: Dist. primum membrum: Pater est omne id quod est Deus, conc., est omnis is, qui est Deus, nego. Idem dicatur de altero membro: et dist. cons.: Pater est omne id, quod est Filius seu idem (genere

neutro) quod Filius, scil. Deus, conc.; Pater est is qui est Filius, vel idem (genere masculino) ac Filius, vel eadem persona quae Filius, nego. Pariter si quis ita arguat: Filius est essentia divina; atqui essentia divina non est genita; ergo Filius non est genitus: respondemus: Dist. maj. Filius est id quod essentia divina, conc.; est omnis is, qui est essentia divina, neg. Dist. min.: id quod est essentia divina non est genitum, conc.; is qui est essentia divina non est genitus, subd. non omnis, conc. unus ex tribus, qui sunt essentia divina non est genitus, nego.

5. Si haec prae oculis habentur, pleraque argumenta socinianorum et rationalistarum sophistica esse deprehendentur, vel quia quatuor constant terminis vel duabus praemissis particularibus, vel quia a sensu identico seu materiali fit transitus ad formalem (n. 47) aut econtra; regulae vero syllogismi procedunt de propositionibus, in quibus est formalis praedicatio, non materialis tantum. Plura ejusmodi exempla dabunt Petavius III, 9; Becanus c. 3 q. 3. Ceterum alias difficultates cf. expensas apud s. Thomam c. gentes IV, 8 ss.; Valentia de Trinit. l. 1. c. 27 ss.

Caput III.

Scholastica expolitio mysterii sanctissimae Trinitatis.

202. *Mysterium ss. Trinitatis esse superrationale,* adeoque rationis lumen non solum quoad modum, sed et quoad exsistentiam ita superare, ut absque revelatione cognosci nequeat, significat

1. Christus Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;*

2. colligitur ex patrum effatis, quae cf. apud Thomassinum de Trin. c. 1 s. Lege s. Gregorii naz. or. 5 theologicas (opusc. XXIX).

3. Hoc docent, teste Suarez de Trin. I, 11, omnes theologi cum divo Thoma 1. p. q. 32 a. 1, cujus rationem approbat conc. coloniense a. 1860 p. 1 tit. 2 c. 9: „Cum Dei invisibilia per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur (Rom. 1, 20), e rebus creatis ad personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. Id autem fieri nequit, cum actus ille, quo Deus mundum creavit, utpote tribus personis communis, unitatem quidem essentiae, non vero personarum Trinitatem manifestet." Nam ex effectu ea tantum inferre possumus, quae requiruntur ut causa par sit producendo effectui. Atqui ut Deus par sit creando mundo sufficit, ut sit quam maxime potens, sapiens etc., non vero ut sit trinus. Et quamvis ex his attributis ad aliorum cognitionem deveniamus ut aseitatis, infinitatis etc., ad cognitionem Trinitatis progredi non licet: nam inter illa attributa nexus est prorsus necessarius, qui rationi sponte sua innotescit, nullus vero apparet cum Trinitate, nisi forte habitus potius dissonantiae quam harmoniae. Cf. Franzelin th. 17. 18.

4. Hoc ostenditur etiam crisi argumentorum, quae ad hujus mysterii demonstrationem afferri solent. Seposita enim revelatione ea sat vaga sunt, saepe nimis probant, et si urgentur unitatem, simplicitatem aliasque Dei perfectiones in discrimen vocant, vel vix gignunt suasionem, quae par non est ad excludendas gravissimas difficultates et apparentes contradictiones, quas ratio in hoc mysterio reperit. Quare prudentissime s. Thomas l. c.: „Qui probare nituntur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogant; primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est, ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt: secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cadit in irrisionem infidelium: credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur et propter eas credamus." Cf. quae docet ad 2.

5. Imo facta etiam revelatione hujus mysterii, manet ipsum indemonstrabile: siquidem reprobata fuit propositio (25) Rosmini: „Revelato mysterio ss. Trinitatis potest ipsius exsistentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen, ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica purae rationis non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur."

Duplici ergo titulo et ratione dogma Trinitatis est mysterium. Aliae enim veritates circa Deum unum via causalitatis cognosci possunt, et quamvis analogice tantum cognoscantur, non tantam quoad modum eas concipiendi difficultatem prae se ferunt; haec vero veritas sola revelatione cognosci potest: et revelata quoad modum, quo Deus est trinus, perspici nequit, sed obscurissima manet. Sicut autem ratione nequit demonstrari veritas hujus mysterii, ita neque ejusdem impossibilitas. Quod sponte sua sequitur ex principio generali, revelationem nunquam adversari posse rationi: et suadetur ex infinita Dei perfectione, vi cujus ejus natura adeo est supra omnem nostram comprehensionem, ut temerarium sit ejusmodi repugnantiam affirmare. Cf. Valentia in 1. p. disp. 2 q. 6 p. 1.; Scheeben § 64 et Myst. des Christ. § 5 ss.; Kuhn Dogm. t. 2 § 35 bene de hoc mysterio disserentem.

6. Quamvis autem mysterium hoc incomprehensibile sit et patres merito damnent in haereticis exlegem scrutandi pruritum, non tamen ita supra omnem inquisitionem est positum, ut damnari possint vel debeant theologi scholae, qui patrum vestigiis inhaerentes plura ad illius pleniorem notitiam subtilius investigarunt et statuerunt. Ad rem Petrus lombardus 1. dist. 2: »Ut in l. 1 de Trinit. (c. 11) docet Augustinus primum secundum auctoritatem ss. Scripturarum, utrum ita fides se habeat, demonstrandum est: deinde adversus garrulos ratiocinatores, elatiores quam capaciores, rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei utendum est, ut eorum inquisitionibus satis facientes, mansuetos plenius instruamus, et illi, si nequiverunt invenire quod quaerunt, de suis mentibus potius quam de ipsa

veritate vel de nostra assertione conquerantur.« — Quare probanda non est opinio Hirscher, qui falso principio innixus, ea scil. tantum esse revelata de Deo, quae immediate cum oeconomia salutis cohaereant: ea, quae theologi de Deo in se deque relationibus personarum divinarum ad invicem paulo subtilius statuunt, tamquam inutilia et aliena a revelatione rejicit. Principium enim illud falsum est, ut patet vel ex symbolo athanasiano, conc. toletano XI., lateranensi IV. c. ,Damnamus', florentino in decr. unionis cum graecis, in decreto pro jacobitis etc., in quibus multa statuuntur de Deo, quae cum oeconomia salutis nonnisi remotissime cohaerent. Deinde damnari nequit studium illud scholae, quin reprehendantur et patres doctissimi, damnetur omnis profectus scientiae theologicae, qui in expoliendis, illustrandis, rimandis dogmatibus consistit. Cf. Kleutgen Theol. der Vorz. I d. 3.

203. Jam potiora, quae schola duce Thoma subtilius de hoc mysterio statuit, proponamus in forma quaestionum selectarum: quas uberius praeclare expositas reperies a Ruiz de Trinit. disp. 41 ss.

Quaestio I. *Quo actu gignat Pater Filium?* Unanimis est theologorum responsio, Patrem intelligendo gignere Filium. Quae sententia, teste Suarez de Deo trino I, 5, in theologia censeri debet certa, et opinio Durandi negans temeraria et errori proxima. Probatur

1. auctoritate non solum scholae, sed etiam patrum (apud Petavium VI, 1 s.): inter quos eminet Augustinus, qui de Trin. XV, 14 ita disserit: „Proinde tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur: *Est, est; non, non* (Matth. 5, 37). Et ideo Verbum hoc vere Veritas est, quoniam quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, ut se habet, de quo est." Huc referri possunt ii, qui ipso duce (n. 184[10]) Trinitatis mysterium illustrant ex similitudine mentis, quae se intelligendo generat verbum sibi simile [1]).

2. Colligitur ex Scripturis, in quibus Filius vocatur ὁ λόγος, *Verbum,* cujus nominis rationem patres reddunt cum Gregorio naz. or. 36: „Quoniam sic se habet ad Patrem (scil. Filius), sicut ad intellectum verbum;" vel ex plurimorum patrum sententia *Sapientia,* quae Eccli. 24, 5

---

[1]) Cf. Anselmus Monologii c. 29 ss., in primis c. 67, aliique apud Thomassinum c. 18 ss. Verum notetur ejusmodi similitudines et analogias, quibus theologi utuntur, esse ad illustrandum hoc mysterium utiles, sed non nimis urgendas vel exigendas, quare acute Gregorius naz. adversario postulanti: »Da mihi ex eodem aliud esse Filium, aliud quod Filius non sit et tamen ejusdem cum illo substantiae, ac Deum (Filium) et Deum (Spiritum s.) admittam,« respondet (or. 31 theol. 5 n. 10)· »Da tu quoque mihi Deum alium Deique naturam et tibi eandem Trinitatem, cum iisdem nominibus ac rebus dabo.« Scheeben Handb. der k. Dogm. I § 116.

de se testatur: *Ego ex ore Altissimi* (i. e. ex intellectu Dei) *prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Cf. Scheeben Myst. § 16.

3. Illustratur ratione. Certum enim est, in divinis esse productionem et generationem Filii, quae generatio continetur communicatione substantiae. Atqui in omni rerum genere productio vel communicatio naturae fit per operationem propriam seu accommodatam tali naturae. In natura autem pure intellectuali proprius actus est actus intellectus et voluntatis. Cum igitur Deus sit substantia pure intellectualis, productio, quae in ipso est, nonnisi per intellectum et voluntatem erit; ideoque Filius, qui secundum neminem per voluntatem procedit, intelligendo gignitur. Cf. Thomas 1. q. 27 a. 1; c. gentes IV, 11. 26.

204. **Quaestio II.** *Quare Verbi productio seu processio generatio dicatur?* Quia secundum theologos de ratione generationis est, ut sit origo viventis non solum a vivente, sed et de vivente seu principio conjuncto (quatenus scil. principium gignens in ipsa generatione conjungitur proli gignendae per aliquod proprium sui, quod in hac maneat i. e. vel per propriam substantiam ut in divinis, vel per semen, ut in creatis) in similitudinem naturae et quidem vi productionis seu ex ipso modo processionis, quae natura sua tendat veluti in scopum et metam, ut exprimat in termino generationis sui similitudinem. Atqui haec obtinent in productione Verbi. »Procedit enim, inquit Thomas 1. p. q. 27 a. 2, per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio conjuncto, et secundum rationem similitudinis: quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura exsistens, quia in Deo idem est intelligere et esse . . . Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio, et ipsum Verbum procedens dicitur Filius.« Qua sententia admissa plures difficultates solvuntur et alia bene explicantur. Sequitur enim exinde et puritas hujus generationis ejusque aeternitas, perpetuitas, perfectio, vi cujus scil. Filius est adaequata Patris imago, et necessitas immunis a quavis non solum contingentia, sed etiam coactione, cum sit naturalis. Sequitur et unitas Filii, cum Pater unico verbo perfectissime se comprehendat.

205. **Quaestio III.** *Quo actu spiretur vel procedat Spiritus sanctus?* Respondent theologi praeeunte Thoma ib. a. 3, Spiritum s. procedere per voluntatem seu processione amoris. Quod probatur

1. hac ratione: Spiritus s. non minus procedit quam Filius; Filius vero procedit per intellectionem Patris. Cum ergo voluntas Patris non minoris sit perfectionis et virtutis quam intellectus: consequi plane videtur, processionem s. Spiritus ad voluntatem esse referendam.

2. Confirmatur illatio nominibus, quibus Spiritus s. designatur. Sicut enim Filius nominibus designatur, quae relationem ad intellectum includunt: ita Spiritus s. iis insignitur, quae ad voluntatem referuntur. Dicitur enim *amor, donum, Spiritus, Spiritus s.,* quibus ejus ad voluntatem relatio satis exprimitur. Cf. Scheeben l. c. § 17 s.; Franzelin th. 26 ss.

206. **Quaestio IV.** *Quomodo differant generatio Filii et processio sancti Spiritus?* Triplex in primis est discrimen. Nam

1. Filius procedit per intellectum, Spiritus s. per voluntatem;

2. ille procedit a solo Patre, Spiritus s. a Patre Filioque, quod discrimen ex priori illustrari potest. Nam voluntatis actus intellectionem praeeuntem supponit. Quapropter processio etiam s. Spiritus praesupponit nostro concipiendi modo Verbi generationem. Cum vero Pater se intelligendo gignat Verbum sibi prorsus aequale, cui propterea omnia sua communicat, potentiam spirandi quoque in illum derivat. Quare Filius quoque spirat Spiritum s.

3. Filius gignitur, non vero Spiritus s. Cujus ratio si quaeritur, respondent patres cum s. Augustino c. Maximin. III, 13: »Distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.« Tamen hinc inde conantur rationes aliquas indicare, quas collegerunt Petavius VII, 13 s. et Thomassinus c. 29 ss. Praecipua ea est, quam theologi cum s. Thoma de pot. q. 2 a. 4 ad 7 ita proponunt: »Spiritus s. procedit per modum amoris. Amor autem non significat ut aliquid figuratum vel specificatum specie amantis vel amati, sicut verbum significat speciem dicentis et ejus quod dicitur habens. Et ideo cum Filius procedat per modum verbi, ex ipsa ratione suae processionis habet, ut procedat in similem speciem generantis, et sic quod sit Filius et ejus processio generatio dicatur. Non autem Spiritus s. hoc habet ratione suae processionis, sed magis ex proprietate divinae naturae, quia in Deo non potest esse aliquid quod non sit Deus. Et sic ipse amor divinus Deus est, in quantum quidem divinus, non in quantum amor.« Cf. n. 224. Paulo secus discrimen nonnulli explicant statuentes, ideo processioni Verbi et non spirationi Spiritus s. convenire rationem generationis, quod solum Verbum vi suae processionis accipiat naturam ut formaliter et proxime fecundam seu cum potentia formali et proxima illam ulterius alteri personae communicandi, ideoque solum Verbum, non vero Spiritum s. procedere in similitudinem naturae fecundae, quod ad rationem generationis ipsi requirunt. Cf. Scheeben § 122 n. 1008—10; Mysterien § 10.

207. **Quaestio V.** *Quomodo Spiritus s. a Patre Filioque procedat?* Respondet conc. lugdunense II: „Spiritum s. aeternaliter ex Patre et Filio non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex unico principio, et non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedere.“ Quod ut intelligatur, cum Thoma 1. p. q. 36 notamus:

1. Eo ipso quod Filius generatione omnia accipit, quae sunt Patris, eadem est utriusque essentia, ideoque et virtus spirandi et spiratio.

2. Hinc Spiritus s. ab utroque immediate et aequaliter procedit, non a Patre per Filium seu mediante Filio [1]). Tamen

---

[1]) De formula Patrem mediante Filio spirare Spiritum s., haec ex s. Thoma in 1. dist. 12 q. 1 a. 3 notentur: »Si consideremus ipsum principium (quo) scil. potentiam spirativam, cum in hoc non distinguantur Pater et Filius, non potest dici spiratio esse a Patre mediante Filio; si autem consideramus ipsos spirantes, qui distincti sunt et secundum hoc praebent suppositum spirationi, sic ibi est ordo naturae (originis), quia Filius est ex Patre, et Spiritus s. simul a Patre et Filio. Unde

3. quatenus Filius a Patre una cum essentia spirationem accipit, dici potest, Spiritum s. a Patre per Filium procedere; imo cum s. Augustino de Trin. XV, 17 Spiritum s. principaliter de Patre procedere, quod scil. Pater virtutem spirandi non habeat ab alio sicut Filius, ideoque sit principium sine principio i. e. principale (n. 176).

4. Quatenus Pater et Filius spirant Spiritum s., unum sunt principium, quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Atqui inter Patrem et Filium quatenus spirant Spiritum s., non est oppositio. Ergo unum sunt principium. Quocirca Augustinus ib. V, 14: „Sicut Pater, inquit, et Filius unus Deus et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum s. unum principium." Cf. Anselmus de proc. Sp. s. c. 17 s.

5. Pater et Filius sunt etiam unus spirator, quamvis sint duo spirantes. Ratio est, quia nomina substantiva non dicuntur pluraliter, nisi multiplicetur forma seu proprietas, quam in concreto significant; adjectiva vero ut dicantur pluraliter, satis est pluralitas suppositorum, neque necessaria est pluralitas significati formalis.

208. Hanc regulam loquendi ita illustrat s. Thomas 1. q. 39 a. 3: »Nominum essentialium quaedam significant essentiam substantive, quaedam vero adjective. Ea quidem, quae substantive essentiam significant, praedicantur de tribus personis singulariter tantum et non pluraliter: quae vero adjective essentiam significant, praedicantur de tribus personis in plurali. Cujus ratio est, quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiae, nomina vero adjectiva significant aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subjecto. Substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem vel multitudinem. Unde et singularitas vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per formam. Accidentia autem sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem vel multitudinem. Et ideo in adjectivis attenditur singularitas et pluralitas secundum supposita« etc. Ita dici nequit tres omnipotentiae, nisi triplicetur omnipotentia; dici vero potest tres omnipotentes, quia praedicatum concretum omnipotens est idem ac habens omnipotentiam. Atqui in Deo revera tres habent omnipotentiam; quare dici potest tres omnipotentes scil. personae. Quod si in symbolo athanasiano haec loquendi ratio proscribitur, omnipotens sumitur substantive, ac si dicatur omnipotens Deus, quod germanice ita bene exprimi potest: dici scil. potest: Vater, Sohn und h. Geist *sind* allmächtig; sed dicere non licet: Vater, Sohn und h. Geist sind *die Allmächtigen;* dici debet, sind *der* Allmächtige. Adjectiva vero posse dici pluraliter, ex eodem sym-

---

dicit Richardus (a s. Victore de Trinit. l. 5 c. 7), quod generatio in divinis est immediate a Patre, sed processio Spiritus est quodammodo mediate, et quodammodo immediate; immediate quantum ad virtutem spirantem, quae est una Patris et Filii, et iterum quantum ad ipsum suppositum Patris, quod immediate est principium processionis, quia ipse simul et Filius spirant: sed mediate, in quantum Filius, qui spirat, est a Patre.«

bolo liquet, quod mox profitetur: »Tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.« Cf. de Rubeis in admonit. praevia ad t. 12 op. s. Thomae, qui in 1. dist. 11 q. 1 a. 4 permiserat dici quamvis minus proprie duos spiratores; imo in summa quoque 1. q. 36 a. 4 ad 7 hanc locutionem non omnino reprobat: statuit enim tantum ,melius videri' si dicamus »duos spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duos spiratores propter unam spirationem.« S. Bonaventura vero in 1. d. 29 a. 2 q. 2 tuetur ratione suppositorum dicendum esse duos spiratores. Qua in re ei consentiunt Alexander hal., Albertus M., Petrus a Tarantasia etc.

209. **Quaestio VI.** *Quare harum productionum termini sint personae?* Ad hanc quaestionem responderi potest, omnis productionis terminum esse vel substantiam, vel accidens, vel personam. Productionis autem divinae terminus nequit esse substantia, substantia enim divina produci nequit; neque accidens, quod potentiam et imperfectionem in subjecto supponit. Cum ergo vi productionis neque nova producatur substantia, neque substantia divina modificetur, restat ut ea communicetur, ita scil. ut alius eam possideat sicut illam possidet persona producens. Quare productionis terminus erit persona. Quod ipsum cum divina perfectione pugnare non intelligitur, sed potius naturae divinae opulentiam manifestat. Ostendit enim, tantam esse divinae naturae perfectionem, ut Deus Pater possit eam personis pluribus sine suo detrimento communicare eamque parem esse pluribus constituendis suppositis. Cf. Scheeben Mysterien § 13; Handbuch § 119.

210. **Quaestio VII.** *Quomodo,* cum τὸ intelligere sit personis commune, *solus Pater intelligendo gignat Filium,* et non singulae personae gignant Verbum? Haec quaestio est difficillima. Ut respondeamus, notamus τὸ intelligere in Deo re ipsa non distingui a τὸ esse. Quamobrem sicut τὸ esse triplici charactere modoque subsistendi afficitur et distinguitur (in Patre enim est ἀγεννητῶς, in Filio γεννητῶς, in Spiritu s. ἐκπορευτῶς): ita τὸ intelligere et resultans inde sapientia in Patre est ingenite, in Filio per generationem, in Spiritu s. per processionem. Quare sicut essentia, quatenus consideratur absolute et ut est communis, neque gignit, neque est genita, ita nec τὸ intelligere, quatenus consideratur absolute, est productivum Verbi. Sed sicut essentia considerata ut paternitatis charactere affecta concipitur redundare in Filium sine mutatione: ita τὸ intelligere paternum concipi debet ipsa intellectione derivari in Filium. Quam ob rem magis accurate affirmatur: Pater dicendo potius quam intelligendo gignit Filium, eo ipso scil. quod intelligere est commune, dicere vero includit τὸ intelligere additque notionem communicationis, originis, productionis, generationis. Sicut ergo Pater est gignens et Filius genitus et tamen unus Deus et esse utriusque idem: ita Pater est dicens, Filius dictus (seu Verbum), tamen idem utriusque est intelligere. »Sciunt ergo, inquit Augustinus de Trin. XV, 12, invicem Pater et Filius, sed ille gignendo, hic nascendo.« Vel aliis verbis: Si Verbum non tantum Deus esset, sed etiam alius a Patre Deus, utique se ipsum intelligendo aliud produceret verbum. At si Verbum Deus quidem est, non tamen alius a Patre, unam eandemque numero naturam cum Patre habet, eoque solum a Patre distinguitur, quod ab ipso procedit, et ideo habet idem intelligere Patris ut communicatum non ut se communicans, ut dictum, non ut dicens ideoque non productivum Verbi sed ut Verbum genitum. Cf. Thomas c. gentes IV, 13.

211. **Quaestio VIII.** *Quot sint processiones et* consequenter *quot personae divinae?* Respondet revelatio, duas esse processiones et tres personas, cujus responsi theologi hanc reddunt cum s. Thoma 1. q. 27 a. 5 rationem: „Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae scil. intelligere et velle . . . Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo nisi verbi et amoris." Cf. c. gentes IV, 26.

212. Verum quaeri potest, quare Pater dicendo unicum tantum gignat Verbum. Ratio est, quod unico Verbo perfecte se dicit (n. 203 [1]); alteri ergo verbo locus non est. — Quod si quaeritur, quare Filius non gignat Filium, praeter rationem n. 210 Thomassinus aliam ex patribus proponit c. 12 § 12: »Deus quidquid est, totus est, omnino est, semper est, id tantum est, necessario est, ut mutari non possit, nec aliud quidvis evadere. Itaque qui Pater est, Pater tantum est, Pater semper fuit eritque, non potest non esse Pater, totam paternitatem occupavit, ut non possint alii patres similiter esse (cf. n. 221). Qui Filius est, filietatem totam et indemutabiliter praesumpsit ac praecepit, ut nec alii esse possint filii ejusdem naturae, nec Pater possit ipse evadere... Totam in sese uno possidet paternitatem Pater, filietatem Filius. Denique ut paternitas esse non potest filietas et vicissim, ita nec Pater Deus potest evadere Filius, nec Filius Pater: quia non aliud est in Deo Pater quam paternitas, Filius quam filietas, Deus quam deitas.« Similia de Spiritu s. repetantur.

213. Quod si quaeras ulterius, *quomodo duae realiter distinctae personae procedere possint per intellectum* et *voluntatem,* cum in Deo intellectus et voluntas non re, sed ratione tantum distinguantur, respondet Suarez l. 1 c. 9 n. 5: »Quamvis actus intellectus et voluntatis Dei non habeant in re actualem distinctionem, sufficit eminens et virtualis, ut una persona procedat per actum intellectus et non per actum voluntatis. Quod quidem est de fide certum . . . Ratione autem vix potest declarari, nedum convinci: satis vero nobis est, ostendere non repugnare. Quia licet omnia Dei attributa sunt una simplicissima perfectio, vere et formaliter continent, quidquid perfectionis in eis excogitari potest absque imperfectione. Sic ergo in Deo est tota perfectio intelligendi, ut non minus habeat suum proprium et adaequatum terminum per ipsam productum, quam si esset in re distincta a quacunque alia perfectione. Sic ergo dari potest et datur in Deo quaedam processio, quae solum est per intellectum,« atque idcirco alia per voluntatem. — Excipienti autem, unam tantum esse in Deo productionem, quod haec adaequet exhauriatque virtutem producentem, ita occurrit eximius theologus n. 8: »Licet ad quamlibet processionem requiratur infinita perfectio seu virtus productiva, quae in processione qualibet habet adaequatum actum in ratione formali et quasi specie talis actus, non tamen habet adaequationem quasi extensivam et secundum rationem omnium actuum, quos ad intra habere potest. Sicut etiam ad producendam quamlibet creaturam ex nihilo requiritur infinita virtus Dei, et nihilo minus non quaelibet creatio est actus adaequatus illius potestatis. Sic ergo ad productionem Filii requiritur infinita perfectio et fecunditas divinae naturae: illa tamen non exhauritur (ut ita dicam) per illam solam processionem, quia non est adaequata utrique facultati (ut sic dicam) illius naturae

intellectui scil. et voluntati; unaquaeque autem processio ex his est adaequata suo actui et ideo intra suam rationem formalem non multiplicatur.«

214. **Corollarium.** Unde inferunt theologi, in Deo unam esse naturam, duas processiones, tres personas, quatuor relationes, quinque notiones.

215. *De processionibus divinis.* — Ad harum pleniorem notitiam, praetermissis iis, quae spectant naturae unitatem, circa processiones haec notentur: **1.** Processionem esse emanationem seu originem unius personae ab alia tamquam a principio productivo eamque supponere seu includere naturae communicationem. Considerari **2.** eam posse active, passive, et formaliter. Active spectata est ipsa persona, quae est processionis principium. Potest autem duplex distingui processionis principium, quod et quo: principium *quod*, ut diximus, est ipsa persona; principium *quo* est ipsa natura; hoc autem nonnulli distinguunt in remotissimum seu radicale, quod est virtus primordialis seu radix productionis; in potentiale seu remotum, quod est virtus agendi intermedia; in formale et proximum, quod est virtus agendi immediata. Ita ex. gr. Platelius in sua synopsi p. 1 n. 241 statuit processionum divinarum »principium quod esse personam, radicale naturam, formale remotum intellectionem (et volitionem), et proximum relationem.« Quod ultimum tamen intelligi debet secundum ea, quae scribit s. Thomas 1. p. q. 41 a. 5: »Neque paternitas potest intelligi ut quo Pater generat, sed ut constituens personam generantis, alioquin Pater generaret Patrem.« Processio passive spectata est ipse terminus processionis; et terminus quidem totalis seu adaequatus processionis est divina persona, quae procedit; terminus vero formalis est proprietas personae procedentis, nam haec oritur ex processione; natura vero divina non procedit, neque producit, sed communicatur. Processio formaliter accepta non est, ut quidam opinantur theologi, mera simplexque resultantia, eo fere modo, quo proprietates ex rei essentia dimanare vel oriri dicuntur; neque enim tali explicatione exhauritur ex. gr. generationis notio, quae vere proprieque in Patre relate ad Filium admitti debet. Quare tenendum est quod sit vera productio, non quidem talis, qua aliquid novi ex nihilo in exsistentiam adducitur, vel qua actuetur aliqua potentia: sed concipi ea debet ut aeterna, necessaria, naturalis, identica cum persona producente, consistens in communicatione (non multiplicatione) divinae substantiae: ideo etiam persona producens melius dicitur principium quam causa personae procedentis (n. 171 [1] a.). Cf. Scheeben § 120.

216. *De notione personae.* — Quod attinet notionem personae, eam paucis ita complectitur Petavius IV, 8 § 8: „Quam ob rem tot antiquos summosque theologos secuti merito illud asseveramus, propriam hypostasis rationem in modo quodam exsistendi sitam esse, quo substantia singularis per se exstat, idque perfecte, ut neque haereat in subjecto velut accidens, neque pars sit totum aliquod seipsa componens, vel ad componendum facta natura, sed per semetipsam constet, neque cum alia hypostasi unum quoddam naturale et proprie dictum constituat.“ Quocirca praeeunte Boëthio a theologis definitur persona: „rationalis

naturae individua substantia;" individua, singularis scil., non universalis; tota, non pars vel per modum partis; per se subsistens, ut non sit alterius vel pluribus communis. Cum ergo personalitas in hac singulari et incommunicabili subsistentia intellectualis naturae consistat, personalitas dici potest intellectualis seu rationalis naturae individua subsistentia. Atqui in Deo triplex est subsistentia: subsistit enim divina natura paternitate in Patre, filiatione in Filio, processione in Spiritu sancto. Ergo triplex in Deo est personalitas et tres sunt personae.

Differt vero persona divina ab humana non quidem in elemento formali, id est, in subsistentia individua, sed in elemento veluti materiali, in natura, non solum, quod haec in Deo est infinita, sed etiam quod ea in creatis pro numero personarum multiplicatur, non autem in Deo: nam natura divina, manens numero una, propter τοῦ esse opulentiam pluribus communicatur suppositis iisque constituendis est par. Quapropter ne ex definitione Boëthii inferri possit in Deo, sicut tres sunt personae, tres quoque esse substantias, notio personae, quatenus personis divinis applicatur, nonnihil est modificanda. »Persona in communi, ita s. Thomas 1. q. 29 a. 4, significat substantiam individuam rationalis naturae; individuum autem est, quod in se est indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacunque natura significat id, quod est distinctum in natura illa . . . Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis... Relatio autem in divinis non est sicut accidens inhaerens subjecto, sed est ipsa divina essentia: unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat relationem ut subsistentem.« Cf. etiam a. 2; de pot. q. 9 a. 4. c. gentes IV, 14. »Itaque divina persona est, inquit em. card. Franzelin th. 23, ipsamet divina essentia sub formali ratione relativi ad intra, sub qua ratione sunt tres inter se distincti; non autem sub formali ratione absoluti, sub qua ratione est una indistincta essentia seu natura.« Et iterum th. 24: »Nomen persona in Deo non significat absolutum, sed distinctum in se subsistentem: in se subsistentes autem in Deo sunt relativi et sunt tres, ideo nomen persona in Deo non quidem ex modo significandi designat relativum, sed propter rem significatam supponit pro relativo, et pluraliter tres personae dicendae sunt.« Cf. Becanus c. 3 praesertim q. 12 n. 14.

217. *De relationibus divinis.* — Duas processiones sponte sua consequuntur quatuor relationes, de quibus tenendum est, eas esse reales; et quia in Deo nullum est accidens, eas esse substantiales. Considerari autem non debent velut realitates essentiae superadditae, sed ut ipsa essentiae realitas sub formali ratione et functione relativorum. »Relationes in divinis, inquit s. Thomas de pot. q. 8 a. 3 ad 7, etsi constituant hypostases et sic faciant eas subsistentes, hoc tamen faciunt, in quantum sunt essentia divina (ac proinde relationes substantiales). Relatio enim, in quantum est relatio, non habet, quod subsistat vel subsistere faciat: hoc enim solius substantiae est. Distinguunt vero relationes, in quantum relationes sunt (sub formali ratione relationis ad terminum alterum); sic enim oppositionem habent.« Quod ita paucis expressit s. Bonaventura in 1. dist. 33 q. 1: »Relatio ratione comparationis, quam habet ad subjectum, transit in substantiam in divinis . . .

Ratione vero comparationis, quam habet ad objectum ... habet quodam modo differentiam a persona; nec facit secundum hoc compositionem, sed distinctionem respectu cujus est.«

218. Quaeri autem potest, *quare,* cum quatuor sint relationes, personae autem concipiantur relationibus constitui, *non sint quatuor personae?* Respondemus cum Kleutgen (n. 1064): »Ea tantum relatio personam constituit, quae hanc ab omni alia persona distinguit: haec enim distinctio est de essentia personae. Atqui spiratio activa Patri et Filio communis est. Neque igitur haec quartam in divinis personam constituere potest. Ratio cur sit communis haec est, quoniam non opponitur nisi spirationi passivae; neque enim aut dictioni Verbi aut Verbo ipsi spiratio amoris contraria est. ‚Omnia autem in Deo unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio.' Quapropter etiam spiratio activa a passiva quidem spiratione re, a paternitate autem et filiatione ratione tantum discernitur.« Cum ergo spiratio activa distinguat quidem realiter Patrem et Filium a Spiritu s., non autem constituat novam personam a Patre et Filio distinctam, quia non re, sed ratione tantum distinguitur a paternitate et filiatione: merito ea affirmatur pertinere ad rationem interiorem et ad conceptum adaequatum personae Patris ac Filii. Nam paternitas et filiatio, si plenius spectantur, ex intestina exigentia includunt spirationem, et sine hac non plene concipiuntur: hinc ad paternitatem et filiationem divinam, ut sit talis, qualis necessario est, pertinet spiratio activa. Imo dici potest constitutionem Patris et Filii in pleno suo conceptu intelligi per formalem rationem paternitatis et filiationis quatenus haec utraque spirationem activam includit. Per hanc enim, quamvis ab invicem non distinguantur, distinguuntur a Spiritu s. Cf. Franzelin th. 25.

219. Ad quaestionem autem, *utrum potius dicendum sit, personas originibus, an relationibus* (quae re ab originibus non distinguuntur) *constitui,* ideoque dicendum sit, Patrem potius constitui paternitate, an generatione, respondet Kleutgen (n. 1059): »Quoniam in locutione non res tantum significata, sed etiam modus, quo significatur et a nobis concipitur, considerandus est; plerique theologi cum s. Thoma statuunt, relationes potius quam origines proprietates personales dicendas esse. Proprietas enim personam constituens a nobis concipitur formae instar in re insita et permanens; origo autem ut via seu motus sive a re sive ad rem, quare et processio vocatur. Sensu enim activo accepta significat actionem a producente, persona jam constituta, exeuntem; sensu vero passivo ortum rei nondum constitutae. Contra relatio indicat aliquid in utroque insitum et permanens.« Sane s. Thomas 1 q. 40 a. 2 infert: »Melius dicitur quod personae seu hypostases distinguantur relationibus quam per originem. Licet enim distinguantur utroque modo, tamen prius et principalius per relationes *secundum modum intelligendi.*« Ceterum cum in persona Patris prorsus identificentur actus notionalis (gignere), origo (generatio) et relatio (paternitas), inaniter quaeritur, quid horum sit prius, vereque dicitur, Pater est quia generat, et vicissim generat quia Pater est, cum unum sit de ratione alterius: sicut dicere licet, Petrus homo est, quia est animal rationale: et vicissim Petrus est animal rationale, quia est homo. Cf. s. Thomas compendii c. 63, ubi docet: »Si in Patre attendatur, quod subsistens persona est, dici potest, quod quia Pater est generat. Si autem attendatur, quod relationis est, e converso dicendum videtur, quod quia generat, Pater est.« Cf. Billiot th. 36.

220. De notionibus quinque egimus n. 197[2]. Ab his distingui debent actus notionales, qui sunt actus non communes (hi enim dicuntur essentiales), sed proprii personarum divinarum, et tales actus sunt duo, gignere seu dicere et spirare; qui ita se habent ad actus essentiales, ut personae divinae ad essentiam. Sicut enim personae divinae notione includitur essentia atque character personalis, quo illa affecta et subsistens concipitur: ita actus notionalis includit actum essentialem, sed charactere personali affectum. Cf. n. 210; Becanus c. 1 q. 2 n. 5.

221. **Quaestio IX.** *Quaenam sint nomina propria divinarum personarum?* **1.** Personae primae proprium est nomen *Patris,* quod singulari excellentique ratione eidem competit, ut praeclare docet Gregorius naz. or. 25 (al. 30) n. 16: »Patrem (dicimus) vere Patrem ac multo quidem verius, quam qui apud nos id nomen obtinent: tum quia proprio et singulari modo Pater est, non autem sicut corpora; tum quia solus (sine matre), non enim ex conjunctione; tum quia solius, nempe Unigeniti; tum quia solum, nec enim prius quam Pater esset, filius fuit; tum quia in totum Pater et totius, quod de nobis certe affirmari nequit; tum quia ab initio, nec enim posterius Pater esse coepit. Filium vere Filium, quod et solus sit et solius et singulari modo et solum (μόνος καὶ μόνου καὶ μόνως καὶ μόνον).« Quare ex Patre coelesti *omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* Eph. 3, 15; eoque nomine maxime ejus manifestatur gloria Jo. 17, 4 s. Unde »si quis negaret Deum creasse mundum, non est dubium, quin intolerabiliter blasphemaret. Cum igitur incomparabiliter major sit gloria ipse Filius Genitori suo, quam mundus creatori et tanto utique major, quanto ipse Filius major est mundo: a parte incomparabilitatis nequius blasphemat, qui negat Deum Patrem genuisse Filium, quam qui negat eum creasse mundum.« Ita Guilelmus paris. de fide c. 3.

2. Patri convenit nomen *ingeniti,* quod arianorum disputationibus factum est celeberrimum: de quo notetur: **a.** illud quidem a patribus graecis promiscue dici ἀγένητον et ἀγέννητον; tamen **b.** »Sciendum est, inquit Damascenus F. O. I, 8 n. 31, vocem ἀγένητον per unicum ν scriptam significare quod increatum est, sive quod non est factum; et vox ἀγέννητος duplici ν scripta significat quod non est genitum . . . Quantum igitur primam significationem attinet, communis est tribus sanctae Divinitatis hypostasibus divinissimis vox ἀγένητος. Ejusdem enim substantiae sunt et increatae. Quantum autem ad secundam, non item. Solus enim Pater ingenitus est: non enim ab alia persona habet ut sit.« **c.** Triplici sensu a patribus adhiberi hoc nomen: vel ut negetur tantum productio per creationem, et ita nomen esse commune; vel ad excludendam omnem productionem, omnem originem, et sic esse solius Patris; vel formaliter ad excludendam solam originem per generationem, et sic commune esse Patri et Spiritui sancto. Denique **d.** contra eunomianos constanter inculcare patres, nomen hoc non secundum substantiam dici, sed referendum esse inter nomina relativa, quia de Patre negat relationem. Cf. Petavius V, 4. 5; Thomassinus c. 10 s.

222. *De nominibus secundae personae.* Plura sunt nomina secundae personae: hinc scribit s. Thomas 1. p. q. 34 a. 2 ad 3: »Ut ostendatur connaturalis Patri dicitur *Filius;* ut ostendatur coaeternus dicitur *splendor;* ut ostendatur omnino similis dicitur *imago;* ut ostendatur immaterialiter genitus dicitur *Verbum.* Non autem potuit unum nomen inveniri, per quod

omnia ista designarentur;« quae fere desumpta sunt ex s. Cyrillo al. de Trin. c. 10. Inter haec praecipuum est nomen Filii, de quo praeter dicta n. 135 prae oculis habeas, quae in ejus defensionem sancivit Pius VI. Improbat enim quae imprudentius exciderant synodo pistoriensi in decr. fidei § 2 hisce verbis: »Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum s.: quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum e praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronunciatus; ac non potius retinendum esset, quod edoctus ab Augustino angelicus praeceptor vicissim ipse docuit (1. p. q. 34 a. 2 ad 3) »in nomine Verbi eandem proprietatem importari quae in nomine Filii,« dicente nimirum Augustino (de Trin. VII, 2) »Eo dicitur Verbum quo Filius.« Hactenus Pius VI.

223. *De nomine Verbi.* Aliud Filii nomen illudque admodum significans est nomen Verbi: de quo haec ex ordine statuimus: **1.** Nomen ὁ λόγος a s. Joanne Filio tributum et eo magistro atque duce a patribus utpote aptissimum ultro frequentatum per se multiplicis esse potestatis. Significat enim **a.** rationem, a qua rationales dicimur; vel **b.** causam (rationem), quae redditur rei cujuspiam; vel **c.** essentiam rei ac ejus definitionem; atque etiam **d.** ideam archetypam, secundum quam quid fit, rationem rei; praeterea **e.** supputationem. Praecipue vero ad rem nostram est **f.** significatio, qua designat sermonem tam interiorem, quem *verbum* proprie dicere solemus, quam interioris interpretem, qui sermo vel oratio magis appellatur; unde derivatur distinctio λόγον ἐνδιάθετον et προφορικόν seu λόγον τὸν ἔνδον et λόγον τὸν ἔξωθεν; atque ideo **g.** significat subinde doctrinam 1. Tim. 3, 1; Tit. 3, 8.

2. Pluribus de causis Filius dici potest Patris λόγος, ut significavit Gregorius naz. or. 30 n. 20: »Verbum (λόγος) appellatur (Filius), quia sic se habet ad Patrem, ut πρὸς νοῦν λόγος, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre vimque enunciatricem (διὰ τὸ ἐξαγγελτικόν). Fortasse etiam quis dixerit, eodem modo se habere ad Patrem, quo definitio ad definitum (ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον): nam definitio quoque λόγος dicitur: qui enim Filium cognovit, ait Christus (hoc enim significat idem ac *vidit* Joan. 14, 7), etiam Patrem cognovit, ac brevis et compendiosa facilisque naturae paternae declaratio Filius est. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit. Quod si quis etiam, quia rebus inest omnibus, λόγον appellari velit, a ratione non aberrabit. Quid est enim quod non Verbo conditum sit?« Tamen ex omnibus nominis interpretationibus ea maxime propria est ac recepta, cum de Filio loquimur, qua λόγος idem est ac *verbum* [1]).

---

[1]) Minus apte λόγος redditur *sermo*. Non negamus quidem apud Tertullianum, Novatianum, Cyprianum, Lactantium etc. nomen *Sermonis* frequenter Filio tribui, imo etiam, sed rarius, a nonnullis patribus, qui post concilium nicaenum floruerunt; tamen cum jam usu ecclesiastico universali consecratum sit nomen *Verbi,* temere cum Erasmo, Piscatore, Beza etc. poneremus in Evangelii Joannis initio iterum nomen *Sermonis.*

3. Multiplex est secundum patres analogia inter verbum mentis nostrae et Filium Verbum. Sicut enim **a.** verbum nostrum per intellectum gignitur, ita Filius a Patre per intellectum est genitus (n. 203); ideoque **b.** sicut verbum sine mente intelligi nequit, neque haec, quatenus est dicens, sine verbo: ita neque Verbum Filius absque Patre, neque Pater absque Filio Verbo. »Prodit enim, inquit Cyrillus alex. dial. 2 pag. 451, ex mente verbum. Cum autem sit mens, quia verbum habet, ac verbum vicissim, quia mente plenum est; quo pacto demum censebitur esse mens absque verbo, verbum autem absque mente?« Cf. n. 190[3]. Sicut **c.** verbum rei cognitae expressa et formata est imago, ita Verbum est speculum sine macula paternae gloriae. Sicut **d.** verbum e mente genitum in mente manet, ita Verbum semper est apud Patrem, imo et in sinu Patris Jo. 1, 18. Sicut **e.** verbum citra corruptionem purissime e mente prodit, ita Filius purissime et citra corruptionem ullam a Patre est genitus. »Verbum dicitur, inquit Nicetas de div. appell. D. N. J. Chr. (Mig. 52, 864), vel quod impassibiliter genitum sit a Deo Patre, vel quod sine diminutione paternae substantiae ejus exstiterit generatio. Nam nec homo diminutionem aliquam pati videtur, cum verbum emittit.« »Quemadmodum **f.** inquit Damascenus F. O. I, 6, verbum nostrum a mente gignitur, nec idem omnino est, quod ipsa mens, nec plane diversum (nam cum a mente proficiscitur, aliud est quam mens, et cum mentem ipsam indicat, non est prorsus ab illa diversum, sed cum sit unum natura, aliud tamen subjecto ὑποκειμένῳ est): quatenus propria subsistit persona ab eo distinguitur, a quo genitum est; quatenus autem illa in se exprimit, quae cernuntur in Deo, unum natura cum Deo est.« Sicut denique **g.** homo nil facit nisi praeeunte verbo, etsi verbum esse potest, quod non sequatur opus: ita secundum Augustinum de Trin. XV, 11: »Verbum Dei potuit esse nulla exsistente creatura, creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia.«

4. Multiplex tamen discrimen etiam est juxta patres inter Verbum Deum et nostrum verbum. Nostrum enim non est substantiale, sed accidens, multiplex pro varietate objectorum, quae cognoscimus, volubile, per se inefficax, temporale etc., quae de illo Verbo dici nequeunt. Notetur vero illud discrimen, quod nos producimus verbum ut intelligamus, hinc verbo constituimur intelligentes, Pater vero producit Verbum quia intelligit, eoque non constituitur formaliter sapiens; nos illud producimus ex indigentia, Pater ex abundantia et fecunditate Verbum dicit et profundit. Cf. Anselmus Monol. c. 11 et 60 cum annot. opusc. XXVIII, 153; Thomas de differentia divini Verbi et humani; c. gentes IV, 13.

5. Conferunt patres Verbum etiam cum verbo προφορικῷ prolatitio, non tamen quatenus hoc est merus sonus, sed quatenus internum verbum in se complectitur et exprimit: tum quia **a.** Sabellius similitudine verbi ἐνδιαθέτου abutebatur, qua de re cf. Basilius hom. 21 n. 1; tum quia **b.** verbum externum notius est interno; tum quia **c.** saepe ad illam Filii proprietatem respiciunt, qua Patris est manifestatio, legatus, nuncius, interpres: de qua ratione plura habet Dionysius alex. in sua apologia ad Dionysium romanum (apud Athanasium de sententia Dionysii n. 23), ubi inter alia scribit: »Et mens quidem est quasi verbum immanens, verbum vero quasi mens prosiliens. Mens in verbum transit, verbum autem mentem in circumstantes auditores transmittit, sicque mens per verbum in animis auditorum insidet simul in-

gressa cum verbo. Ac mens quidem quasi pater est verbi in seipsa exsistens, verbum autem velut filius mentis neque ante ipsam, neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa exsistit, a qua germen et originem sumpsit; eodem quoque modo Pater maximus et mens universalis ante omnia Filium habet Verbum ac sermonem sui ipsius interpretem et angelum.« In primis vero **d.** hac comparatione delectantur ad illustrandam Verbi incarnationem. Ita Gregorius nyss. de eo quid sit ad imaginem Dei (Mig. 44, 1334): »Generatur in corde verbum generatione quadam incomprehensibili et incorporea manetque intus incognitum, ac secunda generatione corporea per labia generatur tumque omnibus innotescit: ab anima tamen, quae ipsum genuit, non avellitur, ut per duplicem verbi nostri generationem manifeste duas Dei Verbi generationes secundum imaginem et similitudinem ediscamus. Genitus enim est invisibili et inexplicabili atque incomprehensibili ratione ex Patre ante secula, eratque incognitus tamquam in anima quadam apud Patrem, quousque tamquam ex corde quodam ex s. Virgine sine corruptione, sine semine secundum carnem generatus est mundoque se prodidit nihil ab occulta Dei genitoris paterna substantia separatus [1].«

6. Denique minus proprie Spiritus s. Verbum dicitur Filii. »Quod vero Basilius, inquit s. Thomas 1. p. q. 34 a. 2 ad 5, interpretatur Verbum pro Spiritu s., improprie et figurate locutus est, prout verbum alicujus dici potest omne illud, quod est manifestativum ejus, ut si ea ratione dicatur Spiritus s. Verbum Filii, quia manifestat Filium.« Multo vero minus dicere Filium licet Verbum de Verbo, quamvis haec formula apud s. Ambrosium teste Petavio de Trin. VI, 3 § 4 occurrat, ut docet Augustinus de Trin. VI, 2: »Hoc solum de eis dici non potest illud de illo, quod simul ambo non sunt, sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non sunt simul ambo Verbum, sed solus Filius.« Graece facilius dici potest λόγος ἐκ λόγου, quia λόγος saepe rationem significat; dici autem potest Filius ratio de ratione sicut sapientia de sapientia [2].

224. Filio etiam nomen *imaginis* tribuitur. Ad imaginis rationem tria requiruntur: scil. similitudo, origo (ideoque Pater dici nequit, non obstante summa similitudine, imago Filii), et quidem similitudo vi originis et productionis. Quare Spiritus s., si accurate loqui velimus, dici nequit imago Patris et Filii. Quod ita praeclare expressit s. Thomas opusc. c. err. graec. c. 10: »Possumus quidem dicere Spiritum s. esse imaginem Patris et Filii, ita quod

---

[1]) Canone 8, quo patres concilii sirmiensis contra Photinum statuunt: »Si quis insitum et verbum prolatitium Dei Filium dicat, A. S.« (cujus secundum incisum patres quoque concilii romani sub Damaso in expositione fidei ad orientales approbant), excluditur προβολή Valentini (cf. Hilarium de Trinit. VI, 9), qua vera negatur Filii generatio, ut praeclare exponit idem Hilarius de synodis n. 46: »Haeretici perimentes quantum in ipsis est Dei Filium, verbum esse tantum confitentur, prodeuntem scil. loquentis ore sermonem et insubstantivae vocis incorporalem sonum: ut Deo Patri istiusmodi sit verbum Filius, cujusmodi per insitam nobis loquendi naturam verbum omne profertur in vocem. Fraus ergo haec omnis in damnatione est quae Deum Verbum, quod in principio apud Deum erat, tamquam verbum esse insitae ac prolatae vocis affirmet.«

[2]) De nomine *Sapientiae*, quod saepe Filio tribui a patribus solet, cf. Thomas c. gentes IV, 12; Scheeben l. 2 n. 801 ss.

per imaginem nihil aliud intelligatur quam exsistens ab alio et ejus similitudinem gerens. Si autem per imaginem intelligatur aliquid exsistens ab altero ex ipsa suae originis ratione habens quod similitudinem gerat ejus, a quo exsistit... sic solus Filius dicitur imago. De ratione enim filii est, quod similitudinem patris habeat in quacunque natura. Et similiter de ratione verbi est... Sed non est ratione spiritus vel amoris, quod sit similitudo ejus cujus est in omnibus; sed hoc in Spiritu Dei verificatur propter divinae essentiae unitatem et simplicitatem, ex qua oportet quod quidquid est in Deo, sit Deus.« Duo praeterea in imagine dist;ngui debent, scil. duo termini distincti, qui referuntur ad invicem quique materiae vice funguntur, et quaedam unitas seu identitas, in qua conveniunt, qua imaginis ratio formalis continetur. Haec normae instar est, e qua pendet imaginis perfectio; hinc imago eo perfectior erit, quo magis accedit ad identitatem. Si ergo quaeritur, quis sit imago? dicendum est, Filius; si quaeritur, cujus sit imago? dicendum est, Patris, non essentiae vel proprietatis personalis Patris. Si quaeritur ratione cujus, seu secundum quam rationem dicatur imago? respondere non licet, ratione personalitatis, sed ratione naturae. Quod etiam docent patres, qui vel inde probant Filium veram esse Patris imaginem, quod est genitus, quod consubstantialis, quod omnia, quae sunt Patris (paternitate excepta) habet; vel ex eo, quod Filius est Patris imago, inferunt ejus cum Patre aequalitatem, aut ejus divinitatem, quae omnia respiciunt substantiam. Cf. Thomas lect. 4 in ep. ad Col. 1; Petavius VI, 5 ss.

225. *De nominibus tertiae personae.* — Tertia persona divina pluribus designatur nominibus, inter quae eminent tria: *Spiritus sanctus, amor, donum:* ad quae reliquà facile revocantur. Verum haec ipsa non sunt ita propria, ut nomina Patris et Filii, sed tantum certo quodam sensu, per se enim sunt nomina communia. Ita Spiritus nomen, si vel idem significaret quod spiratus vel id, quod spirando producitur, halitus πνεῦμα, nomen esset proprium; si vero significatione accipitur nunc vulgata, qua designat substantiam spiritualem, nomen est tantum appropriatum, eo quod tertia persona sua processione maxime manifestat Dei spiritualitatem. — Pariter si nomine amoris significetur amor spiratus, nomen est proprium, secus appropriatum. Cf. Thomas in 1. d. 10 q. 1 a. 1 ad 4. — Si nomine doni intelligitur donum a donante distinctum, nomen est proprium tam Filii quam Spiritus s.; magis tamen Spiritui s. appropriatur, quia ipse per voluntatem et amorem procedit, voluntatis autem et amoris proprium est dona largiri. — Quo sensu Spiritus s. dicatur communio et conjunctio Patris et Filii, ita explicat Petavius VII, 12 § 8: »Quia terminus est mutuae dilectionis, in quem ambo conspirant et eatenus ab ambobus producitur, qua unum idemque sunt principium. Cum igitur in Spiritus s. processione personae duae unius principii rationem habeant et unicus ex ambobus terminus et fructus exsistat, merito amborum unitas et communio vocatur.« Cf. s. Thomas 1. q. 37. 38; Scheeben § 121 s.

226. **Scholion.** *De nomine Dei.* — Nomen Deus significat naturam divinam cum adsignificatione per se indeterminata subsistentiae sive in una, sive in altera, sive in tribus personis; hinc supponere [1]) pro Patre etc. seu designare

---

[1]) *Significare,* inquit Franzelin th. 3, dicitur nomen id, ad quod designandum ex sese institutum est. Quando vero ratio significata reperitur in pluribus di-

potest vel Patrem vel Filium vel Spiritum s., vel duas personas (ut cum dicitur: Deus spirat Spiritum s.), vel omnes tres personas, quod ex praedicatis seu adjunctis est colligendum. Cum vero nomen Deus directe significet naturam divinam, quae non multiplicatur pro numero personarum, quamvis singulae personae dicantur Deus, non licet tres personas dicere tres Deos. Quare „nomen Deus, ut docet s. Thomas in 1. d. 4. q. 1 a. 2 ad 3, proprie loquendo nec est universale, nec singulare; sed habet aliquid de ratione universalis, scil. quod praedicatur essentialiter de pluribus suppositis et inde habet, quod ea, quae praedicantur de singulis suppositis, praedicantur de ipso; habet autem de ratione singularis hoc quod non multiplicatur ad multitudinem suppositorum ... et ex parte ista habet hoc nomen Deus, quod negatio et affirmatio opponuntur contradictorie: unde sicut istae non possunt simul esse verae: Socrates currit et non currit, ita nec istae: Deus generat et non generat.«

Caput IV.

Regulae nonnullae loquendi de sanctissimo Trinitatis mysterio.

227. Prae oculis habenda sunt Augustini de civ. Dei X, 23 verba: „Liberis verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem.“ Quasdam loquendi regulas jam attigimus n. 207; 208; 226; quibus addantur:

1. abstinendum est a vocabulis, quae sive naturae multiplicationem supponunt, sive personarum pluralitatem excludunt. Quare non est dicendum, ter Deus, Deus in tribus personis distinctus, ut declaravit Pius VI. reprobans hunc loquendi modum synodi pistoriensis; neque, Pater unus vel solus est Deus; potest tamen dici Deus trinus, quia praedicatum trinus non rem, sed tantum rei modum multiplicat; non vero Deus triplex, sed ut videtur potius quia haec formula non est in usu.

2. Cavendum est, ne personarum distinctio negetur vel inducatur earum ab invicem separatio, seu cavendum est, ne personae confundantur, ut si diceretur: Pater est idem (genere masculino) ac Filius, sive Pater et Filius sunt unus (nisi addatur Deus): neque licet eas ab invicem dividere, ut dicatur: Filius est diversus a Patre, est portio Patris. Cf. Thomas de pot. q. 9 a. 8. Vocat quidem Tertullianus Apol. c. 21 Filium ‚portio-

---

stinctis, potest nomen applicari uni determinato ex illis pluribus, et tum pro hoc determinato ex illis pluribus dicitur nomen *supponere*. Sic in propositione: homo vivit, significatio nominis *homo* non est alia sive eam enuncies in communi sive de Petro; significat enim semper animal rationale, sed in secunda hypothesi supponit pro una singulari persona.« Quare significatio (Bedeutung) respicit objectum, suppositio (Bezeichnung) vero subjectum.

nem ex summa': sed eodem sensu, quo et Tatianus or. adv. gr. n. 5 scribit: „Natus est autem Filius per communicationem, non per abscissionem." Hinc ipse adv. Marc. II, 6 Filium, quem dicit portionem, plenitudinis consortem affirmat. Cf. opusc. XIX, 107 annot.

3. Nomina relativa **a.** non praedicantur de se invicem, quia sibi opponuntur realiter, unde dici nequit: paternitas est filiatio, vel Pater est Filius; in sensu identico **b.** praedicantur essentialia abstracta tam de se invicem, quam de abstractis relativis, quia sensus identicus ad statum pertinet realem, in quo essentia cum praedicatis omnibus identificatur, et abstracta essentialia supponunt pro natura. Qua ex ratione **c.** etiam abstracta tam essentialia quam relativa praedicantur de concretis essentialibus. Hinc dici potest: bonitas est sapientia, paternitas est omnipotentia (qui tamen modus loquendi nunquam obtinet), Deus est omnipotentia, Deus est paternitas (modus omnino insolitus loquendi). Regula scil. ea est hic servanda, ut quo major est distinctio rationis inter duos conceptus, qui de Deo praedicantur, eo minus convenit eos de se invicem praedicare, quamvis a parte rei sint unum idemque.

4. De actibus notionalibus tenenda sunt: **a.** eos proprie de personis, quibus conveniunt, praedicari, non vero **b.** de proprietatibus essentialibus in abstracto, quia actus tribuuntur suppositis; atqui nomina abstracta non supponunt pro personis i. e. adhiberi non solent ad designandas personas, sed potius supponunt pro natura. Quocirca dici nequit: divinitas vel omnipotentia generat, bonitas spirat. Quod si subinde patres actus notionales de nominibus abstractis enunciant, locutio minus est propria et exacta, atque benigne est interpretanda. Cf. exempla apud s. Thomam contra errores graec. l. 1 c. 4, 5; 1. q. 39 a. 5. Quare si apud ipsos legimus, sapientiam genuisse sapientiam, vel Filium esse sapientiam de sapientia, lumen de lumine, propositio ita est explicanda: Pater, qui est ipsa sapientia, genuit Filium, qui utpote Deus est etiam ipsa sapientia. Cum vero **c.** nomina essentialia concreta supponere possint pro personis, ideo licet de illis actus notionales affirmare, non vero simpliciter negare. Quare sicut dicitur: omnipotens factus est homo, mortuus est, ita dici poterit: omnipotens genitus est; non vero, omnipotens non est genitus. Cf. Thomas 1. q. 39 a. 4. Actus **d.** essentiales, qui scil. consequuntur essentiam communem, ut intelligere, creare etc. possunt etiam de abstractis essentialibus enunciari, unde dicere licet, omnipotentia creat, justitia punit; quod tamen illimitate non est faciendum, ut dicatur: aeternitas vult, voluntas intelligit (cf. n. 47): sed haec praedicandi ratio coarctanda est ad illas proprietates nominibus abstractis expressas, quae relationem includunt ad ejusmodi actus, seu designant illam perfectionem, quae est principium formale illius actus.

Hinc e. cum proprietates personales sint principium formale actuum notionalium, non est dicendum, Paternitas creat, intelligit. Cf. Kleutgen q. 2 c. 5.

228. *De appropriatione.* — Denique appropriatio κόλλησις est modus loquendi, quo quaedam sive operationes sive attributa tribus alioquin personis communia tribuuntur specialiter uni personae prae aliis. Hanc loquendi rationem in Ecclesia Dei obtinere supra omne dubium est, ut patet ex divinis literis, ex omnibus symbolis, in quibus omnipotentia et creatio appropriantur Patri, mira Christi conceptio Spiritui sancto; patet ex patrum scriptis et recepto vel in liturgia usu. Neque tamen appropriatio est exlex, cum non liceat pro lubitu appropriare quaevis attributa cuilibet personae: sed ea fundatur in quadam speciali attributi vel operationis essentialis aptitudine ad manifestandum alicujus personae characterem proprium propter congruentiam quandam et analogiam cum eadem proprietate. Quod ita perspicue expressit s. Thomas de ver. q. 7 a. 3: »Appropriare nihil est aliud, quam commune trahere ad proprium. Illud autem quod est commune toti Trinitati, non potest trahi ad proprium alicujus personae ex hoc, quod magis uni personae quam alii conveniat; hoc enim aequalitati personarum repugnaret; sed ex hoc, quod id quod est commune, majorem habet similitudinem ad id, quod est proprium personae unius quam cum proprio alterius: sicut bonitas habet quandam convenientiam cum proprio Spiritus s., qui procedit ut amor (est enim bonitas objectum amoris); et similiter potentia appropriatur Patri, quia potentia in quantum hujusmodi est quoddam principium: Patri autem proprium est esse principium totius divinitatis; et eadem ratione sapientia appropriatur Filio, quia habet convenientiam cum proprio ejus; procedit enim Filius a Patre ut Verbum, quod nominat processionem intellectus.« Cf. 1. p. q. 39 a. 7. 8.

Scopum appropriationis egregie aperit s. Leo serm. 76 n. 2: »Hujus b. Trinitatis incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, aequalis in gloria. De qua cum s. Scriptura sic loquitur, ut aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur, ut per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quaedam sive sub Patris, sive sub Filii, sive sub Spiritus s. appellatione promuntur, ut confessio fidelium in Trinitate non erret: quae cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, et per infirmitatem nostram coelestis doctrina nos adjuvat: ut quia in deitate Patris et Filii et Spiritus s. nec singularitas est, nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera Trinitas possit quidem mente simul aliquatenus sentiri, sed non possit simul ore proferri.« Cf. Franzelin th. 13; Scheeben § 124.

229. **Corollarium practicum.** *Argumentum concionum.* Quod si quis quaerat, qua ratione hujus disputationis materies in concionum usum possit converti, liceat nobis aliquas hunc in finem suggerere ideas.

I. Copiosam concionibus habendis segetem praebebunt singula Dei attributa, quem in finem maxime consulendus est Lessius de divinis perfectionibus ll. 14, qui fructum practicum ex illorum consideratione colligendum praeclare operis cursu data opera assignat. Summae autem utilitatis est

populo christiano, etiam pro vita practica, ut ipse quam sublimissima de Deo singulisque ejusdem perfectionibus imbuatur idea: quo vividiori enim quis imbutus est sensu majestatis Dei, eo profundiores excitabuntur effectus reverentiae, admirationis, amoris etc., alacrius studium Deo placendi, fugiendi peccatum etc. Quare ejusmodi conciones impense sunt commendandae. Quaedam innuimus n. 27. 55. 70. 96[4]. 99. 100 etc. 112; 115—17; sed uberem messem reperies in Rogacci († 1719) op. L'Uno Necessario, in varias quoque linguas verso (in germanicam a Bern. M. Lierheimer, Ratisbonae 1857); brevius et succincte in opusc. s. Thomae quondam attributo de moribus divinis ed. parm. XVII, 285 ss.

230. **II.** Ut jam ad mysterium ss. Trinitatis accedamus, adumbrata **a.** ejusdem incomprehensibili sublimitate, scil. Patris majestate, quem seraphim velata facie sanctum proclamant et adorant Is. 6, 2, Filii perfectione, qui est splendor paternae gloriae Hebr. 1, 3 (136 a.), speculum sine macula majestatis Patris Sap. 7, 26, omnia portans verbo virtutis suae (n. 137[1]), Patri per omnia aequalis, et Spiritus sanctitate, qui omnis sanctitatis uberrimus est fons: admiranda est **b.** ineffabilis humanitas Dei, qua ita ad creaturas rationales descendit, ut eas ad se attrahat, elevet, intimum nobiscum inire velit commercium et familiaritatem, imo et affinitatem. Inserimur enim propemodum familiae divinae, recipimur in ss. Trinitatis sinum. Reddimur enim gratia Dei Patris filii, fratres et coheredes Unigeniti, templa, imo et sponsae s. Spiritus. Quare **c.** ut filios Dei cogitare, loqui, operari, nos gerere oportet memores hujus nobilitatis divinae; ut fratres Christi nos ad ejus exemplar refingere debemus. *Sicut* enim *portavimus imaginem terreni* (Adami), *portemus et imaginem coelestis* 1. Cor. 15, 49. Ut templa s. Spiritus glorificare et portare Deum vel in corpore decet (ib. 6, 20); ut sponsas castissimo in eum ferri amore.

231. **III.** Alia quoque ratione licet illustrare intimam ss. Trinitatis nobiscum miseris creaturis et insuper peccatoribus relationem, qua nos ad se et in se attrahere nititur. *Sic enim* **a.** *Deus* (*Pater*) *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* Jo. 3, 15, illam scil. vitam aeternam, qua ipse est beatus Matth. 25, 21; dedit nobis eum, ut esset nobis et via et vita et veritas Jo. 14, 16; ut cum illo omnia nobis donaret Rom. 8, 32. Sic nos **b.** dilexit Filius, ut nascens se daret in socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans in praemium (in hymno ad laudes off. de ss. Sacramento). **c.** Spiritus vero sanctus undique adjuvat nostram infirmitatem Rom. 8, 26, delet peccata, refingit nos in filios Dei, diffundit charitatem in cordibus nostris Rom. 5, 5, ut clamare possimus: Abba, Pater Gal. 4, 6; estque pignus hereditatis nostrae Eph. 1, 14. Fructus **d.** hujus considerationis sit, ut tot tantisque donis grato promptoque occurramus animo, ne in vacuum Dei gratiam recipiamus 2 Cor. 6, 1; iis cooperando intentioni benefactoris respondeamus, fructus ex ipsis intentos reportemus, qui maneant in aeternum.

232. **IV.** Momentum mysterii ss. Trinitatis colligimus **a.** ex dictis n. 129; colligimus **b.** inde quod sicut ordo naturalis fundatur in Deo uno, hunc manifestat, ad hujus fruitionem solum ducit (adeo ut in beatitudine mere naturali nunquam innotesceret creaturis rationalibus hoc mysterium): ita ordo supernaturalis et gratiae nititur huic mysterio, ducit recte ad ss. Trinitatis

visionem et fruitionem, *haec est* enim *vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti J. Christum* Jo. 17, 3; continetur manifestatione hujus mysterii non solum theoretica per revelationem et fidem, sed et practica, quatenus adoptamur in filios regeneratione, qua vita divina ad nos usque propagatur: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me* Jo. 6, 58, et qua reddimur consortes naturae divinae (2. Petr. 1, 4) per inhabitationem s. Spiritus. Hinc **c.** fides in tantum mysterium quam maxime necessaria; hinc baptismus, quo inserimur habitualiter ordini supernaturali, nonnisi sub invocatione ss. Trinitatis vim habet et efficaciam (n. 168); hinc glorificandus Pater per Filium in s. Spiritu (n. 167[b]), hinc omnis vita christiana et actio initianda signo crucis, quo signantes frontem, os et pectus dicimus in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Hoc ipso autem **d.** monemur, illud esse colendum mente per fidem vivam, ore per ejusdem professionem alacrem, corde per amorem operosum, illudque dominari debere vitae universae christianae. Cf. Scheeben Mysterien § 25 s.

233. **V.** Mysterium ss. Trinitatis inde quoque celebrari potest, quod fides in ipsum exigit **a.** nobilissimum mentis obsequium, imo et sacrificium; protulit **b.** fructus laetissimos; reportavit **c.** victorias gloriosissimas.

a. Exigit mentis sacrificium: exigit enim firmum mentis assensum in veritatem, quae est praeter omnem rationem, cum nullus philosophorum, imo nec angelus ex se illam reperiret (n. 201); quae est supra omnem rationem, cum doctorum nullus eam, etiam postquam revelatione innotuit, vel minima ex parte comprehendat; est contra rationem, quatenus adversari videtur primis ejusdem principiis (n. 200).

b. Protulit laetissimos fructus mentis: quantum enim fuit hujus mysterii fide notio Dei expolita, limata, perfecta, nobilitata, sublimata; fructus voluntatis, aucta enim cognitione Dei roboratur et voluntas in omnem ejusdem cultum et obsequium; hinc videmus christianos quo magis hac imbuuntur fide, eo magis quoque esse Dei adoratores in spiritu et veritate Jo. 4, 23; eo fideliores servos in omnem Dei nutum paratos; fructus cordis, tenerum amorem filialem in Deum Patrem, obsequiosum ad sanguinis usque profusionem in Deum Filium, castissimum, qui horreat vel peccati umbram, in Spiritum s. animarum sponsum.

c. Reportavit victorias gloriosas sibi subjiciens mentes vel doctissimorum virorum, trahens ad se corda tot hominum, qui antea coluerunt idola deditique erant omni vitiorum generi.

Tractatus VI.

De Deo Creatore.

234. Postquam Deum consideravimus in se, ad considerationem operationum ejusdem ad extra transeamus, et primum quidem ad creationem, reliquarum omnium initium et fundamentum. Porro duo spectari possunt, ipse creandi actus secundum omnia sua adjuncta et creationis terminus seu effectus: quare bifariam patet disputatio.

PARS I.

De creationis actu.

235. *Varii de mundi origine errores.* — De universarum rerum origine diversi viguerunt vigentque adhuc errores. Alii enim opinantur, mundum ab aeterno exstitisse: alii ejus exsistentiam casui adscribunt; alii ejus originem explicant sive per substantiae omnium primae et indeterminatae jugem ac necessariam formationem et explicationem, qua ideale a reali, subjectum ab objecto dirimatur atque sibi velut opponatur; sive per jugem ab unitate apostasiam; sive per quandam emanationem; sive per limitationem τοῦ esse infiniti. Alii rejectis pantheismi theoriis materiam tuentur aeternam, quam Deus in ordinem tantum redegerit: quae omnes opiniones (cf. s. Thomas expos. symb. n. 6) adversantur sanae rationi et fidei catholicae; nam conc. lateranense IV. profitetur in c. 1 ‚Firmiter': „Unum universorum principium creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam;" quae iterum inculcat conc. vaticanum sess. 3 damnans simul contrarios errores cap. 1 et can. 1: „Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, A. S.;" can. 3. 4 (n. 49)

can. 5: „Si quis non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas, A. S."

236. Summi autem momenti et vere fundamentale est creationis dogma: eo enim negato praeter gravissimos errores circa Deum (n. 241), omnia nutabunt, quae revelatio et ratio statuunt de absoluta hominis a Deo dependentia, de hominis fine in Deo constituendo, ordo ethicus, religiosus et eudaemonicus: eo autem admisso omnia miro perfunduntur splendore et tot dubia circa hominem clarescunt. Unde mirum esse non debet, incredulorum conatus omnes nostra aestate adversus hanc in primis dirigi veritatem.

237. **Thesis CXIX.** ***Deus rerum universitatem omnipotenti sua virtute ex nihilo creavit.***

Declaratio. Verbum creare, quod apud veteres significat generatim facere, vel gignere (unde procreare filios), vel suffragio eligere (hinc creare consules): apud christianos propriam quandam illisque incognitam induit significationem, cum non quamlibet designet productionem, sed eam quae unius Dei est propria, cujus terminus *a quo* non est aliqua materia praejacens, sed nullus; et cujus terminus *ad quem* seu effectus non est mera modificatio, modus, sed ipsa substantia seu totum esse; quocirca creatio ratione termini a quo dicitur productio ex nihilo, ratione termini ad quem dici potest οὐσίωσις, substantiatio. — Cum vero dicitur productio ex nihilo [1]), non affirmatur, nihilum esse causam materialem; sed haec potius penitus excluditur simulque ordo significatur, quo rei exstantia excipit ejusdem non esse ut cum dicitur ex nocte fieri diem. Duplex autem distinguitur nihilum, nihilum sui et nihilum subjecti, pro duplici elemento, quod in rebus creatis (saltem in materialibus et compositis) distingui potest, materia scil. et forma. Si materia, unde res fit, exsistit ac nova tantum inducitur forma, res dicitur fieri ex nihilo sui, non vero ex nihilo subjecti. Si vero etiam ipsa materia producitur, res dicitur fieri ex nihilo sui et subjecti: et haec est proprie dicta creatio. Dividi tamen solet creatio in primam et secundam: illa effectione ipsius materiae ex nihilo continetur; haec vero operatione, qua materia ex nihilo creata formatur, hinc productione rerum ex materia iam condita.

238. **Demonstratio.** Nullum quidem exstat testimonium disertum et expressum in divinis literis, quo dogma catholicum explicite enuncietur, nisi forte 2. Mach. 7, 28, ubi mater fortissimorum fratrum machabaeorum filium natu minimum ita alloquitur; *Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Quia tamen morosus disputator forte excipiat, verba haec relata quidem esse ex divina inspiratione, non tamen constare, num mulier illa, etsi sancta, fuerit in loquendo inspirata, ea tamquam verbum Dei non urgemus. Ad ea tamen merito provocare possumus,

---

[1]) Cf. Thomas de pot. q. 3 a. 1 ad 7. Cf. de creationis notione bene disserentes Mazzella de Deo creante dis. 1 a. 1; Scheeben § 128; praeposteras notiones ab Ecclesia rejectas apud Denzinger Enchir. n. 1521 s.

quatenus insigne continent testimonium traditionis et fidei synagogae. Verum etsi desint testimonia diserta, suppetunt aequipollentia, quae invicte hanc veritatem comprobant.

239. Expendantur haec et similia Scripturae effata: Ex. 3, 13 s.: *Si dixerint mihi* (filii Israel): *Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* (cf. n. 27[2]); Is. 40, 15: *Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt: ecce insulae quasi pulvis exiguus;* v. 17: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei*; Sap. 11, 23: *Quoniam tamquam momentum staterae sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram;* Rom. 11, 16: *Qnoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia;* 1. Cor. 8, 6 (n. 162). Ex hisce enim colligimus **a.** Deum esse entis plenitudinem, qui merito dicitur ὁ ὤν, et quidem **b.** per excellentiam ad exclusionem aliorum, quae **c.** ipsi collata quasi nihilum reputantur; imo **d.** ita esse entis pelagus, ut sit simul fons inexhaustus totius esse extra et praeter ipsum, cum *ex ipso sint omnia.* Atqui admissa semel materia infecta, non esset fons, ex quo omnia nullo excepto; non distingueretur ab omnibus exsistendi necessitate, si materia esset aeque necessaria; non esset ὁ ὤν per excellentiam, prae quo reliqua evanescunt, si materia ab eo independens aeque de suo esse necessario posset gloriari. Acute igitur infert Tertullianus adv. Hermogenem c. 1: „Totum, quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo cuncta fecisse."

2. Expendantur Esther 13, 9: *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti coelum et terram, et quidquid coeli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuae;* Ps. 92, 9: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt;* Judith 16, 17: *Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti et facta sunt: misisti spiritum tuum et creata sunt, et non est qui resistat voci tuae;* Apoc. 4, 11: *Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt:* Ps. 88, 12 s.; 118, 91; Bar. 3, 33 s.; etc. Hinc enim edocemur, Deum **a.** non solum per excellentiam dici *regem regum et Dominum dominantium* 1. Tim. 6, 15, verum etiam ejus **b.** dominium, si extensionem spectes, plane esse universale, adeo ut omnia ei servire teneantur, nil se subtrahere, nil resistere ei possit; ejusque **c.** efficaciam tantam esse, ut solo nutu facere possit, quaecunque velit in coelo et in terra; ideoque **d.** vocari *omnipotentem* et ubique exhiberi ut sibi sufficientem. Ipsum autem **e.** ejus dominium in res exsistentes refundi in creationem. Atqui cum ejusmodi dominio absoluto prorsus et universali pugnat materia

infecta et aeterna, ac proinde independens; neque enim in hypothesi materiae infectae Deus pro lubitu facere posset, quae vellet: sed ea tantum, quae et quot illa permitteret.

Quare Tertullianus l. c. c. 3 ad rem ita disserit; „Cum neget materiam natam aut factam, sic quoque invenio Domini nomen Deo non competisse in materiam; quia libera fuerit necesse est, quae originem non habendo, non habuit auctorem, quod erat nemini serviens.“ Et iterum c. 8: „Atquin etiam praeponit (Hermogenes) illam (materiam) Deo et Deum potius subjicit materiae, cum vult eum de materia cuncta fecisse. Si enim ex illa usus est ad opera mundi, jam et materia superior invenitur, quae illi copiam operandi subministravit, et Deus subjectus materiae videtur, cujus substantiae eguit . . . Grande revera beneficium Deo contulit, ut haberet hodie, per quem Deus cognosceretur et omnipotens vocaretur etc.“ Cf. Origenes in Gen. 1, 12; Justinus cohort. ad graec. n. 23.

3. Aliud argumentum peti potest ex Is. 44, 24: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum;* 48, 12 s.: *Ego ipse, ego primus et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est coelos: ego vocabo eos, et stabunt simul;* Apoc. 1, 8: *Ego sum* A et Ω, *principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens.* Cf. v. 17; 21, 6.

Illud ita proponit Tertullianus c. 6: „Ego quidem Deus, contestabitur Deus et juravit nonnunquam per semetipsum, quod non alius sit, qualis ipse; sed mendacem eum faciet Hermogenes. Erit enim et materia qualis Deus, infecta, innata, initium non habens, nec finem. Dicet Deus: *Ego primus:* et quomodo primus, cui materia coaetanea est? Inter coaetaneos autem et contemporales ordo non est, aut et materia prima est. *Extendi,* inquit, *coelum solus:* atqui non solus, cum eo enim extendit de qua et extendit.“

4. Argumentum suppeditat nobis Moyses Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua* etc. Consideretur enim **a.** Moysen data opera describere cosmogoniam; hanc **b.** prorsus distare a cosmogoniis gentilium; discrimen vero **c.** haud ultimum illud esse, quod nullius materiae praeexsistentis mentio fit, cujus alioquin alibi (Gen. 2, 7. 19) mentionem facit [1]), sed statim narrationem

---

[1]) Hoc momentum ita urget Tertullianus l. c. c. 20: „Inde auctoritatem Scripturae mihi vindico, quod et Deum, qui fecit, et ea, quae fecit, ostendens, unde fecerit non proinde testatur. Nam cum in omni operatione tria sunt principalia: *qui facit* et *quod fit* et *ex quo fit,* tria nomina sunt edenda in legitima operis enarratione: persona factoris, species facti, forma materiae. Si materia non edetur, ubi et opera et operator edentur, apparet ex nihilo eum operatum. Proinde enim ederetur ex quo, si ex aliquo fuisset operatus. Denique Evangelium (Joan. 1, 1 ss.) . . . in quo vel eo magis debuerat ostendi Deus ex aliqua materia universa fecisse, quod illic etiam *per quem* omnia fecerit revelatur . . . Ita quod non fuit, non potuit Scriptura profiteri, et non profitendo satis probavit non fuisse, quia profiteretur, si fuisset.“ Et c. 22: „Si ergo ex jam factis rebus alias res Deus proferens ostendit per prophe-

inchoare a creatione; **d.** rerum universitatem, qua late patet, et aliis in locis ipsa secula, proinde omnem durationem, ipsas substantias spirituales, omnia sine exceptione exhiberi creationis divinae terminum: *Quoniam in ipso* (Filio) *condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt* Col. 1, 16; cf. Prov. 8, 22; Jo. 1, 3 (n. 153); Rom. 4, 17. Hinc sane inferendum est, Deum mundum nullatenus ex praejacente infectaque condidisse materia, sed condidisse ex nihilo; quo sensu nullo non tempore et synagoga (n. 238) et universum nomen christianum Moysis verba intellexit. Haec vero tam constans traditio exegetica de dogmate alioquin difficili et e diametro universae gentilium philosophiae opposito, quod tamen invaluit et praevaluit in universo orbe christiano, exclusis omnibus contrariis philosophorum opinionibus, evidens est argumentum, hunc genuinum esse Gen. 1, 1 sensum.

5. Confirmatur dogma catholicum traditione seu suffragio patrum.

a. Disertis enim verbis illud proponunt et inculcant veteres qua dogma fidei christianae. Ita jam Hermae Pastor docens l. 2 mand. 1: »Primum omnium crede, quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit et ex nihilo omnia fecit.« Quae Irenaeus laudat IV, 20 n. 2 tamquam verba Scripturae divinae, et commendat Athanasius de incarn. n. 3. — Ita Origenes Periarch. l. 1 praef. n. 4: »Species eorum, quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, istae sunt: Primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique cum nihil esset, esse fecit universa.« — Tertullianus fidei christianae professionem ita exorditur Apolog. c. 17: »Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae, unde et graeci nomen mundo κόσμον accommodaverunt.« Cf. etiam de praescript. c. 13.

b. Tradunt hoc dogma, quoties philosophos vel generatim gentiles infectae materiae assertores impietatis errorisque arguunt atque solidis refellunt argumentis, quod omnes fere christianae religionis apologetae praestant, in primis Tertullianus adv. Hermogenem.

c. Illud discriminis esse statuunt Deum inter et hominem, quod Deus non indigeat materia praejacente sicut humanus artifex. »Quae impossibilia sunt apud homines, inquit Irenaeus II, 10 n. 4, possibilia sunt apud Deum. Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacente: Deus autem quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suae, cum antea non esset, ipse adinvenit.«

---

tam (Gen. 1) et dicit quid unde protulerit (quamquam possimus unde illas prolatas aestimare, dum ne ex nihilo, jam enim facta erant quaedam, ex quibus prolatae videri possent), si tantam curam instructionis nostrae insumpsit Spiritus s., ut sciremus, quid unde processerit: nonne proinde nos et de coelo et de terra compotes reddidisset, significando unde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constaret illorum?«

d. Neque mirum »si enim (Deus), ut argumentatur Athanasius l. c. n. 2, non est materiae auctor, sed res ex materia subjecta facit, imbecillis demonstratur: cum nihil sine materia fabricari queat, quemadmodum utique fabri imbecillitatem indicat, nihil eum sine ligno posse.«

e. Quare docent cum Lactantio div. instit. II, 7 »facturus mundum Deus prius materiam, de qua faceret, praeparavit et praeparavit ex eo, quod non erat. Quia nefas est Deum aliunde aliquid mutuari, cum ex ipso et in ipso sunt omnia.« Cf. Epiphanius haer. 5 n. 2; Fulgentius de fide ad Petrum c. 3 (opusc. XVI), quaeque collegimus ex actis martyrum in praef. opusc. XIII n. 5; Palmieri de Deo creante th. 2 s.; Scheeben § 128.

240. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Tria opponuntur dogmati: **1.** illi adversari verba Sap. 11, 18: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa* (ἐξ ἀμόρφου ὕλης) *immittere illis* (aegyptiis) *multitudinem ursorum aut audaces leones;* quibus similia leguntur apud Justinum Apol. I n. 10 (quem in l. cf. Maranus in praef. op. ejusdem p. 2 c. 2). Verum cum duplex distingui possit creatio, prima et secunda (237), nil obstat, quominus haec de creatione intelligantur secunda, cui etiam favet contextus. Cum enim auctor inspiratus id tantum significare velit, potuisse Deum loco ranarum etc. bestias magis horrendas aegyptiis immittere, sufficiebat in memoriam revocare creationem secundam, ad quam revocat Moyses animalium productionem Gen. 1, 20 ss.

2. Contra patrum suffragium excipitur, philosophos quoque ethnicos non secus ac patres affirmare, omnia ex non exstantibus ἐκ μὴ ὄντων esse facta. Atqui nemo propterea affirmet, philosophos illos docuisse creationem ex nihilo. Ergo nec similis loquendi ratio patrum sufficiet ad comprobandum creationis dogma. Verum omnia concedere possumus, quin propterea patrum elidatur suffragium. Neque enim ex sola loquendi ratione patrum nostram probavimus thesim, sed simul ex variis doctrinae capitibus, quae clarissime ostendunt, quo sensu patres dixerint, mundum factum esse ἐκ μὴ ὄντων ex nihilo, et quae frustra quaeras apud philosophos gentiles; unde patet hos ea loquendi formula non significare creationem ex nihilo sui et subjecti, sed productionem ex nihilo tantum sui, scil. ex materia informi.

3. Nihil vero saepius contra creationis dogma adversarii urgent, quam creationem repugnare, cum ex nihilo nihil fiat. Si vero quaeras **a.** ab ipsis, quare creatio repugnet, nil aliud respondere possunt, quam eam comprehendi, concipi non posse. Atqui aliud est aliquid concipi vel comprehendi non posse, aliud illud repugnare. Tunc tantum **b.** repugnaret creatio, si substantiae notione includeretur aeternitas, aseitas, illique repugnaret incipere; neutrum tamen dici potest. Substantia est ens independens a subjecto; creatum vero est ens secundum totam suam realitatem a causa dependens: quae se mutuo non excludunt. Praeterea non repugnat notio substantiae, quae non sit a se quaeque sit contingens: qua admissa habetur creationis notio. De ratione vero Dei est, ut sit plane independens, qui sibi sufficiat nulloque indigeat. Atqui haec Dei notio exigit, ut si Deus aliquid producere velit, non indigeat materia a se inde-

pendenti, sit plane independens ab alio, verbo exigit creationem ex nihilo. Quare **c.** tantum abest, ut creationis notio adversetur sanae rationi, ut ratio potius eam postulet. Si enim operationis perfectio et energia sequitur naturam perfectionemque operantis, patet aliam et quidem substantialiter diversam esse debere operationem Dei quam creaturae; cum ergo hujus sit, in operando pendere a materia praeexsistenti, in quam varios tantum potest inducere modos formasque; Dei erit producere ipsas substantias et quidem operatione, quae a nullo requisito pendeat. Quod **d.** attinet illud axioma ‚ex nihilo nihil fit', reponimus, illi verum et etiam falsum subesse sensum. Verum est, si vel significat, a nihilo nihil fit, vel e nihilo quasi e causa materiali; vel si illud intelligitur de causis secundis creandi virtute destitutis, vel de jam constituto visibili rerum ordine deque effectibus naturalibus, qui non solent modo a Deo ex nihilo produci, sed ex materia jam olim creata. Falsum autem est axioma, si ita explicatur, ut negetur creatio. Cf. s. Thomas c. gentes II, 16 ss.

241. **Scholion II.** Ex dictis liquet, creationis dogma veritatem esse revelatam; quaeritur vero, *num creatio* rerum ex nihilo *ratione demonstrari* et absque revelatione *cognosci possit.* Sunt qui hoc alterum, sunt qui utrumque negent. Distinctione facta inter quaestionem juris et quaestionem facti respondemus ad quaestionem juris, hanc veritatem non solum posse rationis lumine, revelatione supposita, demonstrari, sed etiam absque revelatione cognosci seu inveniri [1]). De primo responsi membro dubitari nequit, cum theologi et philosophi hoc dogma vindicent rationis argumentis, quae non possint non commovere mentem hominis, cui veritas cordi sit. Neque alterum membrum in dubium vocare licet. Sane **a.** patres passim gentiles stultitiae arguunt, quod admiserint materiam aeternam infectamque. Supponunt ergo, illos, etsi revelatione destitutos, potuisse agnoscere vel ipsam materiam mundanam esse factam seu ex nihilo creatam. Et revera **b.** rationis lumine inveniri potest veritas, quae sponte sua fluit ex principiis rationi haud imperviis. Atqui principia, ex quibus creationis veritas fluit, rationi non sunt impervia; talia quippe sunt: Materia, utpote contigens et finita, esse nequit a se et necessaria, ergo nec aeterna; Deus, quia est ens a se et infinitae perfectionis, nequit esse in operando ab alio dependens; pantheismus et series actu infinita exsistens repugnant. Ex his autem sequitur ipsam materiam esse factam, Deum in creando materia praeexsistente non indigere. Negata praeterea **c.** creatione ex nihilo logica consequentia nil aliud reliquum est quam vel atheismus, vel dualismus, vel pantheismus, ipsaque animarum spiritualitas est neganda: quae sequelae sanae rationi arridere nequeunt. Haec enim exigit ultimam quandam omnium rerum rationem sufficientem ideoque atheismum aversatur; exigit monarchiam, ut scil. omnia ad unum denique revocentur, a quo eadem pendeant; hinc respuit dualismum, qui velut schisma inducit inter ordinem ontologicum et logicum; exigit, ut entia per participationem, seu de quorum essentia non

---

[1]) Cf. Suarez Disp. Metaphysic. 20 s. 1; D'Aguirre theol. s. Anselmi disp. 14 s.; Kleutgen Philos. der Vorzeit t. 2 disp. 9.

est exsistentia, revocentur ad ens per se et necessarium, de cujus essentia est ipsa exsistentia; de essentia vero materiae non est exsistentia. Quare una creationis veritas est tenenda. Non tamen diffitemur, longe difficilius hanc veritatem inveniri ratione ab eo, qui revelationis lumine caret, quam ab eo, qui hoc lumine potitur. Revelatio enim in investigandis veritatibus rationalibus rationem plurimum juvat I, 494.

Quod vero quaestionem facti attinet, candide fatemur, nullum e veteribus philosophis creationem ex nihilo agnovisse, ut inductione ostendit Mosheim in diss. ,num philosophorum aliquis mundum a Deo ex nihilo creatum esse docuerit.'

242. **Scholion III.** *De variis universitatis rerum causis.* Cujuslibet effectus multiplex distinguitur causa: quare ut creationis plenior acquiratur notio, in varias universitatis rerum causas inquiramus.

I. *Causa efficiens mundi est Deus,* ut profitemur in symbolis; et quidem Deus Pater per Filium in Spiritu sancto, ut passim patres loquuntur, et Damasus in confessione fidei missa Paulino antiocheno docet: „Si quis non dixerit, Patrem omnia per Filium incarnatum et Spiritum s. condidisse h. e. visibilia et invisibilia A. S.“ Creatio autem tribus personis divinis convenit, quatenus unus sunt Deus; ideo etiam in conc. florentini decreto pro jacobitis statuitur: „Pater et Filius et Spiritus s. non tria principia creaturae, sed unum principium [1];“ est enim operatio ad extra (n. 191): quae tamen in symbolis appropriatur Patri.

243. *De creationis actione.* — De ipsa autem creationis actione videtur tenendum, eam neque formaliter, neque simpliciter transeuntem dici posse, sed esse ex sese seu formaliter immanentem ac nonnisi virtualiter transeuntem. »Est duplex rei operatio, inquit s. Thomas c. gentes II, 1. Una quidem (immanens), quae in ipso operante manet et est ipsius operantis perfectio, ut sentire, intelligere et velle; alia vero, quae in exteriorem rem transit (transiens), quae est perfectio facti quod per ipsam constituitur, ut calefacere, secare et aedificare.« Creationem esse actionem immanentem inde colligitur, quod in divinis literis dicitur Deus verbo, nutu, imperio, voluntate sua res creasse Ps. 32, 6. 9; 148, 5; Gen. 1, 3 etc. nutusque divinus ita cum opere jungitur, ut nihil inter utrumque intercedat. Atqui nutus, volitio etc. est actus immanens. Virtualiter tamen est actio transiens, cum ejus terminus et effectus extra Deum ponatur. Si creatio active spectetur designat secundum Thomam de pot. q. 3 a. 3. »Dei actionem, quae est ejus essentia cum relatione (rationis) ad creaturam.« Passive vero accepta »nihil aliud est realiter, quam relatio quaedam (realis) ad Deum cum novitate essendi.« Cf. Palmieri de Deo creante th. 5 ss.; Stentrup in Synopsi th. 63 ss.

244. *Solum Deum esse causam efficientem* universi, diserte docent ss. Scripturae. Ita Is. 44, 24 Deus dicit: *Ego sum Dominus, faciens omnia,*

---

[1]) Cf. etiam professio fidei praescripta waldensibus ab Innocentio III. et conc. coloniense tit. 3 c. 11, quod hoc dogma solide explanat.

extendens coelos solus, stabiliens terram et nullus mecum: 40, 12 ss.; 37, 16; Jer. 10, 11 ss. etc. „Neque fas est, inquit Augustinus de civ. Dei XII, 24, ullius naturae quamlibet minimae mortalisque creatorem nisi Deum credere ac dicere et antequam possit intelligi.“ — Imo revelatio docet, ita Deum solum esse universi causam efficientem, ut excludat a creationis opere quamlibet causam secundam, obnoxiam, instrumentalem. Excludit eam silentio, cum nunquam talis causae injiciat mentionem, quamvis de creatione saepissime sit sermo: in operibus vero providentiae, quibus ordo rerum semel institutus regitur et administratur, frequenter angeli memorentur, quorum opera Deus utatur; excludit eam aequivalenter, cum ad Dei nutum omnia narret esse facta; excludunt eam diserte patres, cum refellunt gnosticos, qui angelis adscribebant creationem. Ita Irenaeus proponens fidem catholicam ait I, 12 n. 1: „Non per angelos (Deum creasse), neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia: nihil enim indiget omnium Deus, sed per Verbum et Spiritum suum omnia faciens.“ Cf. etiam II, 2 n. 4 s.; 35 n. 4; IV, 20 n. 1. „Et ideo, infert s. Thomas de pot. q. 3 a. 4, secundum fidem catholicam ponimus, quod omnes substantias spirituales et materiam corporalium Deus immediate creavit, haereticum reputantes, si dicatur, per angelum vel aliquam creaturam aliquid esse creatum; unde Damascenus dicit: Quicunque dixerit angelum aliquid creare A. S.“

245. Quaeritur tamen, *num alicui creaturae creandi virtus possit* saltem *communicari.* Hoc patres **1.** aequivalenter negant, cum passim inde probent, Filium vel Spiritum s. esse Deum, quod ipsis creatio tribuitur; quae illatio esset infirma, si et natura finita, quamvis virtute communicata, creare posset. »Omnia per Verbum facta sunt, inquit s. Athanasius or. c. arian. n. 21, quod sane non fecisset omnia, si ipsum quoque Verbum e rebus creatis esset. Nec enim vel angeli possunt creare, cum ipsi sint creati, licet ita senserint Valentinus, Marcion et Basilides etc.«

2. Suadetur s. Scripturae testimoniis Is. 37, 16, 44, 24; 48, 12 s.; Jer. 10, 10 ss.; Bar. 3, 32 ss. etc., quibus creata universitas rerum exhibetur ut argumentum omnipotentiae, gloriae perfectionisque Dei, speculum divinorum, quae praerogativa mundo non adeo competeret, si pariter esse posset causae finitae opus. Quare Augustinus de gen. ad lit. IX, 15 n. 28: »Creare naturam, inquit, tam nullus angelus potest, quam nec seipsum.« — Imo Jo. Damascenus de F. O. II, 3 pronunciat: »Quotquot autem sunt, qui substantiam ullam, quaecunque tandem illa sit, ab angelis creatam esse contendunt, horum ore diabolus loquitur. Cum enim creaturae sint, rerum minime conditores sunt.« Cf. Hilarius de Trin. V, 4; Cyrillus al. thes. ass. 14 c. 6; Victorinus afer adv. Arium l. 1. n. 3; Vigilius taps. dial. contra arianos, sabell. etc. l. 2 n. 37: »Creaturam creatricem esse non posse, nulli est omnino ambiguum.« Cassiodorus de anim. c.a 2; Athanasius cum 90 episcopis in ep. ad episc. afros n. 8 etc.

3. Magno consensu id tuentur theologi contra Durandum (et Magistrum sententiarum) teste Valentia l. 1. disp. 3 q. 2 p. 4, qui tamen

fatetur id magis colligi ex auctoritate, quam ex ratione. Ripalda vero de ente supern. disp. 7 c. 1 n. 10 scribit: »Non repugnare creaturam creantem, probabilissimum esse proponemus op. metaphysico tract. de creatione« (quod tamen non prodiit). Sed si revera talis creatura possibilis esset, unde factum est, ut in tanta creaturarum varietate nunquam talis extiterit natura?

4. Ratione s. Thomas assertionem ita probat de pot. q. 3 a. 4: »Creatio infinitam virtutem requirit in potentia, a qua egreditur: quod ex quinque rationibus apparet. Prima est ex hoc, quod potentia facientis proportionatur distantiae, quae est inter id quod fit et oppositum ex quo fit. Quanto enim frigus est vehementius, et sic a calore magis distans, tanto majori virtute caloris opus est, ut ex frigido fiat calidum. Non esse autem simpliciter in infinitum ab esse distat, quod ex hoc patet: quia a quolibet ente determinato plus distat non esse, quam quodlibet ens, quantumcunque ab alio ente distans invenitur: et ideo ex omnino non ente aliquid facere non potest esse nisi potentiae infinitae« etc. Deinde si causa secunda creare posset, jam aliqua perfectio univoce Deo et creaturae conveniret, atque operandi ratio divina secundum gradum tantum et accidentaliter videretur differre ab operatione creaturae, quod nullo modo admitti potest, quamdiu esse divinum essentialiter differt ab illius esse. »Cum secundum ordinem agentium, inquit Thomas c. gentes II, 21, sit ordo actionum, eo quod nobilioris agentis nobilior est actio, oportet quod prima actio sit primi agentis propria. Creatio est autem prima actio, eo quod nullam aliam praesupponit, omnes autem aliae praessupponunt eam. Est igitur creatio propria Dei solius actio, qui est agens primum.«

Imo creaturae ne instrumentalem quidem causalitatem physicam tribui posse tenendum videtur; quod s. Thomas ita l. c. probat: »Effectus respondens actioni propriae instrumenti est prior in via generationis quam effectus respondens principali agenti ... prius enim est sectio ligni quam forma scamni et digestio cibi quam generatio carnis. Oportebit igitur aliquid esse effectum per propriam operationem instrumentalis creantis, quod sit prius in via generationis, quam esse, quod est effectus respondens actioni primi creantis. Hoc autem est impossibile;« nam nihil est prius τῷ esse. Cf. Mazzella d. 1 a. 6.

246. **II.** *De causa exemplari mundi.* — Praetermissa *causa materiali,* quae nulla est, quia ut ostendimus rerum universitas creata est ex nihilo, accedamus ad *causam* ejusdem *exemplarem,* cujus occasione ad rem scribit s. Anselmus Monol. c. 9, clarum esse, »quae facta sunt, nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant, quod nunc sunt, nec erat, ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent.« Dicendum scil. est cum Alberto M. comp. theol. ver. I, 15, »quod sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat: sic ideae rerum ante mundi constitutionem in mente Creatoris erant.« Cf. n. 51. Quapropter distinguere licet inter mundum intelligibilem et sensibilem seu visibilem; ille infinita Dei sapientia praeconceptus exemplaris instar archetypi ab aeterno praeexstitit et mundo visibili condendo praeluxit, hic vero ectypi instar perfecti a Deo in tempore fuit conditus. Cf. Thomas 1. p. q. 15 a. 1.; q. 44 a. 3; de veritate q. 3 a. 1; Staudenmaier, Dogmatik t. 3 § 6.

247. Huic distinctioni innititur partitio illa cognitionis angelicae in matutinam et vespertinam (n. 77⁴ a.), cujus subinde mentionem facit s. Augustinus, et quam s. Thomas de verit. q. 8 a. 16 ita explicat: »Co-

gnitio in Verbo dicitur matutina cognitio: ultima autem rei cognitio est, secundum quod cognoscitur in seipsa, et talis cognitio dicitur vespertina. Sciendum tamen, quod ista distinctio potest dupliciter intelligi. Uno modo ex parte rei cognitae; alio modo ex parte medii cognoscendi. Ex parte quidem rei cognitae, ut dicatur res in Verbo cognosci, quando cognoscitur esse ejus quod habet in Verbo; in propria vero natura, secundum quod cognoscitur ipsum esse rei quod habet in seipsa: et hic non est conveniens intellectus, quia esse rei quod habet in Verbo, non est aliud ab esse Verbi, quia ut Anselmus dicit, creatura in Creatore est creatrix essentia: unde hoc modo cognoscere creaturam in Verbo, non esset cognitio creaturae sed magis Creatoris. Et ideo oportet hanc distinctionem intelligi ex parte medii cognoscendi, ut dicatur res cognosci in Verbo, quando per Verbum (ideas archetypas) ipsa res in propria natura cognoscitur; in propria vero natura, quando cognoscitur per formas aliquas creatas rebus creatis proportionatas, sicut cum cognoscit per formas sibi inditas, vel etiam si per formas acquisitas cognosceret« etc.

248. **III.** Si *in finem creationis* inquirimus, haud paulum juverit *varias distinctiones finis* prae oculis habere. Distingui scil. debet

a. finis operis, ad quem opus ex insita sua natura tendit et ordinatur, qui etiam finis internus, proprius, universalis, physicus audit: et finis operantis, quem sibi operans pro voluntatis optione constituit, qui et externus, particularis, ethicus dicitur. Ita finis horologii (operis) est indicare diei horam; finis artificis (operantis), qui illud construit, lucrum, manifestatio suae peritiae seu gloria etc.

b. Distingui potest finis qui, cui, quo. Finis qui illud bonum denotat, quod agens intendit seu appetit; hic etiam objectivus dicitur vel finis cujus, scil. cujus gratia seu desiderio agens operatur; finis cui est subjectum, cui seu in cujus commodum operans bonum intendit. Finis quo seu formalis continetur assecutione et possessione boni, quod operatione intenditur. Distingui debet

c. inter finem quia et causam finalem. Causa finalis est bonum ab operante distinctum, quod sua bonitate eum allicit et determinat ad operandum, ut ipsum assequatur. Finis quia est ratio ad operandum movens (ut ex. gr. bonitas ipsius operantis), ac praescindit ab eo utrum bonum sit ab operante possessum an possidendum.

d. Aliud est agere cum fine, aliud agere propter finem seu propter finis consecutionem. Agere cum fine non exigit, ut operans finis consecutionem tamquam bonum sibi intendat, sed opponitur actioni irrationali et imprudenti. Agere propter finis consecutionem quandam indigentiam seu defectum adsignificat, quem explere debeat bonum obtinendum. Cum qua distinctione alia cohaeret:

e. aliud scil. est agere ex desiderio finis, quod indigentiam supponit et proprium est creaturae; aliud est agere ex amore finis, quod boni abundantiam innuit propriumque est Dei.

249. Quibus praestitutis **1.** quaeritur, *quis sit finis operis* in creatione seu finis mundi. Ad hanc quaestionem jam responderunt angeli laetabundi Christi nativitate canentes: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. 2, 14), scil. finis mundi est bonum hominis et gloria Dei, ita tamen, ut bonum nostrum subordinetur gloriae Dei, qui est omnium Ω. Hinc conc. vaticanum sess. 3 can. 5: „Si quis ... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S."

Quae fusius exponit concilium coloniense a. 1860 docens tit 3 c. 13: »Si . . . finis operis quaeritur, dicendum profecto est eum (Deum) hoc intendisse et intendere adhuc, quod cum ejus actione ita est conjunctum, ut ab ea separari non possit . . . Quod ab opere Dei abesse non poterat, erat ipsa perfectionum divinarum, potentiae in primis, sapientiae et bonitatis manifestatio, quae, cum in Dei laudem cedat, gloria Dei externa vocatur. Deum vero perfectionum suarum agnitionem et amorem seu gloriam externam revera intendisse, dubium esse non posest, sive spectemus res effectas, quae natura sua Dei perfectionem manifestant; sive hominem, qui ratione praeditus est, ut Deum ex operibus agnoscat et amet; sive Deum ipsum, qui ut ex opere suo agnosceretur, utpote sanctus, non velle non poterat. Hinc illae tam crebrae Scripturarum voces, quibus ad laudandum Deum ex operum ejus magnitudine monemur. Intime inter se connectuntur hominum felicitas et Dei gloria. Hanc enim dum homines promovent, sua augent merita suamque felicitatem; et Deus quo majora bona hominibus largitur, eo majora praebet suae bonitatis documenta suamque auget gloriam; unde sicut haec ad illam, ita illa ad hanc ducit. Si tamen de utriusque finis ordine quaeritur, dicendum est, ultimum operis finem esse Dei gloriam, ad quam etiam rerum creatarum et singillatim hominis felicitas referatur. Dei enim gloria, cum utpote Deum respiciens altioris sit ordinis quam hominis felicitas, hanc sibi submissam subservientemque habeat decet. Neque ex hoc existimandum est, detrahi aliquid Dei in nos bonitati. Nam bona nobis collata, cum ad Dei referuntur gloriam, non minuuntur, imo quo studiosius per ea nos Dei gloriam quaerimus, eo magis ditescimus ipsi; nec Deus ita suam in mundo intendit gloriam, quasi ex ea aliquid, quod non habeat, boni acquirat, cum id solum velit, quod rectus ordo exigit.« Scripturae aliis quoque modis testantur rerum universitatem esse in Dei laudem et gloriam, sive cum **a.** id diserte affirment de homine Is. 43, 7: *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum; formavi eum, et feci eum;* nominatim **b.** de homine per Christum reparato: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per J. Christum in ipsum . . . in laudem gloriae gratiae ipsius* Eph. 1, 6; Phil. 1, 10; **c.** de beatis, qui exhibentur Deum jugiter in coelis glorificantes Apoc. 4. 11; 19, 6 etc.; sive **d.** cum Christus nos doceat, vel sibi commissum fuisse opus clarificandi Patrem supra terram Jo. 17, 4; sive **e.** cum singularia quaedam Dei opera hunc in finem a Deo patrata referantur: Ps. 105, 8: *Salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam;* sive **f.** cum creaturae vel irrationales sponte sua Deum laudare perhibentur, ut in Ps. 147 *Laudate,* et in hymno *Benedicite* Dan. 3, 51 ss.

250. Si vero id, quod Deum ad creandum impulerit, quaeritur, seu *finis operantis,* cum eodem concilio dicendum est

2. *nihil Deum, quod ab eo est distinctum, ad creandum impellere potuisse,* cum utpote sibi sufficiens, nihil sibi appetere possit. Praeterea Deus omnium est A et Ω Apoc. 1, 8; 21, 6; 22, 13 etc., cum qua praerogativa pugnat, ut aliquod bonum ab eo distinctum ei fuerit causa ad creandum movens: tunc enim relate saltem ad creationem, huic bono competeret dignitas τοῦ omnium A et Ω. Quare passim theologi docent cum Joanne saresberiensi Polycratici II, 26 (Mig. 199, 459): „Adeo quidem prima est (voluntas Dei), ut si quaeratur de aliquo cur ita sit, rectissime dicatur, quoniam ille sic voluit, qui *omnia, quaecunque voluit, fecit.* Si vero cur voluerit, inquiratur, inepta quaestio est, quoniam primae causae, voluntatis scil., quaeritur causa, cujus nulla est omnino causa."

251. Cum autem voluntas ad operandum bono moveatur, nec ullum bonum a Deo distinctum eum ad creandum induxerit, bonum quod Deum ad creationem movit, intra ipsum Deum est quaerendum. Scil.

3. *bonitas sua Deum movit ad creandum*, ut se aliis communicaret atque in alios derivaret divitias bonitatis suae eosque redderet felices. Quod **a.** sponte sua sequitur ex dictis, et diserte nos docet **b.** conc. vaticanum sess. 3 cap. 1: „Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ac acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam etc." Et antea conc. coloniense l. c.: „Cum porro Deum creasse constet, et cum quidquid agit, ex amore bonitatis suae absolutae eum agere pariter constet: recte dicimus, Deum bonitate sua, ut libere mundum crearet, motum esse. Hoc etiam sensu s. Augustinus dixit de doctr. chr. I, 32: „Quia bonus est, sumus."

c. Idem nos docent patres. Ita Irenaeus l. 4 c. 14 n. 11: »Non quasi indigens Deus hominis plasmavit Adam, sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia.« — Hilarius in Ps. 135 n. 8: »Faciendorum sola misericordiae suae causa est, neque enim eguit, ut fierent. Sed qui bonus est, in id universa fecit, ut plures bonitatis suae copiis uterentur.« — Damascenus F. O. II, 2: »Quoniam igitur bonus omnique bonitate praestantior Deus non satis habuit sua ipsius contemplatione frui, sed pro nimia bonitate sua quaedam esse voluit, quae ipsius afficerentur beneficiis ejusque bonitatis participes forent; eam ob causam ex nihilo producit conditque universa etc.« Idem **d.** colligitur ex natura boni maxime perfecti, cujus est se aliis communicare. Cf. Scheeben § 132.

252. Quare Deus triplici modo [1]) dici potest creationis finis et Ω. Ipsius enim bonitas eum ad creandum movit, finis ergo quia dicitur; ipsius gloria seu gloriae manifestatio, ideoque Deus manifestandus est finis

---

[1]) Ad rem. s. Bonaventura breviloq. p. 2 c. 1: »Nam quoniam principium perfectissimum, a quo manat perfectio universorum, necesse est agere *a se* et *secun-*

operis. Haec vero manifestatio triplici modo fit: ipsa creaturarum pulchritudine, varietate etc., qua repraesentatur summa Dei perfectio; illarum subjectione, quae gloriam potentiae divinae praedicat; appetitione, qua omnia in ipsum tendunt, hinc ipsum summum esse bonum testantur. Ipse denique est finis a creaturis rationalibus obtinendus, ut sint felices. Unde dignitas creaturae rationalis elucet.

Hanc ita egregie piissimus card. Bellarminus exponit de ascens. mentis in Deum I, 1: »Si quaeram auctorem meum, inveniam solum Deum; si quaeram materiam, unde me fecerit, inveniam omnino nihil; unde colligam quidquid in me est, a Deo factum esse, et totum Dei esse; si quaeram formam, inveniam me esse imaginem Dei; si finem quaeram, inveniam ipsum eundem Deum esse summum et totum bonum meum. Itaque intelligam tantam esse mihi conjunctionem et necessitudinem cum Deo, ut ipse solus sit mihi conditor, ipse auctor, ipse pater, ipse exemplar, ipse beatitudo, ipse omnia. Et si hoc intellexero, quomodo fieri poterit, ut non ardentissime illum quaeram? illum cogitem? illum suspirem? illum videre et complecti desiderem? vel ut non exhorream tam densas tenebras cordis mei, quod tam longo tempore nihil minus cogitavit, aut desideravit, aut quaesivit, quam Deum, qui solus mihi est omnia?« Cf. Palmieri th. 10 c.

253. *Exceptioni satisfit.* — Vitiosum censeri non debet, Deum *omnia propter semetipsum operatum esse* (Prov. 16, 4): neque enim vitio vertitur patri, si reverentiam exigit a filiis, neque regi, si a subditis obsequium. Ad suam operari gloriam reprehensione tunc dignum est, si quaeritur vel. **a.** honor indebitus; vel **b.** honor debitus, sed modo indebito, ita ut non referatur ab homine in Deum, a quo omnia habet, propter quae exigere possit honorem; vel **c.** si vane in illo delectamur, non propter ejus honestatem eum exigimus. Atqui Deus gloriam a creaturis exigit, quia id postulant rerum naturae; decet enim, ut opus profiteatur suum auctorem, servi exhibeant obsequium Domino, guttae agnoscant fontem, mendici laudent benefactorem, umbra manifestet lucem. Neque propterea Dei amor erga creaturas est minus purus; nam **a.** est ordinatus; Deus **b.** non exigit honorem utilitatis gratia, sed quia id exigit rerum ordo; neque operatur ad suam gloriam augendam, sed ad eam manifestandam, et ita **c.** communicandam: quo magis enim eam manifestat, eo magis id cedit in creaturae bonum (cf. n. 265 [2]), qua de re bene disserit Lessius de perf. div. XIV, 3 n. 60, qui inter alia statuit: »Summa Dei gloria externa est, ipsum a nobis perfecte cognosci, amari et gustari. Unde consistit in tribus actibus vitalibus, et in iisdem formaliter consistit bonum nostrum et vita aeterna et essentia beatitatis. Summum enim bonum nostrum et formalis beatitas est, Deum videre, amare, gustare, seu quod idem uno verbo dici potest, Deo frui. Itaque in summa Dei gloria extrinseca formaliter et intrinsece includitur summum bonum nostrum, ita ut sine illo concipi nequeat: et hoc ipso, quo Deus illam gloriam intendit et quaerit, intendit et quaerit summum bonum et commodum nostrum. Unde non minus Deo gratias agere

---

dum se et *propter se;* et quia nullo in agendo indiget extra se, necesse est, quod habeat intentionem triplicis causae respectu cujuslibet creaturae, scil. efficientis, exemplaris et finalis.« Cf. Thomas c. gentes III, 17 ss.

debemus, quod quaerat gloriam suam, quam quod quaerat salutem nostram, quia gloria ejus est salus nostra.« Paucis sed belle finium connexionem ita complexus est Lactantius Instit. VII, 6: »Idcirco mundus factus est, ut nascamur; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri, Deum; ideo agnoscimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo praemio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti summo Patri ac Domino in perpetuo serviamus et simus aeternum Dei regnum.« Cf. Augustinus de Doctr. chr. I, 31; Pallavicino del Bene III, 35.

254. **Thesis CXX.** ***Deus in creando fuit liber, et quidem libertate tum contradictionis tum specificationis.***

Declaratio. Contendimus, Deum fuisse in creanda rerum universitate liberum libertate contradictionis, seu liberum ad creandum vel etiam non creandum. Posito autem creationis decreto, contendimus ulterius, eum fuisse liberum libertate etiam specificationis, seu liberum ad hunc potius quam alium mundum creandum; hinc nulla necessitate determinatum fuisse sive ad creandum, sive ad creandum hunc mundum. Quod posterius tenendum est contra Abaelardum et Wicleffum asserentes, Deum non posse alia facere nisi ea, quae facit; tenendum contra Leibnitium quoque, qui censet Theodiceae n. 43, Deum nonnisi mundum optimum posse creare. Circa Dei in creando libertatem errarunt etiam Hermes et Günther: quam ob rem Pius IX. scribit ad card. de Geissel 15 Jun. 1857: »Neque ignoramus ea iisdem libris (Güntheri) doceri et statui, quae catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur.« Erravit et Rosmini, cujus opinio reprobata fuit a congr. s. Officii 14. Dec. 1887 in prop. 18: »Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum.« Doctrinam catholicam asseruit conc. vaticanum sess. 3 docens cap. 1 Deum »liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam;« et can. 5, quem habes n. 88.

255. **Demonstratio p. I.** Praetermissis argumentis, quibus generatim Deo n. 89 vindicavimus libertatem, quaeque probant Deum in operibus ad extra esse liberum, ita probatur thesis:

1. Deus non potest asseri ad creandum determinatus, quin simul statuatur vel eum indigere mundo, vel mundum quandam esse divinae naturae emanationem sive explicationem. Sed neque illud affirmari potest, quin negetur summa Dei independentia et perfectio seu omnisufficientia; neque alterum, quin in pantheismum incidamus.

2. In divinis literis omnium rerum exsistentia refunditur in Dei voluntatem Ps. 134, 6; Sap. 11, 26; Dan. 4, 32; Apoc. 4, 11: *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Atqui hoc ostenditur supremum Dei in creando dominium, quo pro lubitu creare potest vel non creare: neque enim ex usu loquendi in voluntatem tamquam in rationem ultimam ea refunduntur, quae necessario fiunt.

3. Idem docent patres, ut ex. gr. Irenaeus II, 1 n. 11: „Neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libertate fecit omnia;“ et c. 20 n. 9: „Ipse a semetipso libere et sua potestate et disposuit et perfecit omnia et est substantia omnium voluntas ejus.“

256. **Demonstratio p. II.** Deum mundum alium creare potuisse,

1. colligitur ex iis Scripturare effatis, quibus edicitur, Deum fecisse, *quaecunque voluit in coelo et in terra* Ps. 134, 6 (n. 89); quae loquendi ratio significat expeditam liberrimamque eligendi facultatem.

2. In opposita sententia sequitur, unum, qui actu exstat, mundum esse possibilem: quod admitti nequit, quin circumscribatur sive infinita Dei perfectio, quae unico tantum modo possit repraesentari; sive ejus sapientia, quae unum tantum possit excogitare rerum ordinem, cum tamen vel homo pro suo ingenio aliter atque aliter possit sua disponere opera atque variare; sive Dei omnipotentia. Quare Theophilus alex.: „Necesse est, inquit ep. pasch. 2 n. 18, numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coaequari, si non potuit majora facere, quam fecit.“ Merito ergo conc. coloniense jam ante conc. vaticanum tit. 3 cap. 12 statuerat: „Quemadmodum penes Deum erat mundum creare aut non creare, ita penes ipsum etiam erat, hunc creare mundum aut alium. Et vero, quaecunque Deum in mundo creando liberum fuisse demonstrant, eundem et liberum in hoc illove creando docent . . . Itaque ad fidem catholicam sartam tectam gregibus nostris conservandum proscribimus omnem doctrinam, quae statuit, Deum non potuisse non creare mundum, vel non potuisse alium atque hunc mundum creare, sive illa quaecunque demum voce appellata necessitas repeti dicatur e Dei intelligentia seu conscientia, sive ex Dei amore in seipsum, sive ex ejus bonitate, sive demum e divina sapientia et sanctitate aliave perfectione.“

3. Ratione haud spernenda partem utramque probat Maurus op. theol. l. 2 q. 50 n. 7: »Nam sicut de essentia summi boni est, ut se summe communicet: sic est de essentia ejusdem, ut habita communicatione summa et perfectissima et continente eminenter omnes alias communicationes, possit ea esse contentus ac non necessitetur ad se ulterius communicandum alia communicatione imperfecta; et ut si voluerit se communicare communicatione imperfecta, possit se communicare magis aut minus, prout illi placuerit; si enim posset esse contentus sine ulla communicatione imperfecta, a fortiori posset esse contentus cum aliqua communicatione imperfecta sine ulteriori communicatione. Sed Deus ab aeterno se communicat ad intra Filio et Spiritui sancto communicatione perfectissima et infinita et continente eminenter ac seclusis imperfectionibus omnes alias communicationes; ergo Deus posset quiescere et esse contentus communicatione ad intra; sed si Deus posset esse contentus sola communicatione ad intra sine ulla communicatione ad extra, posset etiam esse contentus aliqua communicatione ad extra sine ulteriori communicatione; ergo Deus posset esse contentus communicatione ad extra, qua se communicet

per creationem, absque ulteriori communicatione meliori, qua se communicet per dona gratiae et per unionem hypostaticam etc.« — Qua ratione satisfit simul difficultati, quae derivatur ex axiomate: bonum est diffusivum sui. Ergo inferet quis, bonum quo majus est, eo majori quoque nisu propendebit in sui communicationem, ideoque bonum infinitum infinito i. e. irresistibili ac propterea necessario pondere feretur ad se communicandum: hinc creatio est necessaria.

257. *De optimismo.* — Ut vero difficultates solvantur, notetur:

1. mundum esse multiplici veroque sensu optimum: optimus sane est **a.** ratione finis saltem in genere, qui est manifestatio divinae gloriae; **b.** ratione operantis et **c.** operationis, quae est creatio ex nihilo, qua nulla perfectior concipi potest; **d.** ratione dispositionis et ordinationis in finem; **e.** ratione conspirationis cum causa exemplari.

2. Mundus tamen non est absolute optimus seu in ratione entis, quia hoc sensu mundus optimus repugnat. Mundus enim absolute optimus est ille quo melior concipi nequit. Atqui mundus, quicunque demum concipiatur, utpote finitus, augmenti et majoris perfectionis est capax; solum enim infinitum augmenti est incapax. Quovis ergo mundo melior semper concipi poterit. Deinde mundus si est finitus, nunquam exhauriet infinitam Dei imitabilitatem, quin ea alio mundo vel perfectius vel aequali saltem ratione, sed aliter adumbrari possit. Solum Verbum adaequata est Patris repraesentatio et speculum sine macula.

3. Etiamsi non repugnaret mundus optimus, demonstrari nequit, artificem, ut suam manifestet artem, teneri ad opus in ratione entis perfectissimum producendum, cum ea aeque saepe demonstrari possit opere magno et parvo: neque enim operationis perfectio ab ejusdem termino pendet. Hinc tenetur quidem ut optimo modo operetur, non vero ut producat terminum in ratione entis optimum.

Ad rem Augustinus: »Deus autem, inquit de civ. Dei XI, 22, ita est artifex magnus in magnis, ut non minor sit in parvis, quae parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt« — Et s. Thomas 1. p. q. 25 a. 6 ad 1: »Cum dicitur, Deum posse aliquid facere melius quam facit, si ly melius sit nomen, verum est: qualibet enim re potest facere aliam meliorem... Si vero ly melius sit adverbium, et importet modum ex parte facientis, sic Deus non potest facere melius, quam sicut facit, quia non potest facere ex majori sapientia et bonitate. Si autem importet modum ex parte facti, sic potest facere melius; quia potest dare rebus a se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia« (quia tunc non amplius illa res esset, quam vult facere, sed alia). Cf. Comp. theol. c. 96. — Quod si nonnunquam patres videntur docere, Deum semper facere optimum, intelligendi sunt de optimo non absolute, sed de optimo, quod est valde bonum, non omnium bonorum maximum, vel relate ad hunc ordinem, finem determinatum etc., deque quadam congruentia, non vero necessitate. Cf. Kleutgen Theol der Vorz. I. d. 4.

258. **Scholion.** *De conservatione et concursu.* Creationem excipit conservatio, neque enim res creatae in exsistentia permanere possunt sine operatione divina ea conservante secundum illa Sap. 11, 25 s.: *Dilijis omnia quae sunt ... Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Hinc Filius exhibetur Hebr. 1, 3 *portans omnia verbo virtutis suae* (137 [1] a.). Haec autem conservatio **a.** se extendit ad omnia creata neque **b.** consistit mere negative in eo quod Deus illa non destruat vel avertat omnem noxium influxum, qui illa posset destruere: sed **c.** in positiva operatione, qua τὸ esse creatione communicatum jugiter influit, sustentat, portat, analogica ratione **d.** qua sol jugi lucis influxu rem illuminatam et anima actus suos conservat. Verum accuratiorem de ea disputationem relinquimus philosophis sicut et de concursu. Sicut scil. secundum doctrinam catholicam omnia creata indigent conservatione, ita ex sententia communissima theologorum omnes causae indigent **a.** concursu eoque **b.** physico, neque enim sufficit pro causis ratione praeditis solum moralis, qui suggestione motivorum ad operandum impellentium consistit, **c.** immediato, qui non solum conservatione virium ad agendum continetur: sed **d.** in ipsas operationes et effectus influat et quidem **e.** in omnes non solum ordinis supernaturalis sed et naturalis, non solum bonos sed et malos quatenus operationes physicae sunt. Hinc passim in divinis literis omnes causarum secundarun operationes Deo tribuuntur et de ipso s. Paulus scribit Act. 17, 25. 28: *Cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia . . . in ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Cf. Stentrup Synopsis de Deo uno th. 80 ss.; Scheeben § 130 s.

258. a. **Scholion practicum.** S. Thomas in exposit. symb. apost. n. 7 quinque fructus proponit colligendos ex fidei articulo, quo credimus Deum Creatorem coeli et terrae:

I. ‚Cognitionem divinae majestatis'. Haec majestas Creatoris elucet ex magnitudine operis, ex productionis facilitate, ex omnisufficientia auctoris.

1. Ex operis magnitudine: consideretur enim universi quasi immensitas ex astrorum a nobis distantia, quorum lux plurimis indiget annis, ut ad nos perveniat; ex astrorum mole, prae qua terra nostra puncti instar est; specierum varietas, quarum ex solo regno animali numerantur ad 250,000; creaturarum in qualibet specie multitudo prope infinita; plantarum, animalium, hominum structura et organismus quam aptus et perfectus; omnium harmonia ordo, concentus (n. 265) etc.

2. Ex productionis facilitate: *dixit* enim, *et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* Ps. 32, 9, absque fatigatione et temporis impendio, dum nos ad minima opera indigemus tempore, labore, conatu, sudore etc.

3. Ex omnisufficientia: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum* Is. 44, 24. Non indiget materia praejacente, non instrumentis vel ministris, non indiget mundo pro sua beatitate et perfectione; creavit mundum sola bonitate inductus n. 251; ita creavit ut neque exhausta sit sua potentia, neque sapientia, neque divitiarum copia. Cf. praeclara Chrysostomi verba n. 68.

Sed quo augustior, potentior, ditior Dominus, eo nobilior est servitus, eo fidelius, accuratius, perfectius debet esse obsequium; eo majorem licet sperare mercedem.

259. Paulo secus idem argumentum tractat s. doctor c. gentes II. 2:

(**1.**) »Ex factorum meditatione divinam sapientiam utcunque possumus et admirari et considerare. Ea enim quae arte fiunt, ipsius artis sunt repraesentativa, utpote ad similitudinem artis facta. . . .

(**2.**) Haec consideratio in admirationem altissimae Dei virtutis ducit, et per consequens in cordibus hominum reverentiam Dei parit . . . *Magnum est nomen tuum in fortitudine: quis non timebit te, Rex gentium?* Jer. 10, 6.

(**3.**) Haec consideratio animos hominum in amorem divinae bonitatis accendit. Quidquid enim bonitatis et perfectionis in diversis creaturis particulariter distributum est, totum in ipso universaliter est adunatum, sicut in fonte totius bonitatis . . . Si igitur creaturarum bonitas, pulchritudo et suavitas sic animos hominum allicit, ipsius Dei fons bonitatis, rivulis bonitatum in singulis creaturis repertis diligenter comparatus, animos hominum inflammatos totaliter ad se trahet. Unde dicitur: *Delectasti me, Domine in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo* Ps. 91, 5: et alibi de filiis hominum dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae,* quasi totius creaturae, et sic *torrente voluptatis tuae potabis eos, quoniam apud te est fons vitae* Ps. 35, 9 s. . . .

(**4.**) Haec consideratio homines in quandam similitudinem divinae perfectionis constituit. Ostensum est enim (I, 48. 49), quod Deus cognoscendo seipsum in se omnia alia intuetur. Quum igitur christiana fides hominem de Deo principaliter instruit, et per lumen divinae revelationis eum creaturarum cognitorem facit, fit in homine quaedam divinae sapientiae similitudo.«

260. **II.** Ex eodem dogmate homo ‚dirigitur ad gratiarum actionem.' Sane

1. ex eo sequitur omnia nos habere a Deo: *Quid habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4, 7, quot et quanta sive ordinem percurramus naturalem, sive supernaturalem, annosque recogitemus vitae nostrae! *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus* Ps. 102, 2;

2. sequitur nihil nos habere a nobis: *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1 Cor. 4, 7; Quare de nullo nobis licet gloriari in nobis, sed *qui gloriatur, in Domino glorietur* ib. 1, 31; sequitur

3. nos undique esse ex nihilo, scil. ex nihilo meritorum, ex nullis nostris meritis: quare omnia nostra debemus non solum divinae potentiae, sed et divinae bonitati (n. 251), liberalitati, misericordiae (n. 252) Hinc colligamus..

4. gratitudinem, humilitatem, fidelitatem alacritatemque in Dei obsequio, ut si non meruimus creari, consequenter ad creationem non indignos nos exhibeamus tanto beneficio donorum abusu: imo potius dignos nos praestemus, quibus Deus conservet beneficia collata atque diligenter instemus illi fini assequendo, propter quem nos creavit, ut adimpleatur per nos et in nobis sanctissima Dei voluntas de nobis.

261. **III.** ‚Inducimur ad recte utendum rebus creatis'. Cum enim

1. omnia a Deo sint creata, sunt et manent proprietas Dei. Quare

2. »creaturis debemus uti ad hoc, ad quod factae (et nobis concessae) sunt a Deo. Sunt autem factae ad duo: scil. ad gloriam Dei, quia *universa propter semetipsum* (i. e. ad gloriam suam) *operatus est Dominus* Prov. 16, 4, et ad utilitatem nostram Deut. 4, 19: *Quae fecit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*«, et quidem in triplicem utilitatem pro triplici hominis vita (n. 265 [2]). Hinc cavendum

3. ne creaturis abutamur in Dei offensam, in nostrum damnum, sed iis utamur tamquam fideles dispensatores memores rationis reddendae villicationis nostrae Luc. 16, 2. Quem fructum hinc colligendum praeclare complexus est s. Ignatius verbis meditationis notae, quam inscripsit „Principium et fundamentum“: „Reliqua (praeter hominem) super faciem terrae (sita), creata sunt propter hominem, et ut eum juvent in prosecutione finis, ob quem creatus est. Unde sequitur, homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum juvent ad finem suum, et tantum debere eum expedire (retrahere) se ab illis, quantum ipsum ad eum finem impediunt; quapropter

4. necesse est facere (exhibere) nos indifferentes erga res creatas omnes, quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii, et non est ei prohibitum, adeo ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et consequenter in ceteris omnibus, unice desiderando et eligendo ea, quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.“

262. **IV.** Ex dogmate ‚ducimur in cognitionem dignitatis humanae‘: nam

1. omnia subjecit Deus sub pedibus ejus Ps. 8, 8, hominenque creavit, ut praesit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae Gen. 1, 26. Cum tam magna et varia sit universitas rerum, quanta praestantia hominis, quae illi dominatur cognitione, potestate, usu.

2. Ita autem illis praeesse debet, ut ipse subsit Deo. Cf. verba Lombardi n. 265 [2], atque ita per hominem omnia revocanda sunt ad Deum, cui omnis honor et gloria in secula seculorum. Cf. n. 288.

3. Adeo vero instituta sunt cuncta in hominis utilitatem, ut teste Paulo *diligentibus Deum* hinc recte se habentibus erga finem *omnia cooperentur in bonum* Rom. 8, 28: quo magis scil. quis Deo servit, eo magis ei servient res creatae, in ejus nimirum bonum et commodum: quo magis vero quis a Deo avertitur, in eo majus damnum ejus vergent res creatae, adeo ut pugnaturus sit in vindictam pro Deo *orbis terrarum contra insensatos* Sap. 5, 21, qui scil. in rebellione adversus Deum moriuntur.

263. **V.** Ex hoc dogmate homo ‚inducitur ad patientiam in adversis‘.

1. Si enim omnia a Deo creata sunt, et Deus est optimus, imo Pater noster, nihil inter creaturas erit vere malum: hinc de singulis, quae Deus creavit, toties repetitur vidisse ea Deum et fuisse bona, et in fine totius creationis iterum inculcatur Gen. 1, 31: *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona.*

2. Quod si ea nos affligunt, bona erunt certissime ratione finis, quem inquirere debemus ut bonum illud lucremur, ad quod facta vel permissa et ordinata sunt. Porro eorum finis est, ne nimis inhaereamus huic terrae et obliviscamur, quod *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* Hebr. 13, 14: ut purgemur a peccatis eorumque reliquiis, pro illis satisfaciamus, exerceamur et solidemur in virtutibus, meritorum occasione fruamur (n. 96 [4]), conformes fiamus imagini Filii sui Rom. 8, 29, quem *oportuit pati et ita intrare in gloriam suam* Luc. 24. 26. Quare

3. mala sine querela, patienter, imo si est possibile, gratanter de manu Dei accipiamus: est enim ipse Dominus, imo et Pater noster, et *si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Job. 11, 10, illumque fructum ex malis colligamus, quem supra consideravimus n. 96 [4].

PARS II.

De creationis operibus.

264. Considerato creationis actu, jam ad creationis opera transeamus, quae ad tria praecipua revocari possunt: ad mundum scil., hominem, angelos. Quare hanc partem in tres dividemus sectiones.

Sectio I.

De Mundo.

265. Quae de visibili rerum universitate tenenda sunt, paucis absolvamus.

1. Tenendum est [1]) *mundum esse signum seu speculum divinorum,* nam *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* Rom. 1, 20. Hoc probant **a.** omnia illa Scripturae et patrum testimonia, quibus innixi ostendimus (n. 6 s.), hominem solo rationis lumine ex creaturis cognoscere posse Deum; testantur **b.** divinae literae, cum affirmant, coelos enarrare gloriam Dei Ps. 18, 1 ss.; testatur ipse Deus, cum provocat homines ad contemplanda mundi mirabilia, ut inde cognoscant ipsius potentiam, magnitudinem, majestatem Job c. 38 ss. Hoc **c.** toties inculcant patres, quoties mundum dicunt speculum, librum, praeconem, magistrum divinorum, manuductorem scalam ad Deum etc. Ita Basilius hom. 1 in Hex. n. 6: »Deprehendes excogitatum fuisse mundum non temere, neque frustra, sed ad finem quendam utilem et magno usui cunctis rebus futurum: siquidem est revera animarum ratione praeditarum gymnasium et locus, in quo Dei comparatur cognitio, quippe per res visibiles sensibilesque mentem quasi manuducit ad invisibilium contemplationem, ut ait apostolus (Rom. 1, 20)« etc. Quare alter Basilius, seleuciensis scil. hortatur or. 1 n. 1: »Ad creaturae Dominum per creaturam ascendamus: cum enim Deus eam scalae instar aptaverit, per eam sui amantibus ad seipsum viam paravit.« Idem docet **d.** ipsa rei natura, nam quodvis opus auctorem suum manifestat, eoque magis, quo perfectius est. Elucet enim profecto Dei immensitas ex immensitate mundi, ejus omnipotentia ex ipsa mundi exstantia et stabilitate; ejus perfectio et liberalitas ex creaturarum numero, varietate, perfectione; sapientia ex miro ordine et provida dispositione; ejus justitia ex catastrophis, quae nonnunquam orbem terrarum concusserunt, ut diluvium. Belle hinc s. Bonaventura in itiner. mentis c. 2: »Omnes creaturae istius sensibilis mundi animum contemplantis et sapientis ducunt in Deum aeternum pro eo quod... illius artis efficientis, exemplantis et ordinantis sunt umbrae, resonantiae et picturae; sunt vestigia, simulacra et spectacula.«

Verum non solum signum divinorum theoreticum est rerum universitas, sed et practicum, provocans jugiter homines ad Dei cultum, dilectionem, timorem atque gratiarum actionem: nam *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens*

---

[1]) De quaestione, sitne mundus unus, cf. Thomas 1. p. q. 47 a. 3; Valentia in 1 disp. 3 q. 4 p. 3.

cibo et laetitia corda nostra Act. 14, 16. Unde praeclara Augustini verba Confess. X, 6: »Coelum et terra, et omnia quae in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amen: nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.« Cf. pius l. Bellarmini de ascensione mentis in Deum per scalas creaturarum; Lessius de div. perfect. XIV, 4 s.

2. Tenendum est *mundum conditum esse in hominis utilitatem* eamque triplicem pro triplici hominis vita, animali, rationali, supernaturali. Dubitari enim nequit **a.** mundum cedere in hominis utilitatem, quod vitam spectat animalem; diserte enim id significatur Gen. 1, 26; 2, 17; 9, 2 etc. Cedit **b.** in hominis institutionem rationalem, quae est triplex: intellectualis, ethica, religiosa; quod probant, quae diximus n. praeced.; probat et quotidiana experientia; nam homines ex universitatis rerum consideratione innumeras hauriunt cognitiones, quibus scientiae ipsorum supellex ideoque et dominium ampliatur; in dies magis idonei redduntur ad contemplandas ideas archetypas, quas in rerum universitate Deus expressas voluit, rationesque aeternas, secundum quas omnia disponuntur. Cf. Sap. 7, 17 ss. Cum vero **c.** homo destinatus sit ad finem supernaturalem, ipse quoque ordo naturalis in eundem dirigetur hominique prodesse poterit ad eum assequendum: *diligentibus* saltem *Deum omnia cooperantur in bonum* Rom. 8, 28, quod et patres satis clare docent. Cf. opusc. III, 100 an. Hinc praeclare scribit Petrus Lombardus 2. d. 1 n. 8: »Sicut factus est homo propter Deum i. e. ut ei serviret; ita mundus factus est propter hominem, scilicet ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur et ipse serviret, ut acciperet utrumque (f. utrimque) et reflueret totum ad bonum hominis et quod accepit obsequium et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo serviens juvaretur: et voluit ut mundus serviret homini et exinde similiter juvaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat et quod factum est propter ipsum, et propter quod ipse factus est. *Omnia enim,* ait Apostolus 1 Cor. 3, 22, *nostra sunt,* scilicet superiora et aequalia et inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, ut Deus Trinitas; aequalia ad convivendum, scil. angeli etc.« Quae sunt derivata ex Hugone a s. Victore de sacr. l. p. 2 c. 1.

3. Tenendum est *mundum non ab aeterno, sed in tempore* seu cum tempore *fuisse creatum:* quae assertio est de fide, ut patet ex decretis conc. lateranensis cap. ‚Firmiter' (n. 235) et vaticani (n. 251), et ex damnatione prop. 1—3 Ekkardi (apud Denzinger n. 428 ss.). Statuitur autem contra Origenem omnesque eos philosophos, qui rejecto casu aeternam asserunt mundo exsistentiam. Et revera mundi aeternitas est non solum praeter Scripturas, in quibus nullum occurrit vestigium mundi ab aeterno creati, sed etiam contra Scripturas, quae diserte negant, mundum esse ab aeterno, nam ei adscribunt initium, in quo inceperit, et ante quod jam fuerit Deus. Ita Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram:* quod *principium* intelligi debet de principio temporis; ab eo enim numerantur deinde dies sex, qui licet admodum longi fingantur, temporis intervalla designant; a sexta die autem numerantur anni humani generis; sermo ergo est hic de principio temporis. „Quoniam multi opinabantur, inquit Basilius l. c., mundum Deo

esse coaeternum ... ad istorum hominum errorem tollendum consulto haec verba elegit (Moyses) et dixit: *In principio creavit* etc." Quod confirmatur collatione cum Gen. 2, 4, ubi phrasis *in principio* exprimitur ditione *in die,* qua certe significatur tempus. Ps. 89, 2: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis: a seculo et in seculum tu es Deus:* Prov. 8, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio ...* v. 26: *Adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae;* Joan. 17, 5: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te:* Eph. 1, 4: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* πρὸ καταβολῆς κόσμου ante jacta mundi fundamenta; atqui mundi fundamenta jacta sunt in ipsa creatione materiae. Si ergo mundus initium habuit, et Deus erat, antequam fieret mundus, profecto mundus non est ab aeterno. Cf. etiam Ps. 101, 26; Matth. 24, 21.

266. **Scholion I.** Quaerunt philosoqhi et theologi, *num mundus ab aeterno potuerit esse creatus* ita, ut ab aeterno exstiterit, atque in diversas abeunt sententias. Sunt qui affirment, iique gloriantur in primis Thomae nomine, qui eam tuetur op. 27 de aeternitate mundi. Cf. de ejus sententia deque fontibus unde ea est hausta, Stöckl in Katholik 1883. I, 225 ss. Sunt qui hanc possibilitatem absolute negent; sunt qui illam tueantur, sed tantum quoad substantias incorruptibiles. Ita Valentia, qui in 1. p. d. 3 q. 3 p. 3 spectatis rationibus philosophicis probabilius censet, potuisse mundum quoad omnes res saltem permanentes, ex quibus constat, ab aeterno produci; propter patrum tamen auctoritatem absolute id tueri non audet; Pererius l. 15 de communibus omnium rerum naturalium principiis, postquam 56 argumenta Aristotelis, Procli, Averrois etc. pro mundi aeternitate refutavit; Genér theol. dogm. schol. 3, 39 etc. Ceterum sententia negans videtur praeferenda. Sane

1. patres contra arianos pugnantes pro certo supponebant, nullam creaturam esse vel etiam esse posse ab aeterno; ideoque ex Filii aeternitate eum non esse creatum inferebant. Ita Athanasius or. 1 c. arian. n. 29: »Audiant illi, res factas aeternas esse non potuisse, etiamsi eas semper Deus potuerit facere. Illae enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent: quae autem non erant, antequam fierent, quomodo cum Deo, qui semper est, possunt exsistere?« Cf. n. 14. 29; or. 2 n. 1. 22. 57 etc. — Basilius c. Eunomium l. 6: »Nos autem ejusdem insaniae esse putamus, tum creaturae aeternitatem adscibere, tum creaturae Dominum hoc testimonio privare.« Cf. praeterea Cyrillum alex. thes. ass. 32; Zachariam mytilaenum qui fuse de hoc argumento disputat in l. de opificio mundi; aliosque apud Petavium de Deo III, 6 et Knoll institut. theol. theoret. t. 2 § 138.

2. Neque desunt rationes. Aeternitas enim, quae competit creaturae ex hypothesi ab aeterno productae, vel est successiva vel simultanea totius vitae perfectio. Atqui haec uni Deo competit, perfectam enim supponit immutabilitatem; altera repugnat, cum nulla duratio succesiva concipi possit sine initio reali, nulla aeternitas cum initio; nec generatim ulla duratio quae fine reali clauditur, est infinita; duratio autem creaturae ab aeterno nunc ex-

stantis deberet esse infinita; si enim finita est, habet initium: si initium habet, non est aeterna; infinita vero dici nequit, quia quolibet momento finiri concipi potest, quolibet momento augetur, nec aeternitatem Dei exhaurit.

3. Hoc adeo evidens visum est s. Bonaventurae, ut scripserit: „Ponere mundum aeternum esse sive aeternaliter productum, ponendo res omnes ex nihilo productas omnino est contra veritatem et rationem... et adeo contra rationem, ut nullum philosophorum quantumcumque parvi intellectus crediderim hoc posuisse: hoc enim implicat in se manifestam contradictionem [1]“ Ideo theologi scholae medii aevi communi consensu eam opinionem rejecerunt. Neque ulla est ratio sufficiens hanc possibilitatem tuendi quoad substantias incorruptibiles, si ea negatur quoad corruptibiles.

Ceterum etiamsi mundus ab aterno creatus esset possibilis, „convenientius fuit et melius, inquit s. Thomas de pot. q. 3 a. 17 ad 8, ut sic producerentur (creaturae), sicut convenientius et expressius Deum poterant manifestare. Expressius autem manifestatur ex creaturis, si non semper sint: quia in hoc manifeste apparet, quia ab alio eductae sunt in esse, et quod Deus creaturis non indiget, et quod creaturae omnino divinae subjacent voluntati.“ Cf. c. gentes II, 38; Patrizi de interpret. s. Script. II q. 1 a. 1; Reinke Die Schöpfung der Welt pag. 67—87.

267. **Scholion II.** *De cosmogonia mosaica.* — Iis jam consideratis de mundo, quae propius theologum spectant, nequit disputatio censeri absoluta, quin paucis saltem patrocinium suscipiamus cosmogoniae mosaicae. Praecipua enim revelationis dogmata innituntur magna ex parte narrationi Moysis. Si ergo verum esset, quod plenis buccis affirmant increduli, illam pugnare cum disciplinis naturalibus, actum esset de ipsa revelatione. Jam vero exceptiones adversus cosmogoniam mosaicam petuntur aliae ex astronomia, aliae ex geologia, aliae ex palaeontologia. Quae ex astronomia petuntur, ad haec revocat ipse Strauss, dux incredulorum: **1.** admitti non posse creationem terrae ante creationem solis, sui scil. centri, quam tamen Moyses quartae demum assignat diei; neque **2.** admitti posse, plantas ante exsistentiam solis floruisse fructusque protulisse; absonum **3.** esse, ad terrae formationem quinque exigi dies, dum unus suffecerit ad solis omniumque stellarum conditionem;

---

[1]) In 2. dist. 1 p. 1 a. 1 q. 2. Et revera mundus aeternus videtur figmentum rationis sicut spatium immensum. Eo ipso enim instanti incipit tempus, duratio creaturae propria quo Deus creat, quod momentum antecedit tantum aeternitatis, quantum subsequitur; sicut undecunque concipitur radius e centro progredi ad peripheriam, tantum peripheriae praecedit sectionis punctum, quantum illud subsequitur. Neque illius creaturae durationem licet conferre cum duratione quae est aeternitas, sicut nec esse creaturarum cum esse divino, spatium cum immensitate; et sicut quilibet effectus actionis divinae quamvis infinitae est essentialiter finitus, nec immensus: ita quilibet terminus actionis divinae ad extra est essentialiter initio et mutabilitati saltem alicui obnoxius, quia durationis ratio non sequitur operantis, sed operis rationem exsistendi. Cf. Stentrup Das Dogma von der zeitl. Weltschöpfung; Kleutgen Philosophie der Vorzeit t. 2 disp. 9 c. 3.

4. secundum Moysen terram esse praecipuam universi partem, solem vero reliquasque stellas exhiberi satellitum instar famularumque terrae contra omnes astronomiae theorias. — E geologia maxime urgent, hanc palam facere, terram gradatim innumerorum seculorum lapsu ad praesentem redactam esse statum; juxta Moysen vero sex tantum diebus omnia fuisse absoluta. — Similis exceptio ex palaeontologia derivatur.

268. *Principia ad solvendas difficultates.* — Ad quas aliasque difficultates solvendas haec prae oculis habeantur principia:

1. Sicut generatim inter rationem et revelationem nulla potest esse pugna, cum sint duo radii distincti ejusdem lucis illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum: ita speciatim nulla concedi potest pugna inter librum Genesis divinitus inspiratum et librum naturae, opus digitorum Dei, cui innituntur disciplinae naturales.

2. Eo minus timenda est ulla pugna inter Genesim atque disciplinas naturales, quod constat **a.** peritos in ejusmodi disciplinis viros eam non reperire, imo profiteri amplisque depraedicare verbis harmoniam, quae inter illam et has exsistat, ideoque admirari cosmogoniae mosaicae sapientiam necnon accurationem, ut Cuvier, Buckland, Ampère etc. [1]; quod constat **b.** progressu disciplinarum naturalium innumera systemata excogitata fuisse geologica narrationi mosaicae plus minusve opposita, quae tamen omnia jam antiquata et rejecta sunt. Ita academia gallica a. 1806 eorum circa 80 enumerare potuit, quae comprobata sunt falsa [2]. Antiquabuntur ergo et corruent systemata quoque recentiora revelationi infensa. Constat **c.** difficultates, quae diu videbantur fere insolubiles, gradatim mira providentiae dispositione, quae fidei apologiae succurrit novis inventionibus et observationibus, fuisse solutas et dissipatas; quare tuto sperare possumus earum quoque difficultatum solutionem, quae nondum forte satis sunt solutae. Denique **d.** notitiae geologicae et palaeontologicae nostrae sunt adeo tenues et angustae, imo et ancipites, ut temerarium plane sit secundum illas, tamquam secundum normam infallibilem, Moysis cosmogoniam dijudicare [3]. Quare ob clamores praeproperos et inconsultos geologorum quorundam non statim concidendum animo, sed pacate exspectanda matura factorum et inventionum

---

[1] Cf. Nicolas philos. Studien über das Christenth. 1, 360; 423; Perrone de Deo Creat. c. 2 prop. 2; Reusch Bibel und Natur praelect. 6.

[2] Cf. Wiseman Zusammenhang wissenschaftl. Forschung mit der geoffenbarten Religion praelect. 5 § 9.

[3] Cf. Reusch prael. 4, 15; Cetta il Diluvio, Taurini 1886, qui p. 179—90 exempla adducit illationum praecipitum geologorum, qui ad quaedam phaenomena explicanda 100,000 annos exegerunt: hi vero maturiori examine redacti sunt ad 4400; imo annos 900,000, qui redacti demum sunt ad annos mille!

discussio, et videbimus inanem, imo et temerariam fuisse praesumptuosam eorum jactantiam.

3. Illud in primis notandum est **a.** Moysis consilium non fuisse, docere judaeos astronomiam, geologiam, zoologiam seu generatim disciplinas naturales: sed institutionem tradere voluisse religiosam vulgi captui accomodatam, nominatim de hac spectabili rerum universitate, atque haec in primis alte illius menti et cordi imprimere: omnia esse a Deo, hinc tam accurate praecipua creaturarum genera percurrit omniumque productionem diserte Deo adscribit; omnia esse bona, nihilque a Deo esse mali; omnia esse propter hominem ad excitandam gratitudinem in Deum; institutionem hebdomadae et sanctificationem sabbati, ut religiosa hujus diei celebratione profiterentur Dei dominium atque beneficiorum ejus cum gratiarum actione recordarentur. Quocirca **b.** de hisce loquitur non more physicorum et doctorum, sed concipiendi loquendique morem sequitur populi [1]; quam praxim, si intelligi volunt, sequuntur vel ipsi astronomi, cum et ipsi in sermone vulgari dicere soleant, solem oriri, ascendere, moveri; loquantur de stellis majoribus minoribusque non secundum rei veritatem vel scientiam, sed secundum externam visibilemque speciem. Quare injuria exigitur a Moyse, ut more geologorum vel physicorum scribat eorumque satisfaciat curiositati. Hinc **c.** mirum esse non debet, si Moyses de sole stellisque atque aliis eatenus tantum loquitur, quatenus referuntur ad terram et secundum apparentiam ceteris praetermissis. Qua una animadversione pleraque inepte ex astronomia a Strauss objecta solvuntur. Inde vero sequitur **d.** longe pauciora esse themata seu argumenta communia cosmogoniae mosaicae et disciplinis naturalibus, quam plures contendere solent. Aliud tractat Moyses, circa aliud occupantur disciplinae naturales; ille disserit de rerum initiis, de quibus scientia naturalis suis observationibus innixa nihil certi statuere potest, cum ipsius sit observare phaenomena et inquirere in leges, secundum quas praesens ordo regitur, de quibus non est sollicitus Moyses: quare ipse, ut nonnemo acute loquitur, praefationem veluti scripsit ad disciplinas naturales expositis rerum exordiis; quae haec consecuta sunt, relinquit indaganda physicis peritis, secundum illud Eccle. 3, 11: *Mundum* (utique qualis modo exsistit a parte rei) *tradidit disputationi eorum* [2].

---

[1] Thomas 1. p. q. 68 a. 3. „Considerandum est, quod Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens illa solum eis proposuit, quae manifeste sensui apparent;" q. 70 a. 1 ad 3. Cf. Reusch praelect. 7.

[2] Cf. Kurz, Bibel und Astronomie in append. ad cc. 5. 6, qui c. 1 ingeniose scribit: „Er vergesse nicht (physicus), dass wenn die Natur ein Buch voll göttlicher Lehre und Predigt ist, dass dann die Bibel Lexicon und Grammatik ist, woraus

4. Verba ergo Genesis c. 1 quandam admittunt interpretationis latitudinem. Quotiescunque igitur observationes geologicae evidenter exigerent, ut alia ratione Moysis verba explicentur atque hactenus factum est, id licebit; nam sapienter praecipit Augustinus de Gen. ad lit. I, 21 n. 41, „ut quidquid ipsi (sapientes hujus mundi) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris libris non esse contrarium.“ Licere autem aliter atque aliter verba Genesis explicare patet, quia nulla exstat authentica cosmogoniae mosaicae interpretatio, ipsique patres et post patres theologi varie eam exponunt. Quocirca prudenter notat s. Thomas 1. q. 68 a. 1: „Sicut Augustinus docet [1]), in hujusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat: ne Scriptura ex hoc verbo ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur.“ Cf. de pot. q. 4 a. 1; in primis q. 9 a. 1.

269. Jam *potiores cosmogoniae mosaicae explicationes* proponamus, quae a viris eruditis catholicis excogitatae et defensae fuerunt.

1. Non desunt, qui opinentur, narrationem mosaicam esse mythum sicut aliarum gentium cosmogoniae vel descriptionem poëticam creationis rerum ideoque exegetas frustra esse sollicitos et inaniter laborare de harmonia inter illam et disciplinas naturales determinanda, cum de modo et ordine productionis rerum nihil certi ex poemate colligi possit. Quae quidem opinio, quatenus veritatem narrationis mosaicae historicam plus minusve in dubium videtur revocare, nequit probari, quia admissa semel tanta interpretandi licentia eodem jure et narratio lapsus protoparentum et diluvii etc. poëma reputabitur, e quo nihil certi liceat expiscari. Qua opinione rejecta

2. theologi catholici communi consensu veritatem narrationis mosaicae historicam tuentur iique tamen in tres classes distribui possunt. Sunt enim qui admittant simultaneam omnium creationem, qua omnia opera sex dierum in eodem instanti temporis simul sunt facta vel in actu vel in potentia secundum rationes causales, ut videlicet de materia praeexsistente postea fieri possent vel per Verbum, vel per virtutes activas in ipsa creatione naturae impressas. Quae opinio reperitur jam apud Philonem de mundi opific. pag. 14; l. Allegor. Ex patribus eam praesertim proponit Augustinus de Genesi ad lit. IV, 33 s.; V, 3. 5 ss.; l. VII passim; de civit. Dei XI, 29 ss. (cf. Scheeben § 144 n. 286 s.; Hummelauer comment. in Gen. c. 1. qui

---

er allein Etymologie und Syntax dieser heiligen Sprache, Bildung und Geschichte, Sinn und Bedeutung aller einzelnen Worte erlernen kann; dass sie allein die Kritik und Hermeneutik, Aesthetik und Logik lehre, wonach die disjecta membra poëtae zu ordnen, zu verstehen, zu erläutern sind.‘

[1]) L. c. c. 18 ss., quae utiliter legentur; II, 9; Confess. XII, 21 s. Cf. Katholik 1865 II, 399 ss.; 1866 I, 385 ss.; 1879 I, 255 ss.; 1880 I, 263 ss.; Laacher-Stimmen 1877 II, 69 ss.

ejus circa hanc quaestionem fluctuationes persequitur; Isidorus hisp. de ordine creatur. c. 8 n. 7; eam significat Clemens alex. Strom. V, 14 (Mig. 9, 129 ss.); Origenes in Gen. 2, 2 (Mig. 12, 145 ss.); Athanasius or. 2 c. arianos n. 60 (Mig. 26, 276) ut videtur etc. Ex theologis scholae illam inter alios laudant Albertus M., Bonaventura in 2. dist. 13 a. 1. q. 1 et Thomas, qui in 2. dist. 12 a. 2 de ea dicit: »Prior (scil. haec opinio) est rationabilior et magis ab irrisione infidelium s. Scripturam defendens . . . et plus mihi placet«; cf. in 4. dist. 43 q. 1 a 3 sol. 3 ad 1; 1. p. q. 74 a. 2; eam tuentur Sixtus senensis, Cajetanus in Gen. 1, 15; Em. Cerda (acerrime), Car. Moreau, Berti etc.; etiam aliqui protestantes. Cf. Norisius in vindiciis augustinianis c. 4 § 9, qui eam adversus haeresis accusationem strenue vindicat.

Hi nituntur praesertim Eccli. 18, 1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul;* censentque Moysen nonnisi claritatis gratia, quo creationis opus melius apprehenderetur, per partes descripsise, quae simul sunt facta; vel ejus narrationem de opere sex dierum cum Augustino allegorice esse exponendam, »ut isti sex dies distinguantur secundum quod lumen intellectus angelici sex rerum generibus cognoscendis applicatur, ut prima dies sit cognitio primi divini operis, secunda dies cognitio secundi operis; et sic de aliis; et sic distinguuntur illi sex dies non secundum ordinem temporis aut successionis rerum, sed secundum ordinem naturalem rerum cognitarum, prout unum opus cognitum est prius altero, ordine naturae.« Thomas de pot. q. 2 a. 4. Haec tamen sententia conciliari potest cum ea, quae dierum nomine intelligit longas periodos. Sicut enim haec concedit, omnia, quae indigent immediata Dei creatione neque fieri poterant successiva elementorum evolutione, simul a Deo esse creata: ita et illa haud inficias ibit, ea qua non indigent immediata Dei creatione, sed secundum rationes causales latebant potentia in rerum initiis atque ex eisdem per leges naturales poterant evolvi et progerminari, non statim fuisse ab initio, sed temporis lapsu ex suis prodiisse causis proximis.

3. Plurimi literae inhaerent; hinc dierum nomine intelligunt intervalla 24 horarum: quae sententia vere communis dici potest apud patres et theologos usque ad. sec. XVIII. Neque mirum; principium enim est indubium hermeneuticae, sensum literalem non esse deserendum, nisi graves urgeant rationes. Atqui usque ad sec. XVIII., quo primum disciplinae naturales diligentius fuere excultae, nullae ejusmodi rationes urgentes aderant. Neque nostro desunt seculo viri eruditi, quibus ea arrideat, ut Keil, Veith, Sorignet, Laurent, Bosizio, Orti y Lara etc., secundum quos observationes hucusque factae nondum cogunt, ut deseramus sensum literalem, pro quo semper stat praesumptio.

4. Qui vero disciplinis delectantur naturalibus, fere omnes tamquam certum vel admodum probabile statuunt, admitti non posse, mundi opificium sex diebus ordinariis fuisse absolutum, sed breviores longioresve periodos pro varietate systematum, quae profitentur, ad illud rite explicandum postulant. Quam hypothesim non pugnare cum s. Scriptura ita evincere nituntur **a.** Gen. 1, 2 describitur quidem terrae conditio, quae praesentem rerum ordinem praecessit: utrum vero illi chaos alia terrae conditio praecesserit, an illud diu duraverit, neque affirmatur, neque negatur. Si ergo inter primam materiae mundanae creationem et chaoticam terrae conditionem v. 2 descriptam (inter v. 1 et 2), vel primum diem, quo facta est lux v. 3, diuturnum admittitur temporis intervallum, quo contigerint illa mira in visceribus terrae

latentia phaenomena, quae quotidie deteguntur, nil contra Scripturae fidem asseritur. Ad haec **b.** negari nequit vocem *diei* (translate) adhiberi de indefinita vel diuturna duratione, tum apud scriptores profanos (hinc illa Tullii: »Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat«), tum in ipsa Scriptura: nam passim apud prophetas, cum de eventibus futuris est sermo, *in illa die, in novissimo* idem est atque in illo tempore, in novissimo tempore. Quapropter Augustinus de civ. Dei XX, 1: »Scripturarum more sanctarum, inquit, *diem* poni solere pro *tempore,* nemo, qui illas literas quamlibet negligenter legerit, nescit.« Ita Hilarius in Ps. 55 n. 2. 3: »Diem frequenter significari pro aetate cognovimus, ut ubi dies tota est, illic omne vitae tempus ostensum sit. Neque enim David vel Dominus unius tantum diei insectatione vexatus est.« Cf. in Ps. 51 n. 5; Ambrosius l. 7 in Lucam n. 222: »Scivit et ille diem esse multiplicem, qui scripsit: *Hic dies generationis coeli et terrae* (Gen. 2, 4).« Cf. Reinke Beiträge zur Erklärung des A. Testamentes V, 7 ss. Imo in ipsa narratione mosaica quadruplici saltem significatione ea vox accipitur: scil. pro intervallo 24 horarum (ex hypothesi eorum, qui literae inhaerent); pro tempore lucis diurnae v. 16; pro illo spatio temporis, quod dicitur dies v. 5. 8 et 13 ante conditum solem, seu antequam systema solare in ordinem redactum fuit: de tribus enim prioribus diebus scribit Augustinus l. c. XI. 6: »Qui dies cujusmodi sunt, aut perdifficile nobis aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere.« Denique pro toto tempore creationis Gen. 2, 4: *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus coelum et terram.* Quare cum vox *dies* designare possit periodos longiores brevioresque, licebit sensum literalem deserere ob graves rationes. Et sane si propter rationes leves Augustino aliisque patribus necnon theologis licuit literalem sensum penitus deserere, id licebit et aliis propter rationes graves.

Sed **c.** adsuntne ejusmodi rationes? Adesse plurimi contendunt; et alias quidem petunt ex astronomia, quae docet, lucem omnium fere stellarum annorum plurium spatio, ut ad nos pertingat, indigere: illas autem omnes vel fere omnes Adamum die jam sexta vidisse, dubium esse nequit (Gen. 2, 1). — Alias petunt ex geologia, quae clare docere videtur, strata superficiei terrae secundum statas leges gradatim atque successive longo annorum intervallo fuisse efformata; ex statu fossili et plantarum et animalium, quorum ingens multitudo in visceribus terrae reperitur, ad quem efformandum secundum leges, quibus praesens regitur rerum ordo, plurimum requiritur temporis; ex ipso textu Gen. 1, 11, secundum quem terra protulit tertia die herbam *facientem semen* et lignum pomiferum *faciens fructum,* quod inter 24 horas naturaliter fieri nequit. — Praeterea dies septimus, quo Deus dicitur requievisse ab omnibus operibus suis 2, 2, non sat bene de die intelligitur vulgari. — Neve dicatur, omnia illa phaenomena, ad quae explicanda non sufficere sex dies solares diximus, omnipotentia divina momento fieri potuisse; nam non est recurrendum ad miracula absque certissimis testimoniis, quoties ad effectus explicandos sufficiunt vires naturae. »Haec est enim, inquit ad rem Tongiorgi Instit. phil. t. 2 l. 2 c. 3 a. 2, divinae providentiae consueta agendi ratio ac tum in corporeo mundo tum in spiritali, nec in naturali solum ordine, sed etiam in eo, qui est supra naturam, perpetua notata lex, ut quaecunque creatae res acceptis a creatore viribus agere in alicujus operis executione possunt, ea omnino illis efficienda committantur; ac tum solum divinae potentiae immediata

adsit actio, cum vel creata agentia nulla sunt, vel, si quae sunt, viribus ad opus idoneis destituuntur . . . Jam in rerum exordio putandum est, Deum usitatum sibi agendi modum servasse, cum praesertim tunc et providentiae futurae ordo inciperet et ad mundi finem hic agendi modus maxime conduceret.« Quod si hoc fuit Dei consilium, profecto non poterant omnia sive uno momento sive sexies viginti quatuor horis fieri. Imo secundum hanc sententiam longe illustrior apparent sapientia, providentia, amor et cura Dei de homine, et quod etiam in hoc sensu charitate perpetua dilexerit nos (Jer. 31, 3), si videmus Deum jam a seculis millenis omnia mundi elementa ita instituisse et disposuisse, ut demum prodiret pulcherrimum hoc hominis habitaculum, vires naturae hunc in finem directas et impensas, ut homini futuro copiam atque abundantiam omnium illarum rerum praeparent, quibus ad vitae usum et commodum indigeret, cujusmodi sunt lapides, metalla, carbones, sal, bitumen etc. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* Ps. 8, 1.

Neque huic explicationi obstare dicunt rationem archetypam, quae hebdomadi creationis inest prae hebdomade humana (cf. Exod. 20, 8 ss.). Nam ut hebdomas illa divina paradigma sit et norma hebdomadae humanae, non requiri, inquiunt, aequalitatem durationis (sicut imago non debet esse ejusdem magnitudinis cum exemplari), sed sufficere aequalitem seu similitudinem proportionis; satis igitur fuisse, ut constiterit sex distinctis intervallis cujusvis demum durationis vel sex etiam principalibus operationibus et functionibus omnipotentiae et providentiae creatricis cum earundem consummatione seu fine. Ita et apud Danielem 9, 24 spatium constans septem annis hebdomadam appellari. Hinc jam Augustinus de Gen. ad literam IV, 27: »Istos septem dies, inquit, qui pro illis agant hebdomadam . . . sic illorum vicem quandam exhibere credamus, ut non eos similes, sed multum impares minime dubitemus.«

270. Qui periodos admittunt, in diversas iterum abeunt sententias. **1.** Sunt enim, qui admittant periodum longiorem inter v. 1 et 2 seu inter creationem coeli terraeque et statum chaoticum; eo autem tempore contigisse contendant phaenomena quae miratur geologia. Quam opinionem tuentur non solum plures e protestantibus, sed etiam e catholicis, inter quos Fr. Schlegel, Car. Maria Mayrhofer et praesertim Westermayer [1]), qui eam multis expolit et excolit. Secundum ejus theoriam v. 1 narratur creatio universi et terrae anterioris, cujus incolae fuerint angeli ante ipsorum lapsum (neque enim omnino aversatur opinionem, angelos corpore quodam esse praeditos). Horum lapsu prior terrae conditio periit, non secus ac postea diluvio propter hominum peccata mutatus fuit terrae status. Quare v. 2 describitur status ruinae, in quem angelorum peccato redacta sit terra, v. 3 ss. non prima mundi creatio, sed terrae devastatae restauratio; prioris vero mundi idcirco nulla fit mentio, quod scopus Moysis fuerit de terra eatenus tantum loqui, quatenus modo est hominis domicilium. Fatentur tamen hujus opinionis patroni, positivis argumentis eam non probari; illi tamen neque adversari Scripturam, neque traditionem, neque rationem, imo ea admissa plura revelationis doctrinae capita alioquin obscura mirifice illustrari atque explicari, ut propterea rationi se admodum commendet: inde ex. gr. explicari singularem

---

[1]) Das alte Testament und seine Bedeutung t. 1 sect. 1 § 4 ss.

angelorum lapsorum ad terram humanumque genus relationem; dignitatem, momentum et habitum terrae ad universum [1]) etc.

Haec tamen opinio probari nequit: obstant enim **a.** silentium Scripturae et traditionis; conjunctio v. 2 cum 1 tamquam explicatio termini terrae, de qua v. 1; quae **b.** conjunctio confirmatur repetitione vocis äräç v. 2 qua significatur de ea terra esse sermonem, cujus mentio facta est v. 1; **c.** tempus praesens hajetha, non historicum vattehi; **d.** verba Christi testantis satanam *de coele* cecidisse Luc. 10, 18; **e.** gratuitas, imo falsitas suppositi angelos corpore esse praeditos.

2. Alii quamvis forte non rejiciant longum temporis intervallum, quod opificium sex dierum praecesserit, exigunt tamen, ut nomine dierum c. 1 Genesis intelligantur non intervalla 24 horarum, sed dies prophetici, intervalla admodum diuturna; vel tuentur inter singulos illos dies intercessisse prolixa temporis spatia, quorum cursu contigerint omnia quotquot voluerint geologi phaenomena. Has periodos censent alii sibi invicem successisse, qui concordistae dicuntur; alii opinantur eas plus minusve sibi fuisse parallelas et coaevas, adeoque dies non tam distingui ab invicem successione, quam objecto operationis divinae, ideoque esse tantum momenta logica seu sex divinas ideas creatione in effectum productas. Hi cosmogoniam mosaicam idealistice exponere dicuntur. — Ab his haud multum distinguuntur qui revelationistae dicuntur, secundum quos Moysis (seu ejus majores) didicit cosmogoniam visione, qua sub schemate opificii sex dierum Deus illum docuit omnium rerum originem divinam. Hanc explicationem ceteris praeferendam censent opinionibus, quod in ea evitentur omnes difficultates faciliterque restituatur concordia scientiam inter et revelationem [2]).

Sectio II.

De homine.

271. „Ut ingressuro in civitatem aliquam rege, inquit Chrysostomus in Gen. hom. 8 n. 2, operae pretium est, praemitti satellites

[1]) Ita ex. gr. Kurz, Bibel und Astronomie c. 4 § 19: „Ihr Interesse an der Erde, ihre Ansprüche an dieselbe, ihre Feindschaft gegen den Menschen, dem das ihnen entrissene Leben geschenkt ist, der berufen ist, das Gericht über sie, dem sie schon ideal verfallen sind (Jud. 6; 1. Petr. 2, 4), auch thatsächlich in Ausführung zu bringen (1. Cor. 6, 3), dies alles erklärt sich von hier aus völlig genügend. Es tritt von hier aus die Bedeutung der Erde als des geschichtlichen Mittelpunktes des Universum, wo sich aller Kampf zwischen Guten und Bösen concentriert, wo das Schicksal der ganzen Welt ausgefochten wird, in ihr rechtes Licht; es erklärt sich, wie das ganze Universum erst mit der Vollendung der Erde vollendet sein kann“ etc. Cf. contra hanc opinionem Bosizio Hexaemeron und Geologie ep. 6; Reusch praelect. 19; Reinke l. c. disp. 2.

[2]) De nova quadam sat singulari expositione idealistica Dr. Gryse, secundum quem dies genesiaci nihil aliud sunt quam dies civiles hebraeorum, quorum constitutionem divinam Moyses narrat, absque ulla relatione ad opera Dei, ac si haec inter illos contigerint; cf. Kern in Zeitschr. für kath. Theol. 1891 p. 139 ss. Cf. generatim de hoc argumento Hummelauer der biblische Schöpfungsbericht, Freiburg 1877; comment. in Gen. c. 1; Güttler, Naturforschung und Bibel; Pianciani Erläuterung zur mos. Schöpfungsgesch. § 15 ss.; Treissl das bibl. Sechstagewerk vom Standpunkt der kath. Exegese und der Naturwissensch., Ratisbonae 1894 ed. 2.

aliosque omnes, ut bene adornata regia rex in eam adveniat: simili modo Deus nunc quasi regem et principem aliquem rebus terrenis praefecturus prius omnem hunc ornatum fabricavit, et tandem iis praeficiendum hominem produxit, declarans factis istis, quanto honore animal hoc (τὸ ζῷον) prosequatur.“ Considerato nimirum domicilio et regno i. e. mundo, hujus jam incola et rex i. e. homo consideratione est dignus. Quatuor vero attentionem merent: hominis origo, natura atque praestantia naturalis (quantum ejus consideratio ad theologum spectat), ejusdem elevatio ad ordinem supernaturalem, tristissimus lapsus lapsumque subsecutae miseriae.

Caput I.

De humani generis origine.

272. Variae fuerunt quavis aetate opiniones circa hominis originem sive ejus spectes corpus, sive ejusdem animam. Praetermissis veterum gentilium somniis potiores errores, qui modo praesertim grassantur, gradatim excludemus. Sit ergo

Thesis CXXI. ***Primi parentes immediate a Deo conditi sunt.***

Demonstratio. Initio immanem illum errorem rejicimus, qui mirum in modum incredulis nostrae aetatis arrisit, secundum quos homo revera a brutis specie non differt, sed tantum gradu, jugique naturae explicatione et profectu ex animantibus prodiit. Verum

1. eum omni adversari revelationi christianae non est, cur multis demonstremus; diserte enim s. Scriptura primi hominis creationem Deo et quidem immediate adscribit Gen. 1, 26 s.; 2, 7. 21 ss. etc.

2. Theoria, secundum quam homo jugi naturae explicatione ex animantibus demum est obortus, est praeter et contra omnem experientiam, cum nullum adduci possit certum exemplum plantae aliunde quam a planta, animalis aliunde quam ab animali, nedum hominis aliunde quam ab homine nati; imo nec planta vel animal ullum specie nobilius ab inferioribus prognatum seculorum cursu ostendi potest. Quapropter ea adversatur legibus naturae, secundum quas tamen omnia naturae phaenomena explicari postulant adversarii, et quarum ferream immutabilitatem atque constantiam ad ravim usque decantant, cum agitur de miraculis.

3. Adversatur observationibus geologicis, quae non solum hunc transitum successivum non confirmant, sed potius evertunt. Non enim reperiuntur inter varias animalium species accurate definitas gradus intermedii, per quos una animantium species in aliam transierit [1]).

[1]) Si recentissimarum virorum eruditorum observationum rationem habemus, generatio aequivoca, qua animalcula et plantae infimi ordinis sine semine prae-

4. Revera praeter hypotheses atque conjecturas easque omnino gratuitas, arbitrarias temerariasque, quas ad solvendas exceptiones pro libitu fingunt et in dies mutant, nihil pro sua theoria afferre possunt hujus figmenti patroni, apud quos pro ratione invicta est impugnandae revelationis libido; eodem enim spiritu, quo tuentur, homines a simia potuisse oriri, negant, homines omnes ab eodem parentum pari originem duxisse; quare? quia revelatio id docet. Quod si revelatio doceret, non omnes homines ab uno derivari pari: omnium hominum ab uno origo, quae ipsis modo absurda videtur (quia ita docet revelatio) eadem facilitate hisce sapientibus, qui secundum logicae rigorem ratiocinari se jactant, videretur evidentissima.

5. Immerito causam transformationis successivae unius speciei in alteram referunt in novas necessitates novosque appetitus, quos experiatur animal et a quibus determinetur exercitium suorum organorum facultatumque tale, quo demum mutentur organa et una mutentur facultates atque ita novum oriatur animal. Nam indigentiae atque appetitus, qui in bruto esse solent, determinantur ab ipsa natura facultatibusque, quibus idem constituitur; nequit igitur brutum experiri necessitates atque appetitus, qui non sint conformes suae naturae atque in ipsa rationem suam ultimam non habeant. Influxus quoque adjunctorum, in quibus versatur animal, determinatur ab ipso subjecto, in quod influunt, pro ejusdem capacitate recipiendi hunc influxum. Sunt ergo fictitiae istae necessitates novae atque appetitus in animali novi, a quibus pendeat essentialis ejus mutatio et determinetur novae speciei origo. Summum concedi potest, externis adjunctis et necessitatibus fieri, ut organa, quae jam adsunt, illis magis accommodentur: sed nunquam ut nova producantur aliique inducantur instinctus, praesertim tales, qui in prolem stabiliter transeant.

6. Nunquam vero explicabitur rationis aliarumque praerogativarum [1]), quibus homo essentialiter ab omnibus secernitur animantibus, orgio et evolutio, suppositis quibuscunque indigentiis in bruto irrationali. Ceterum dato etiam, non concesso, homines utcunque potuisse originem ducere a brutis, nondum demonstratum esset factum. Cum ergo revelatio mosaica, contra quam increduli nil ullius momenti excipere possunt, contrarium testetur, standum est potius huic testimonio, quam conjecturis arbitrariis. Verum malunt adversarii proles esse brutorum, quam opus manuum divinarum juxta illa Ps. 48, 21: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

---

cedentis animalis vel plantae per corruptionem ex materia inferioris ordinis oriri jactantur, est plane rejicienda. Cf. Reusch praelect. 25. Invicte vero arbitrarium Darwini systema ex manifestis geologiae factis refellit Pfaff in opusc. Die Theorie Darwins und die Thatsachen der Geologie, Frankfurt 1876; Wigand der Darwinismus und die Naturforschung Newtons und Cuviers 1874—77 t. 3; Gutberlet Lehrb. der Apol. sect. 3 § 4; Hertling KL. IV, 642 ss; Jo. Ranke der Mensch, Lipsiae 1894; Hettinger Apologie I, I. diss. 7 append. 2.

[1]) Cf. de essentiali discrimine inter hominem et bruta solide disserentem Wieser in op. Mensch und Thier, Freiburg 1875 et de thesi Palmieri th. 25.

273. *Num corpus protoparentum immediate a Deo fuerit productum.* Falsa prorsus, imo secundum Scheeben n. 384 haeretica, est quorundam opinio, qui contendunt, hominem non quidem secundum animam, sed secundum corpus originem duxisse a brutis, seu corpus cujusdam bruti jugi explicatione et profectu ita gradatim fuisse evolutum et perfectum, donec aptum esset recipiendae animae rationali a Deo creatae, qua informaretur. Ita in primis in Anglia Prof. Mivart[1]), secundum quem haec opinio non adversatur fidei. Nolumus quidem materialismi vel incredulitatis notam eidem inurere, eam tamen reprobamus, quod rationi non est consona, nedum s. Scripturae, quae Deum exhibet auctorem immediatum corporis humani.

1. Sicut enim Gen. 2, 9: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum* causa materialis immediata, non remota significatur, ita etiam v. 7: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae.*

2. Cum legimus ib.: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae,* vel ipsi adversarii intelligunt illud *inspiravit* de actione Dei immediata, qua auctor fuit animae; quare ergo verbum *formavit* in inciso priori non intelligitur de actioni Dei immediata, qua auctor fuit corporis?

3. Nemo negabit immediatam Evae productionem 2, 21 ss. describi. Atqui sicut ipsa dicitur *de viro sumpta,* et ideo appellatur *virago:* ita Adamus dicitur *de limo terrae* formatus 2, 7; *de terra sumptus* 3, 19: et propterea Adam vocatur. Ergo limi et terrae nomine non designatur causa materialis remota, sed proxima.

4. Et quomodo inspectis omnibus animantibus non invenit simile sibi, visa vero Eva prorupit in haec verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea,* si ipse fuisset, ut affirmat haec theoria, quam impugnamus, os de ossibus et caro de carne bruti?

5. Gen. 3, 19 dicitur homo in terram reversurus, de qua sumptus est; sed non revertitur in terram per innumeras formas ordinis animalis; ergo nec per innumeras formas ex terra demum formatus est in hominem. Cf. Eccli. 17, 1. 2: *Deus creavit de terra hominem . . . et iterum convertit illum in ipsam;* 33, 10; Eccle. 12, 7.

6. Denique haec opinio reprobatur in conc. coloniensis tit. 4 c. 14: „Primi parentes a Deo immediate conditi sunt. Itaque Scripturae s. fideique plane adversantem illorum declaramus sententiam, qui asserere non verentur, spontanea naturae imperfectioris in perfectiorem continuo ultimoque humanam hanc immutatione hominem, si corpus quidem spectes,

---

[1]) Genesis of Species 277; Lessons from Nature 1876 p. 177; Dublin Review 1872 Jan. Cf. Knabenbauer Stimmen aus M. Laach 1877. II, 121 ss.

prodiisse." Hinc etiam inaudita est in universa christiana antiquitate, quae illam diserte et aequivalenter nunquam non respuit.

274. **Thesis CXXII.** ***Adamum primum fuisse hominem ex eodemque totum genus humanum suam ducere originem sacrae literae testantur. Illi igitur, qui vel nesciri ajunt, unde genus humanum ortum acceperit, vel totum genus humanum ab Adamo propagatum esse negant, Scripturae sacrae plane et aperte adversantur.***

Declaratio. Hisce verbis aliud doctrinae catholicae caput de humani generis origine enunciat concilium coloniense tit. 4 c. 14, damnatque errorem [1]) tum praeadamitarum, secundum quos jam ante Adamum exstiterunt homines, tum coadamitarum, secundum quos Deus plura hominum paria immediate condidit. Propterea autem multi doctrinam catholicam de origine omnium hominum ab uno Adamo rejiciunt, quod putent, secundum eam explicari non posse tot tamque varia inter diversas gentes discrimina. Illam jam rejecit Julianus apostata (op. ed. Spanheim I, 292); posteriori aetate Jordanus Brunus, in primis Isaac de la Peyrére in op. cui titulus: Praeadamitae sive exercitatio super v. 12. 13. 14 c. 5 ep. ad Romanos, vel titulo immutato: Systema theologicum ex praeadamitarum hypothesi, quod nostra aetate plurimi sectantur.

275. **Demonstratio.** Omne humanum genus propagari ab uno Adamo et Eva, nullosque admitti posse praeadamitas sive coadamitas.

1. diserte testantur ss. Scripturae quarum doctrina est: **a.** creasse Deum Adamum Gen. 2, 7: *Formavit igitur Deus hominem de limo terrae* etc., et quidem **b.** ita ut *primus* et *solus esset creatus* Sap. 10, 1; neque ante ipsum exstiterit homo 2, 5: *Et homo non erat, qui operaretur terram;* neque eo creato inveniretur adjutorium ei simile Gen. 2, 20: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus;* hinc **c.** dixisse Deum Gen. 2, 18: *Non est bonum, esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi,* et propterea Gen. 2, 21 s. condidisse Evam, quae idcirco hoc nomine fuit appellata, *quod mater esset cunctorum viventium* 3, 20. Rationem autem **d.** quare Deus creaverit Adamum et Evam, fuisse ut replerent terram Gen. 1, 27 s.: *Masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram et subjicite eam.* Quae omnia complectens Paulus docet Act. 17, 20: *Fecit* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Hinc **e.** sicut Moyses narrat rerum omnium, animalium, plantarum etc., absque exceptione originem: ita omnium plane hominum vult referre initia: atque adeo Deo cordi fuit omnium communis origo, ut vel Evam non aliunde quam ex Adamo produxerit.

---

[1]) In schemate reformato constit. dogmat. de doctrina cath. pro conc. vaticano (Coll. lac. VII, 555. 566) habetur hoc de argumento caput (2) et canon (II, 4) hujus tenoris: »Si quis universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum esse negaverit, A. S.«

2. Eadem veritas colligitur ex dogmate catholico de peccato originali, secundum quod omnes homines nascuntur originali infecti peccato mortique obnoxii, eo quod ex eodem stipite et capite naturam peccato infectam i. e. ex Adam trahunt Rom. 5, 12 ss. Atqui hoc negatur admisso semel praeadamitarum vel coadamitarum figmento.

3. Eatenus tantum esset difficultas adversus dogma catholicum, quatenus ope disciplinarum naturalium posset certo et invicte demonstrari repugnantia originis tot diversarum gentium ab uno communi stipite. Atqui ea repugnantia nunquam fuit demonstrata; imo celebres in scientia naturali viri cum revelatione de communi humani generis origine conspirant, ut Buffon, Cuvier, Linné, Jo. Müller, Owen, Alex. Humboldt, Blumenbach, Schubert, Rud. et Andr. Wagner, Quatrefages, Car. Ern. de Baer etc.

4. Sane homines variarum classium differunt inter se vel specie vel tantum accidentaliter. Si secundum accidentia tantum, accidentalis haec diversitas non obstat origini communi, cum ea pendere possit e diversis rerum adjunctis, et unaquaeque animantium species intra suos limites, experientia teste, innumeras admittat varietates partim transeuntes, partim stabiles et perennes, majores etiam iis, quibus variae hominum classes ab invicem differunt. Adesse vero differentiam specificam (in natura animali) inter varias hominum classes, admitti nequit, cum characteres specifici apud omnes iidem reperiantur, uti sunt, eadem structura corporis anatomica, idem vitae terminus, eadem ad aegrotandum dispositio morborumque communitas, idem inter certos limites corporis calor, medius pulsuum venarum numerus, eaedem partus leges, et, quod magni est momenti, omnes omnium gentium conjugium par ad prolem indefinite propagandam inire inter se possunt omnesque iisdem animi pollent facultatibus.

5. Huic veritati praeterea et illud favet factum, quod transitus unius hominum classis in aliam est tam placidus, tenuis et prope inobservabilis per gradus intermedios innumeros, ut nunquam limes possit assignari, quo una desinat, incipiat altera. Quare nulla apparet repugnantia admissa communi humanae speciei origine, a qua natura humana derivata, in suis primis praesertim stadiis admodum flexibilis (sicut singulorum hominum natura individua in prima pueritia), successu temporis ob multiplicem climatis aliarumque causarum influxum varietates stabiles contraxerit: quod etiam in animantibus contigit, quamvis et in his singularis haec flexibilitas cessaverit [1]).

---

[1]) Cf. Reusch prael. 28 ss.; Rauch Einheit des Menschengeschlechtes, Augustae V. 1873; Scheeben, qui § 152 bene de momento unitatis humani generis disserit.

276. **Thesis CXXIII.** ***Frustra increduli contendunt, humani generis originem longe antiquiorem esse epocha a Moyse assignata.***

Declaratio. Nolumus in praesentia arithmetice definire, quot effluxerint anni ab Adami creatione ad nostra usque tempora. Fatemur libenter hac de re plurimum dissentire inter se non solum historicos sed etiam patres et theologos: variant enim quod tempus ab Adamo usque ad Christum attinet inter annos 3761—6984. Ab Adami creatione usque ad aerae christianae initium secundum quosdam judaeos 3761 anni effluxere: secundum Theophilum antiochnum a. 3911; Hieronymus in qq. hebraicis numerat annos 3941; Scaliger 3950; Beda 3951; Cornelius a Lapide 3953; Sixtus senensis 3960; Bellarminus et Petavius 3984; Natalis Alexander 4000; Prosper in Chronico 4360 (usque ad Christi mortem, vel 4228); Ado in Chronico 4832: Isidorus hispal. 5155; Philo 5169; Chronicon albeldense 5198 (Mig. 129, 1127); Eusebius caesariensis et Victor turonensis cum martyrologio romano et Sicardo cremon. in suo chronico 5199; Gregorius turonensis 5234; Julianus tolet. 5325; Philastrius haer. 112 a. 5341; chronologia antiochena seu byzantina 5492 (KL. III, 312); plures 5500, ut Epiphanius haer. 66 n. 50; Theophilus l. 3 ad Autolycum n. 24 ss.; Julius africanus; Hippolytus in Dan. fragm. n. 4; Hilarianus de duratione mundi n. 6; Anastasius sinaita angog. contempl. in Hexaem. l. 7 et 11, ubi ait: »Est commune et contra quod nihil dici potest dogma;« Epiphanius diaconus in refutatione act. pseudosynodi VII. lecta in concilio coc. VII. (Migne 129, 382); Nicephorus H. E. l. 1 c. 10 et ult. a. 5505; Cedrenus 5506; s. Nicephorus CP. chronol. c. 9 secundum emendationem Contii c. 5508 (al. 5457); Nourrya. 5538; Clemens alex. a. 5624; Biaca contra Calinum S. J. a. fere 6000 etc. Cf. Vigouroux Manuel biblique I, 453—63 ed 4. Ratio autem tanti dissensus haud ultima est ipse dissensus inter textum hebraicum uti nunc exstat (quem sequitur vulgata) et versionem alexandrinam. Qui illum sequuntur censent, nondum effluxisse sex annorum millia; qui vero nituntur versioni alexandinae, jam septem vel etiam octo annorum millia praeteriisse concedent. Quare contra illos statuimus thesim, qui innixi documentis, ut ajunt, historicis (verius dixeris plerumque fabellis) vel inventis palaeontologicis contendant, relationem mosaicam erroris semper convinci, sive sequamur versionis alexandrinae, sive textus hebraici chronologiam, cum longe antiquior sit humani generis origo.

277. **Demonstratio. 1.** Eatenus tantum esset difficultas contra historiam mosaicam, quatenus adessent monumenta vetustiora fide omnino digna, quae humano generi longe majorem aetatem adscriberent. Atqui talia plane desunt; quae enim proferuntur ex historiis sinensium, aegyptiorum, assyriorum, neque adeo sunt antiqua, neque, fatentibus ipsis prudentioribus historicis [1]), fide adeo digna. Eoque magis

2. Moysi est fidendum, quod argumenta tam interna, quam externa ejusdem favent chronologiae. Favent interna: scripsit enim Genesim

---

[1]) Cf. Reusch praelect. 32 ss.; Perrone praelect. t. 5 p. 2 c. 3; Hummelauer in Laacher Stimmen 1879 II, 66 ss.; coll. 1874 I, 164 ss.; 358 ss.; Schanz KL. III, 318 ss.

pro judaeis aegyptiacarum opinionum haud ignaris, inter quas et illa erat de antiquissima aegyptiorum origine. In ejusmodi vero adjunctis populo suo adeo recentem non vindicasset ortum, neque hic fidem ei tribuisset, nisi ex traditione primitiva certissime de hac recenti constitisset origine. — Favent argumenta externa, quae petuntur ex generis humani novitate, quam novitatem testatur negative defectus omnium monumentorum reliquiarumque ad humanum genus spectantium, quae certe antiquiora sint epocha mosaica, cum plantarum animaliumque reliquiae, quae majoris aetatis esse videntur, ubique abundent; testantur positive initia omnium historiarum, regnorum, artium, disciplinarum, quae non excedunt aetatem a Moyse humano generi assignatam; vix enim ascendunt ad annos 4—5000 ante Christum. Quae omnia conciliari nequeunt cum hypothesi senectutis humani generis, quae annorum myriades complectatur.

278. Postquam vindicavimus doctrinam catholicam adversus errores de origine generis humani, vera quoque doctrina vindicanda est de origine partis nobilissimae humanae naturae i. e. animae.

Errores de animae humanae origine. — Potiores errores et sententias de animae origine paucis complectitur Hieronymus ep. 126 n. 1: »Super animae statu memini vestrae quaestiunculae, imo maxime ecclesiasticae quaestionis: Utrum lapsa de coelo sit, ut Pythagoras philosophus omnesque platonici et Origenes putant; an a propria Dei substantia, ut stoici, Manichaeus, et hispana Priscilliani haeresis suspicantur; an in thesauro habeantur Dei, olim conditae, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt; an quotidie a Deo fiant, et mittantur in corpora secundum illud, quod in Evangelio scriptum est, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (Joan. 5, 17); an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris et maxima (?) pars occidentalium autumant; ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, et simili cum brutis animantibus conditione subsistat.« Praetermisso autem errore absurdo manichaeorum et priscillianistarum breviter prius exludemus Origenis errorem, apud veteres valde vulgatum, secundum quem animae suis praeexstiterunt corporibus, in quae nonnisi in poenam suae a Deo defectionis inclusae fuerint, et quidem pro lapsus gravitate in crassiora vel tenuiora. Animarum praeexsistentiam tuebantur priscillianistae quoque, de quibus cf. Leo M. ep. 15 c. 10, dein cathari, plures sociniani; neque ab ea abhorrent Kant, Schelling, Jul. Müller etc.; eam damnarunt Leo M. ep. cit. conc. braccarense II. a. 563 c. 6 et oecumenicum V. can. 1—6, quorum 1 ita habet: »Si quis fabulosam animarum praeexsistentiam et quae ex illa consequitur monstruosam restitutionem asseruerit, A. S.«

279. *Origenis error refellitur.* — Et revera adversatur hic error

1. divinis literis, quae testantur, omnia quae Deus initio creavit, inter quae et homo, fuisse valde bona Gen. 1, 31; peccatum in mundum post hominis creationem intrasse et quidem per Adamum, in quo secundum dogma catholicum *omnes peccarunt* Rom. 5, 12, etiam ii, qui non peccarunt actu proprio v. 13. 14; imo homines, antequam nascuntur, nil boni vel mali fecisse Rom. 9, 11; quae conciliari nequeunt cum Origenis theoria. Praeterea

2. dogma est catholicum omnes esse suscitandos cum corporibus suis. Atqui si corpora haberent tantum carceris rationem, et conjuntio cum corpore foret tantum medicinalis, peracta purgatione, nulla esset vel necessitas, vel convenientia, vel ratio resuscitationis corporum.

3. Si praesens vita stadium esset purgationis, emendationis, poenitentiae etc. pro culpa vitae anteactae, hujus vitae culpaeque homines conscios esse oporteret, alioquin non cognito praesentis vitae scopo, eam sicut convenit instituere non possent eaque frustraretur fructu. Nemo vero sanae mentis hujus culpae vitaeque praeteritae sibi est conscius.

4. Hac in hypothesi animae innumerae quae nonnisi post seculorum decennia suis junguntur corporibus, interim manerent in statu diuturno cujusdam indeterminationis; ejusmodi vero status neque cum animae natura, neque cum divina conciliari potest sapientia. Cf. Staudenmaier § 86.

5. Ex patribus unus audiatur Caesarius (vel alius auctor antiquus) dial. 3 q. 149 ita hanc absurdam opinionem impugnans: »Num vero Moyses precans super populum, ut essent infiniti et innumerabiles velut arena maris, volebat tot intellectiles potestates in coelo peccantes in corpora dejici in augmentum eorum, qui erant in terris? Et Anna religiosa femina pro fecunditate numen exorans (1. Reg. 1, 11), num rogabat, ut intellectilis et incorporea potestas ex coelis caderet, quo ipsa hominem generaret? Aut David, divinorum ille carminum auctor, pro piis illud votum faciens: *Et videas filios filiorum tuorum* (Ps. 127, 6), num cupiebat per lapsum ultramundanarum potestatum justi genus multiplicari?« Cf. Kleutgen t. 2 d. 10 c. 2 § 1.

280. **Thesis CXXIV.** ***Rejecta opinione, secundum quam animae ex animabus non secus ac corpora ex corporibus traducuntur seu gignuntur, statuimus, animas divinitus creari atque tunc cum corpore conjungi, cum praestitutus naturae ordo id exigit.***

Declaratio. Celebris est controversia de animae origine, utrum ea scil. a parentibus ipsis vi generationis gignatur, cum gignant non solum corpus, sed hominem (neque enim corporis, sed hominis dicuntur genitores), an immediate singulae animae a Deo creentur corporibusque infundantur. Sententia, quae primum tuetur, traducianismus seu melius generatianismus dicitur, cujus varias formas cf. apud Scheeben § 151: quae alterum defendit, creatianismus audit. Plures patres fassi sunt quaestionis difficultatem, quam reddita etiam ratione ita belle expressit s. Gregorius M. ep. IX, 52: »Dulcissima mihi tua caritas sciat, quia de origine animae inter ss. patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit: eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quaestionem. Gravis enim est quaestio, nec valet ab homine comprehendi, quia si de Adami substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne, quae de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum sit hoc incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.« Quocirca haud pauci patres controversiam dirimere non sunt ausi, sed dubii haeserunt. Ita Rufinus in apol. sua ad Anastasium n. 6; in primis vero Augustinus, qui favebat quidem sententiae de animarum creatione, sed propter difficultatem explicandae transfusionis peccati originalis, ab ea indubie amplectenda retinebatur

(cf. Norisium in vind. august. c. 4 § 3). Posterius scriptores, ut episcopi africani in Sardinia exsules ep. ad Joannem et Venerium c. 16; Fulgentius de verit. praedest. III, 18 ss.; Eucherius lugd. in Gen. 3; Pomerius l. 4 de anima; Isidorus hisp. de officiis eccles. II, 23; differentiarum II n. 105 ss. (verae tamen sententiae favet Sentent. I. 12 n. 4); Rabanus Maurus de anima c. 2; Prudentius tricassinus de praedest. adv. Scotum Erigena; Bruno astensis in Gen. 2, 7 (Mig. 164, 162) etc., Augustini auctoritate in primis duci solent. Rem vero exaggerat Hieronymus cum scribit (n. 278), »maximam partem occidentalium autumare, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima.« Nam si Tertullianum excipias, nullum occidentalium, saltem alicujus famae, reperimus; qui diserte hoc affirmet. Plures dubitasse, concedimus; plures defendisse vel docuisse eam opinionem, quam traducianismum vocitant, prorsus negamus. Recentiori aetate generatianismum plures e protestantibus amplexi sunt, ut Doederlein, Bretschneider, de Wette etc.; e catholicis Klee, Dom B. Gravina in op. Sull' origine dell' anima umana e talune verità, che ne dipendono, diss. fisico-teolog. 1870; diss. 2, 1872; et qui illis accenseri nan amplicus meret, Frohschammer in l. Ueber den Ursprung der menschlichen Seele; ei favet Hermes in Zeitchrift für Philos und k. Theologie 1832 p. 69 s. Singularem generatianismum excogitavit Rosmini in Psicologia t. 1 l. 4 c. 23.

281. Tenendum autem omnino est, ut doctrina prorsus catholica, animas singulas immediate a Deo creari: quae sententia a tempore scholae vere communis dici potest in Ecclesia, quaeque magis semper in ea praevaluit: et quamvis ab Ecclesia forte nulla peremptoria declaratione fuerit definita [1]), adeo ut fidei dogma dici possit: in nonnullis tamen authenticis decretis significatur, imo et docetur. Ita jam Anastasius II. gravissimis verbis generatianismum ut haeresim, vanam falsamque persuasionem' reprobat atque ita adversus eum inter alia scribit [2]): „Cum ab illo, qui ab initio hoc fecit, actio ipsa hodieque non desinit, sicut ipse dixit: *Pater meus adhuc operatur et ego operor* (Jo. 5, 17) . . . Scriptum legimus: *Nonne omnem flatum ego feci* (Is. 57, 16)? Quomodo isti novi haeretici a parentibus dicunt factum et non a Deo, sicut ipse testatur? Itaque, dilectissimi, ego absens corpore, spiritu vero praesens vobiscum, ita redargui volo, qui in novam haeresim prorupisse dicuntur, ut a parentibus animas tradi generi humano adserant, quemadmodum ex faece materiali corpus infunditur" etc. In symbolo a Leone IX. († 1054), proposito Petro ep.: „Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam et absque baptismate originali peccato obnoxiam credo et praedico."

---

[1]) De sententia opposita statuit s. Thomas comp. theolog. c. 93 et 1. p. q. 118 a. 2: »Haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine;« certe erroneam eam opinionem censet Valentia t. 1 comment in s. Thomam disp. 6 q. 8; maxime temerariam Estius in 2. dist. 17.

[2]) Ep. 6 ad episc. Galliae d. 23 vel 28 Aug. 498, ap. Thiel epist. rom. pont. pag. 636. Cf. Zeitschrift für kath. Theol. 1884 p. 236.

Benedictus XII. exegit ab armenis, qui cum Ecclesia catholica conciliari cupiebant, ut damnarent errorem (apud Raynaldum ad a. 1341 n. 50): „Animam humanam filii propagari ab anima patris sui, sicut corpus a corpore, et angelus etiam unus ab alio;“ qui error in synodo armenorum damnatus fuit, „quia Ecclesia armenorum sicut semper credidit, ita idem credit, quoniam animae creantur noviter a Deo, et in tempore animandi simul fit creatio de novo a Deo, et positio in corpore (Mansi XXV, 1193).“ In bulla ‚Apostolici regiminis‘ a Leone X. in concilio lateranensi edita declaratur anima „immortalis et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis.“ Atqui de animarum infusione proprie sermo esse tantum potest, si a Deo creantur. Alexander VII. in constitutione „Sollicitudo omnium ecclesiarum“ eorum tuetur pietatem fidelium, qui sentiunt bb. Matris V. „animam in primo instanti creationis et infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum J. Christi a macula peccati originalis praeservatam immunem [1].“ Quam sententiam amplectitur concilium quoque coloniense (infra n. 295).

282. **Demonstratio p. I.** Fatemur quidem, nullum ex divinis literis pro nostra assertione afferri posse testimonium disertum. Etsi enim animarum productio et infusio saepe in divinis literis adscribitur Deo, incertum tamen relinquitur, utrum iis in locis significetur causalitas immediata an mediata per causas secundas ordinis naturalis, cum haud raro Deo nulla ejusmodi causarum facta mentione tribuantur effectus, qui evidenter naturae viribus peraguntur: ita corporis etiam humani efformatio passim in Scriptura Deo vindicatur. Non desunt tamen testimonia, quae nostrae sententiae favere saltem videantur. Huc forte spectat quod Deus distincta operatione formasse legatur corpus et animam Gen. 2, 7; dein Eccle. 12, 7: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat: et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;* quem in l. Hieronymus: „Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum: manifestum est, Deum patrem esse animarum, non homines [2].“ Hebr. 12, 9: *Deinde patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?*

---

[1]) In schemate reform. constit. dogm. de doctrina cath. pro patribus concilii vatic. c. 2 (coll. lac. VII, 555) decernitur, cunctos, qui incolunt terram ab Adamo naturali generatione, carne de carne nascente, descendere, „cui anima a Deo in singulis de novo creata infunditur.“

[2]) Enervare nititur Augustinus ep. 166 ad Hieronymum hujus testimonii vim passimque argumenta ex Scripturis derivata, ut ep. 190; de Genesi ad lit. X, 9; de anima et ejus origine, I, 14 n. 19 ss.

Quem in l. Primasius: »Idcirco autem omnipotentem Deum (patrem spirituum i. e.) creatorem animarum appellat, non corporum, cum omnium creator sit, quia corpus nostrum ex semine paterno et materno conficitur, anima vero semper a Deo ex nihilo creatur;« et Rabanus Maurus: »Quid hac divisione clarius potuit definire, ut carnis quidem nostrae patres homines pronunciaret, animarum vero Deum solum esse patrem constanter exprimeret?« Et citatis Eccle. 12, 7 et Gen. 2, 7 prosequitur: »Itaque ex his testimoniis manifeste colligimus, patrem spirituum dici neminem posse, nisi Deum solum, qui eos ex nihilo, cum voluerit, facit: homines vero carnis nostrae patres tantummodo nominari.« Cf. Odo camerac. ep. de pec. orig. (Mig. 160, 1077 s.; 1100 s.); Gerhohus l. de gloria et hon. Filii hominis c. 20 (ib. 194, 1147); Cassianus coll. VIII c. 25 opusc. III. 273 s. ser. II.

283. Si ex patrum auctoritate sententia fertur de animarum origine, tenendum est, creari animas; nam sepositis iis, qui dubii haerent, hinc neutri favent opinioni, vix unus alterve veterum est [1]), qui tueatur animam ex traduce gigni; contra plurimi primique subsellii doctores **1.** diserte statuunt animas ex nihilo creari.

Ita Cyprianus de or. dom n. 16; constitutiones apostolicae V, 7: »Qui in utero hominem ex exiguo semine format, et animam ex non ente creans ipsi indit (καὶ ψυχὴν αὐτῷ οὐκ οὖσαν ἐνδημιουργῶν) ... idem et omnes homines ad vitam revocabit etc.«; Hieronymus passim, ut c. Joannem hieros. n. 22: »Deus quotidie fabricatur animas; quod censet Apol. c. Rufinum III, 28 »ecclesiasticum (scil dictum) secundum eloquia Salvatoris;« Gregorius naz. in laud. virgin. v. 392 ss.:

Non totius hominis homo pater est, ut dici solet,
Sed tantum carnis et sanguinis, quorum utrumque
Peribit. Anima autem Dei omnipotentis spiraculum est
Extrinsecus incidens in terrestre figmentum. Novit qui miscuit,
Quomodo primum afflavit ac imaginem terrae miscuit.

Huic concinens ejus frater Caesarius (seu quicunque horum dialogorum est auctor) dial. 2 q. 120: »Nihil aliud quam organum homo generat, animam autem immittit Deus.« — Hilarius de Trinit. X, 22: »Ut per se sibi assumpsit (Dei Filius) ex Virgine corpus, ita ex se sibi assumpsit animam, quae utique nunquam ab homine gignentium originibus praebetur;« et n. 20: »Quasi vero si tantum (scil. carnem) ex Virgine assumpsisset, (Verbum, assumpsisset) quoque ex eadem et animam: cum anima omnis opus Dei sit, carnis vero generatio semper ex carne sit.« — Theodoretus de cur. graec. affect. serm. 5 et 4: »Nam et ex praestitutis corporibus animalium corpora effingit; et ex iis, quae non sunt, animas creat, ἐκ μὴ ὄντων δημιουργεῖ τὰς ψυχάς, non cunctorum quidem viventium, sed hominum dumtaxat.« Cf. insuper s. Ephraem de inspiratione, Procopius gazaeus in Gen. 2, 7; Pri-

[1]) Animas gigni docuit Tertullianus, sed cum de anima agitur, vix est audiendus, de ea saltem minus proprie loquitur: docuit Apollinaris, qui utpote haereticus nullius est auctoritatis; Anastasius presbyter or. 4 c. Monoph. et Theodorus Abucara op. 35 op. Migne patrol. gr. 97, 1587, quod idem videtur cum dialogo, qui editus legitur ib. 94, 1591; favere videntur Gregorius nyss. de opif. hom. cc. 29. 30 et Macarius hom. 30 n. 1.

masius in Rom. 5, 15; Serenus ab. apud Cassianum coll. 8 c. 25; Gennadius massiliensis de dogmat. eccles. c. 14; Clemens alex. strom. IV, 26; VI, 16 (fatente ipso Frohschammer l. c. p. 18 s.); Petrus Damianus l. 1 ep. 13; H. Etherianus de anima c. 4 (Mig. 202, 182).

2. Adeo certa visa est patribus haec sententia, ut ea illustrarent incarnationis mysterium. In primis Cyrillus al., qui inde explicat, cur b. Virgo dici possit Deipara, quamvis divinitatem non pepererit.

»Habet autem, ita ille ep. 1, hoc incarnati Verbi mysterium quandam cum humano partu cognationem. Quandoquidem terrenorum hominum matres naturae ad generandum subservientes, in utero quidem carnem gestant, quae sensim per temporum intervalla concrescens arcanisque quibusdam conditoris operationibus incrementa paulatim sumens ad perfectum adducta formam tandem attingit humanam, Deus vero corpusculo modo, quem ipse novit, spiritum infundit: format enim ille spiritum hominis in illo, ut propheta ait (Zach. 12, 1). Jam alia carnis, alia vero animae est ratio. Atque licet illae terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram tamen partem, sed totum, quod ex anima et corpore conflatur parere dicuntur. Nemo enim, ut exemplo res illustretur, Elisabeth carnem tantummodo, non etiam animam peperisse dixerit: siquidem peperit Baptistam animatum et hominem ut unum ex duobus, carne inquam et anima: ita et in Emmanuelis quoque ortu accidisse cogitemus etc.;« etsi scil. Maria non concepit naturam divinam, sed tantum humanam, mater tamen dici potest et debet suppositi seu personae, quae ex ipsa in humana natura subsistens nativitate prodiit; quae cum non tantum sit homo, sed et Deus, debet Maria dici Deipara. Iterum l. 1 c. Nestorium c. 4: »Gignitur a carne caro procul dubio, et ille rerum omnium opifex modo et ratione, quam ipse novit, ut animata sit efficit: sed tamen mulier, quae peperit, etsi carnis tantummodo sit origo, totum hominem tamen enixa creditur, ex anima inquam et corpore, quamvis ad exsistentiam animae nihil a se ipsa contulerit etc.;« in scholiis de incarn. c. 86. — Maximus dial. 4 n. 6: »Sicut Isaac genitus ex Abrahamo nec alius quisquam hominum est caro dumtaxat, sed unusquisque nostrum genitus est homo ex homine, non quod anima rationalis alteram rationalem genuerit, quamvis homo sit ex anima rationali et corpore compositus: ita illum, qui ex Maria genitus est, appello Deum, animae videlicet et corpori unitum etc.« Cf. Paulinus aquilej. l. 2. 3 adv. Elipandum; Alcuinus adv. haeresim Felicis I, 36; III, 7; V, 3; adv. Elipandum I, 10.

3. Nituntur patres thesim rationibus (de quarum pretio modo non judicamus) confirmare.

Ex Scripturis arguit Rufinus syrus l. fidei n. 28 (Mig. 21, 1136); Lactantius de opif. Dei c. 19 proposita triplici generatianismi forma prosequitur: »Nihil ex his tribus verum est, quia nec ex utroque (parente), nec ex alteruto seruntur animae. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.« Cf. div. instit. II, 12; III, 18; auctor anonymus in disp. cum manichaeis a. 527 apud Mai bibl. novae IV, 2, 80 ss.; Hugo de Ribodimento (fl. c. a. 1125) in ep. ad G. Andegavensem (Mig. 166, 833 s.).

4. Oppositam sententiam patres verbis sat gravibus rejiciunt.

»Ecclesia divinis verbis obtemperans, scribit Theodoretus haer. fabul. V, 91, horum (haereticorum) doctrinam summopere detestatur et aliorum quoque fabulas aversatur: divinae vero Scripturae fidem praebens animam dicit una cum corpore creari, non quae ex seminis materia causam habeat creationis, sed quae auctoris voluntate post corporis exsistat formationem.« — Prudentius:

Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non animas animae pariunt (in Apoth. v. 915 ss.).

Philastrius Seleuco et Hermiae exprobat haer. 55: »Isti angelos dicunt creatores esse animarum nostrarum, non Christum Salvatorem;« eosque reprobat haer. 111, qui affirmant »animam hominis non a Deo per Christum creari quotidie.« »Imago enim Dei i. e. anima facta est ex nihilo (haer 137).« — Quibus addantur Pseudo-Ambrosius de Trinit. a. 18: »Quotidie ergo Deus majestatis in plasmatis jam corporibus animas facit et immittit... Sicut ergo impium est, animam hominis de substantia Dei vel animam ex anima dici, ita impium est dicere, quod ante plasmationem corporis sit.« — Auctor l. Praedestinatus l. 1 c. 26: »Objiciunt quidam Tertulliano, quod animam ex traduce i. e. animam dixerit gigni ex anima sicut ex corporibus corpus, quod catholica fides vehementer exsecratur.« — Prae ceteris vero Pseudo-Hieronymus, qui ep. 37 (Mig. 30, 261 ss.) sententiam nostram pluribus adscribit patribus ac n. 9 ita concludit: »Qui ergo animas ex anima propagari asserunt et non in corpore juxta exemplum primi hominis a Deo quotidie fieri, A. S.« Quare Rupertus tuit. scribere potuit de Trin. XXl, 2: Animas non ex traduce fluere omnium orthodoxorum una est sententia, ne quod ridiculum est, tot consequatur quotidie animas perire, quot pereunt semina.« Cf. praeterea Bachiarius in profess. fid. n. 4 (Mig. 20, 1030); libr. Carolin. III, 1 (ib. 98, 1114). Patrum traditionem fuse proponit Kleutgen Zeitschrift für k. Theolog. 1883 pag. 196—229.

5. Vel apud haereticos vulgata erat haec doctrina. Eam enim profitentur Pelagius in l. fidei n. 20; Coelestius in l. fidei n. 22; Nestorius serm. 3 n. 5; Felix urg. ap. Alcuinum V, 3 adv. ipsum.

284. Neque desunt rationes sat firmae, quae animarum creationem omnino exigant. Adversarii enim statuere debent, animam prolis traduci ex anima vel patris, vel matris, vel utriusque parentis. At primum vel secundum gratis admittunt, atque ita, ut aut pater aut mater parentis dignitate privetur; posterius vero admittere nequeunt, quin animae simplicitas in discrimen vocetur. — Ad haec anima secundum ipsos producitur vel ex semine materiali, vel ex semine spirituali, vel virtute creatrice ex nihilo. Primum affirmare nequeunt, quin negent animae spiritualitatem; neque alterum, quia semen spirituale a gignentium anima praecisum adversatur animae simplicitati; neque tertium (quod tamen generatianismi patronis jam placet), „quia vera ac certa doctrina docet, de facto nullam creaturam aliquid creasse; solum enim Deum omnium creatorem

vera fides agnoscit et sancti omnes docent." Ita Suarez disput. metaphys. 20 sect. 2. Et revera jam concilium nicaenum profitetur Deum factorem omnium visibilium et invisibilium. Hoc vero in symbolo factorem Deum dici, quod sit creator omnium creaturarum, patet ex subsequentibus fidei professionibus, ut Leonis IX. ad Petrum antioch.; concilii lateranensis IV. cap. ‚Firmiter' etc. Cf. Kleutgen Philosophie der Vorzeit disp. 8 c. 4.

285. **Demonstratio p. II.** Dicimus praeterea in thesi, animam tunc corpori conjungi, cum id praestitutus naturae ordo postulat. Quod cum per se sit evidens, demonstratione non indiget; atque verum est, sive statuatur, animas in ipsa conceptione infundi, quod jam pluribus placet; sive cum aliis affirmetur, animam tum demum foetui infundi, cum ad eam recipiendam est satis dispositus; ad quam dispositionem alii aliud exigunt temporis spatium.

286. **Scholion.** Neque propterea quod parentes animam non gignant, sed ea a Deo creetur, parentum dignitate privantur: vera enim ipsis causalitas prae anima est asserenda: ipsorum enim actione **a.** Deus ad animae creationem determinatur, alioquin non creaturus si ea non praecessisset; imo **b.** operatio Dei est complementum generationis parentum, seque mutuo supponunt, perficiunt, complent in ordine ad eundem terminum, qui nunquam supposita praesenti institutione habetur sine utriusque operationis concursu. Quare **c.** parentes vere habent rationem principii efficientis (non quidem totalis) prae filio, et hinc etiam prae ejus anima, quae ipsis vere debet suam exsistentiam; habent **d.** rationem principii exemplaris, necnon **e.** principii consubstantialis seu seminalis. Cf. Scheeben § 151.

Caput II.

De hominis natura atque praestantia naturali.

287. Exposita genuina de hominis humanique generis origine doctrina, consideranda est natura atque praestantia ipsius, quem Tertullianus de resur. carnis c. 9 vocat „ingenii divini curam, manuum Dei operam, molitionis suae regem, liberalitatis suae heredem." Hominis autem praestantia naturalis ex quatuor maxime elucet capitibus: ex modo, quo fuit conditus, ex ejus ad mundum habitu, ex ejusdem natura, ex dignitate imaginis divinae eidem impressae.

Quod attinet hominis conditionem, plura iterum sunt, quae patres mirantur quaeque hominis patefaciunt praestantiam. Ejusmodi sunt **a.** quod ultimo loco fuit creatus (cf. n. 271), et **b.** praeeunte quasi consultatione ss. Trinitatis Gen. 1, 26, unde Gregorius nyss. de opif. hom. c. 3 exclamat: »O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione praecedente eodemque pacto coelum, quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest. Uno verbo hujusmodi in rerum natura miraculum exsistit . . . Solius ad hominis fabricationem creator ille universitatis rerum quadam cum consideratione accedit:

praeparataque primum opificii materia illiusque forma ad eximiae pulchritudinis exemplar exprimendum designata, fine etiam proposito, ad quem creandus esset, tum deinde naturam sibi consimilem et actionibus affinem fabricatur, quae operi, cui destinaretur, esset aptistima.« Neque c. solo nutu et jussu, sed Dei velut manibus specialique diligentia in lucem fuit editus, qua de re inter alios belle Tertullianus (anthropomorphitice quidem nonnihil) l. c. c. 6: »Totiens honoratur (caro), quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa in primis affectione, quae lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus etc.« Haec tamen narrationis moisaicae veluti ornamenta non nimis esse urgenda notat jam Augustinus de Gen. ad lit. VI, 12.

288. Hominis praestantia ex ejus ad universum relatione elucet, dummodo considerentur, quae diximus n. 265 [2]. Hinc enim consequitur, hominem esse quasi centrum et solem mundi visibilis; metam, in cujus utilitatem et obsequium condita fuit et dirigitur magnifica haec rerum universitas; ipse est secundum patres σύνδεσμος ἁπάντων, universi vinculum, mediator et pons, quo mundus visibilis jungitur mundo spirituali; incola atque concivis duplicis mundi, materialis atque spiritualis; μικρόκοσμος seu mundus contractus, ut eum apellat Nic. Cusanus, cum nullum sit creaturae genus, quod non possit in homine agnosci [1]); ideoque naturalis vicarius universae naturae visibilis relate ad Deum, illius interpres, lingua, sacerdos, per quem jugis illa laus, quam sine fine rerum universitas Deo exhibet, est offerenda; ipse via, per quam omnia in Deum finem ultimum sunt referenda; vicissim vero, utpote omnium constitutus dominus Gen. 1, 26, ipse est Dei vicarius in terris et si vis μικρόθεος. Cf. Damascenus de F. O. II, 12; Petavius de opif. sex dierum II, 1; Staudenmaier § 40. Scheeben Myst. § 37.

289. Colligitur tertio hominis praestantia ex ejus naturae, quae corpore et anima constat, dignitate. Praetermittimus, quae de corporis praerogativis passim scribunt patres [2]); quod animam vero spectat, ex philosophia jam supponimus, eam esse a corpore distinctam, et quidem sub-

---

[1]) S. Augstinus l. ad Orosium n. 11. Cf. Wieser Mensch und Thier praelect. 1. Paucis haec complectitur Kurz Bibel und Astronomie pag. 56: »Die Schöpfung des Weltalls erscheint nach der Urkunde in pyramidaler Form: Himmel und Erde in v. 1 bilden die breite Basis dieser Pyramide, der Mensch ihre einheitliche Spitze . . . Er ist das letzte und vollkommenste Geschöpf, das aus dem mütterlichen Schoose der Tellus gebildet wurde: er selbst gehört der Erde an, alle ihre Lebensstufen finden sich in ihm wieder . . . Darum eignet er sich zu ihrem Repräsentanten und Stellvertreter einer jeden ausser- oder überirdischen Sphäre gegenüber. Aber er ist auch göttlichen Geschlechtes, das Ebenbild Gottes, als solcher über die irdische Natur erhoben und darum ihr gegenüber Repräsentant Gottes, Herr und König, Priester und Mittler.« Hinc illae irae diaboli adversus hominem seu naturam humanam, cujus capitalis est adversarius.

[2]) Inter hos eminent Tertullianus in l. de resurrectione carnis; Gregorius nyss. de opificio hominis c. 4 ss. et 30; Lactantius de opificio Dei; auctor dialogorum, qui sub Caesarii nomine circumferuntur dial. 3 q. 140; Bonaventura Breviloquii p. 2 c. 10 etc. Cf. Katschthaler 1, 427 ss.

stantiam simplicem, spiritualem, intellectu ac voluntate eaque libera praeditam, quae certe magnam ejus perfectionem ostendunt. Quibus suppositis nonnulla tantum, quae naturam spectant humanam, attingemus, et initio quidem animae immortalitatem.

290. **Thesis CXXV.** ***Anima humana est immortalis.***

Declaratio. Immortalitas est vita in aeternum duratura. Triplicis generis immortalitatem distinguere solent: essentialem, naturalem et gratuitam, prout ens aliquod aut vi essentiae suae absoluta exsistit et vivit, aut eam habet naturam, quae sempiternam exigat conservationem, aut denique praeter rerum ordinem speciali Dei beneficio vita perpetua donatur. Immortalitas essentialis solius Dei absoluta necessitate exsistentis est propria: gratuita convenit corporibus post resurrectionem; naturalis animae humanae. Ad quod demonstrandum ostendi primo debet, animam esse naturaliter incorruptibilem et per se idoneam, quae perpetuo exsistat et operationes vitales continuet, et deinde eam reipsa destinatam esse ad vitam in aeternum prosequendam.

291. **Demonstratio.** Duplici modo res interire possunt, corruptione et annihilatione. Corruptioni anima hominis obnoxia esse nequit; corrumpi enim non potest per se, i. e. in partes dissolvi, cum sit natura simplex; neque corrumpi potest per accidens, i. e. exsistentia privari eorum instar, quae in alio et per aliud exsistunt eoque destructo esse desinunt, ut animae brutorum: cum sit substantia spiritualis, a corpore intrinsecus independens. Ergo anima interire prorsus nequit, nisi in nihilum redigatur. Inde ulterius sequitur, eam a nulla causa creata exsistentia sua privari posse; annihilare enim nemo potest nisi Deus, a quo res omnes esse suum acceperunt et in esse suo conservantur. Spectata itaque sola natura dubitari non potest, quin anima dissoluto corpore superstes sit futura. Non minus certum est, animam dissoluto corpore functiones vitales, operationes scilicet intellectivas, prosequi naturaliter posse. Facultates enim intellectivae, quae sunt anorganicae et spirituales, nec alterari unquam, nec auferri ab anima possunt. Verum quidem est, functiones facultatum spiritualium in hac vita aliquo modo dependere ab organismo corporeo et propterea laeso e. g. cerebro praepediri aut turbari; sed dependentia haec tantum externa est, utpote ex connexione functionum sensitivarum cum operationibus intellectivis exsurgens, nec in ipsa facultatum spiritualium natura fundatur, sed tantum ex praesenti conditione originem ducit. Si anima soluta fuerit a corpore, alius suppetit modus illas facultates exercendi mutatae conditioni respondens. Ex his patet animam post corporis mortem vi proprietatum suarum naturalium vivam perpetuo existere.

292. Etiamsi anima naturaliter est incorruptibilis, absolute tamen a Deo exsistentia privari potest, quia non necessario, sed contingenter ex-

sistit. Ut itaque pateat, animam perpetuo exstituram esse, inquiramus, num ab ipso Deo ad vitam sine fine duraturam destinata sit, seu adsintne rationes, quae exigant perpetuam ejus conservationem.

1. Animam perpetuo esse conservandam, docet vel ipsa incorruptibilitas ex animae natura dimanans. Quivis enim intelligit, repugnare Dei sapientiae, ut condat naturam per se quidem incorruptibilem, sed modo violento mox in nihilum redigendam. Naturae incorruptibili convenit duratio perpetua; quod autem convenit naturae, Deus auctor naturae eidem non subtrahet.

2. Idem colligitur ex naturali animae praestantia. Repugnat animam, quae est substantia spiritualis, corpore longe excellentior, ratione exsistentiae suae ita a corpore dependere, ut illo pereunte a Deo in nihilum sit redigenda. Agens rationalis certo non solum hunc habet scopum, ut corpus informet: ad hoc enim non opus est facultatibus spiritualibus; ergo non est, cur una cum corpore destruatur.

3. Finis ultimus, ad quem anima est destinata, idem exigit. Mens humana ad finem mundi, qui est gloria Dei, peculiari ratione conferre debet; ipsius enim est, bonum infinitum cognoscere et amare. At finis iste certo non terminatur vita praesenti, sed semper perdurat; nunquam non Deo honor et obsequium debetur; nunquam potentia Deum cognoscendi et amandi in anima deficere potest; nunquam Dei cognoscibilitas et amabilitas exhauritur; semper itaque anima finem habet sibi proportionatum, ob quem conservetur. Si mens una cum corpore esset destruenda, ne in hac quidem vita Deo debitum honorem deferre posset; non enim sibi persuaderet, Deum esse summe bonum et summo amore dignum, si sciret, se ab ipso in nihilum esse redigendam; vel certe Dei obsequium negligeret, nec Deus honorem suum vindicare posset, homines impios puniendo, quia bonis non minus quam malis intereundum esset, et impii ultro mortem sibi adsciscendo Deum vindicem effugere possent. Ergo cum finis animae praestitus sit perpetuus, nec in hac vita satis obtineri queat, vitam perennem ei esse destinatam patet.

4. Accedit desiderium semper vivendi animae naturaliter insitum. „Unumquodque, ait s. Thomas 1. p. q. 75 a. 6, naturaliter suo modo esse desiderat. Desiderium autem in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse nisi sub hic et nunc. Sed intellectus apprehendit esse absolute et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane."

5. Simile argumentum deducitur ex desiderio felicitatis. Anima naturaliter desiderat felicitatem undique perfectam; hinc sequitur, eam ad ejusmodi felicitatem assequendam esse destinatam; fieri enim nequit, ut

desiderium animae ipsa natura invictum et plane necessarium inane sit et fine careat. Sed hac in vita felicitas obtineri nequit. Quare inferri debet, animam dissoluto corpore consequi vitam, in qua vera et perfecta beatitate potiri possit, hancque in aeternum esse duraturam, quia felicitas, quae terminum habet, felicitas vera dici nequit.

6. Neque desunt plures aliae rationes ex ordine providentiae divinae depromptae; quarum unam attulisse sufficiet. Dei sanctitas et justitia postulat, ut virtuti mercedem, sceleri poenam retribuat, nec justos et injustos ejusdem conditionis esse permittat. Atqui homines scelerati in hac vita haud raro faustiori fortuna gaudent quam probi et pii; ergo sequitur, etiam superesse vitam, quae debitae retributioni locum praebeat.

7. Eadem veritas universali suffragio generis humani confirmatur. Inde a prima memoria omnes gentes persuasum habuerunt, animam cum corpore non esse exstinguendam. Temporibus antiquis hanc fuisse persuasionem gentium cultiorum, et veteres scripsores diserte testantur, et monumenta ac libri sacri ab illis relicti, qui nostra aetate in dies magis explorantur, indubie confirmant (cf. th. 269). Nec objici potest, quod scita buddhistica in Asia longe lateque propagata vim hujus assertionis infringant. Attendendum enim est **a.** opinionem a Buddhismo introductam novam fuisse et antiquiori persuasioni indorum oppositam; **b.** Buddhismum non simpliciter docere, animae cum corpore intereundum esse; tenet enim doctrinam metempsychoseos; **c.** vocem Nirvana, qua sortem ab anima maxime expetendam designant, non videri proprie dictam annihilationem significare; **d.** certum esse, asseclas buddhismi ut plurimum doctrinae de animarum immortalitate esse addictos. Eadem est persuasio gentium barbararum nostrorum temporum, quae ritibus funebribus multo plus tribuere solent quam gentes cultiores. Quare cum Cicerone quaest. tusc. l. 1 dicere licet, »uti deos esse natura opinamur, sic permanere animas arbitramur consensu omnium nationum.« Cf. Knabenbauer das Zeugniss des Menschengeschl. für die Unsterblichkeit der Seele; Gutberlet Lehrb. der Apolog. p. 1 s. 3 § 9; Schneider die Unsterblichkeit im Glauben und der Phil. der Völker; Kleutgen Phil. der Vorz. II d. 8 c. 3.

293. **Thesis CXXVI.** ***De ipso composito humano tenenda sunt: 1. hominem coalescere ex corpore et anima sive spiritu, et ita quidem 2. ut substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se sit humani corporis forma; ideoque 3. „cavendum esse a sententia eorum, qui a sana doctrina aberrantes praeter animam rationalem in homine aliud quoddam fingunt vitae corporalis principium, quod animam somaticam vocant, sive hoc vitae corporalis principium psychicum seu vegetativum etiam a corpore distinguant, sive unam eandemque cum illo substantiam esse affirment [1]."***

Declaratio. Hac thesi genuinam et catholicam doctrinam de composito humano contra eos vindicamus, qui tres substantias in homine admittunt seu, ut dici solet, trichotomiam propugnant. Praeter manichaeos, qui cum

[1]) Ita concilium coloniense 1869 tit. 4 c. 14.

forma omnium pessima amplexi sunt statuentes in unoquoque homine duplicem animam, bonam alteram a principio bono, alteram malam a principio malo: illam admiserunt ducibus philosophis graecis Philo de mundi opif. § 22 et Apollinaris, de quo refert Gregorius nyss. in Antirhet. § 46: »Ex tribus rebus constare hominem Apollinaris dicit: spiritu, anima et corpore, quasi hoc Apostolus ad thessalonicenses (1. ep. 5, 23) definiat, subditque hanc trium puerorum cantici partem, nempe: *Benedicite spiritus et animae justorum* (Dan. 3, 86): deinde illud: *In spiritu servite Domino* (Rom. 1, 9), et illa Evangelii verba insuper addit, quibus Dominus ait, eos qui adorant, *in spiritu* adorare oportere (Joan. 4, 23). Haec ubi pluribus disseruit, aliud praeterea quid subdit exsistere, carnem videlicet repugnantem spiritui: hanc autem non inanimem esse dicit, ut eo pacto ostendat, tertium quid praeter animam et corpus esse spiritum.« Recentiori aetate trichotomiam admiserunt plures e protestantibus; ex catholicis vero in primis Güntherus cum sua schola, quorum doctrinam ita paucis complectitur Clemens [1]): »Secundum hanc doctrinam habet homo duas animas, rationalem alteram, scil. spiritum, quem animam apellare, quantum fieri potest, cavet; alteram sensitivam, quae proprie est anima tamquam principium vivificans et animans corpus; haec tamen non est aliquid sive qualitate sive essentia a corpore diversum, sed ejusdem cum hoc substantiae et speciei sub genere, quod naturam vocant, contentae. Haec ψυχή habet proprium suum cogitare, proprium velle, propriam conscientiam et est in homine principium corporis plasticum cum spiritu ab ipsa substantialiter diverso sive anima rationali conjunctum in unitatem formalem, qua homo synthesis ex natura et spiritu exsistit.« — Ad quam theoriam plus minusve omnes ii accedunt, qui statuunt, hominem componi ex spiritu et natura animata seu vivificata. Quamvis enim hi aversentur trichotomiam crassam, secundum quam homo tribus componitur substantiis (spiritu, anima, corpore): subtiliorem tamen quandam trichotomiam profitentur, quatenus praeter corpus duplex admittunt principium vitae substantialiter distinctum, spiritum scil. rationalem et principium vitae animalis et vegetativae (quod quamvis a spiritu separent, substantiam a corpore distinctam esse negant). Error praecipuus propter quem eorum sententia doctrinae catholicae opponitur, est,

---

[2]) Die speculative Theologie A. Günthers und die kath. Kirchenlehre cp. 3: »Nach dieser Lehre hat also der Mensch zwei Seelen, eine vernünftige, den Geist, für den die Schule den Ausdruck Seele möglichst zu vermeiden sucht, und eine sinnliche Naturseele, die eigentliche Seele, die Psyche als lebendes und beseelendes Princip des Leibes, die jedoch nichts qualitativ oder im Wesen vom Leib verschiedenes, sondern mit diesem Einer Substanz ist, weil eine und dieselbe Individualität des besonderen Naturprincips. Diese Naturseele hat ihr eigenes Denken, ihr eigenes Wollen, ihr eigenes Bewusstsein und ist im Menschen als plastisches Princip des Leibes mit dem wesentlich von ihr verschiedenen Geiste oder der vernünftigen Seele zu einer formalen Einheit verbunden, wodurch der Mensch zu einem Vereinswesen von Natur und Geist wird.« His praeludere videtur Alanus ab Insulis c. haeret. l. 1 c. 28 Mig. 210, 329 s. Cf. Scheeben § 149 n. 392 ss., qui inter trichotomiae patrones adducit etiam avverroistas, nam praeter animam formam corporis et vitae animalis principium finxerunt formam quandam intellectualem per omnes homines diffusam seque singulis communicantem principium vitae intellectualis, contra quem errorem statuta fuit a conc. viennensi doctrina catholica, quam hac thesi vindicamus. Quare quadruplex saltem est trichotomiae forma.

quod negent animam rationalem esse formam corporis seu principium vitae animalis omnisque sensus et motus, ac propterea praeter animam rationalem admittant principium vitae animalis ab ipsa substantialiter distinctum, quomodocunque demum hoc describant. Contra quem errorem doctrinam catholicam, quam thesi habes expressam, vindicabimus.

294. **Demonstratio p. I.** Hominem ex spiritu sive anima et corpore coalescere, neque ipsi quos impugnamus, in dubium solent vocare; inutile tamen non erit paucis id comprobasse. Probatur autem

1. ex Gen. 2, 7 (n. 296) et Ez. 37, 1 ss., ubi legitur hominis genesis;

2. ex Eccles. 12, 7 (n. 282), ubi ejusdem habes analysim;

3. ex plurimis Scripturae testimoniis, Matth. 19, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam;* Tob. 4, 3; 1. Cor. 5, 3 ss.; 7, 34: *Mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu:* Jac. 2, 26: *Corpus sine spiritu mortuum est;* Luc. 8, 55; Matth. 16, 25 etc. In his enim **a.** describitur homo coalescens sive ex corpore et spiritu, sive ex corpore et anima; **b.** mors ut separatio sive spiritus a corpore, sive animae a corpore; et **c.** voces *spiritus* et *animae* promiscue adhibentur ad eandem designandam substantiam, si de homine est sermo, quamvis forte ipsam non semper secundum eundem designent respectum. Atqui haec non solum probant hominem coalescere ex spiritu sive anima et corpore, sed etiam eum non componi tribus substantiis; secus enim tam constans loquendi ratio partim falsa, partim manca admodum foret.

4. Simile argumentum ex patrum loquendi ratione colligi potest. Sed cum modo nemo sit, qui hanc crassam tueatur trichotomiam affirmetque hominem tribus constare substantiis, ad alteram thesis partem magis controversam accedamus. Interim sufficiat conc. oecumenici VIII. can. 11: „Veteri et novo Testamento unam animam, rationalem et intellectualem, habere hominem docente et omnibus deiloquis patribus et magistris Ecclesiae eandem opinionem asseverantibus: quidam . . . devenerunt ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare . . . pertentent . . . Itaque sancta haec et universalis synodus . . . talis impietatis inventores et patratores et his similia sentientes magna voce anathematizat etc. Cf. Tüb. Qtlschr. 1854 p. 1 ss.

295. **Declaratio p. II.** et **III.** Jam quaeritur, qualis sit habitus inter animam rationalem et corpus, et respondemus de fide esse, animam rationalem esse formam corporis; atque ita formam corporis, ut sit principium omnis vitae, sensus, motus corporis; quod sine errore in fide negari nequit; ideoque pariter error in fide erit, praeter animam rationalem aliud statuere principium vitae animalis et vegetativae ab illa

substantialiter distinctum. Sane concilium viennense (in Clementina de summa Trin. et fide cath. I, 1) „doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei“ rejicit, et definit, „quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus.“ Quam definitionem etiam Leo X. in conc. lateranensi V. sess. VIII. innovavit atque iterum inculcavit Pius IX. in ep. ad card. de Geissel 15. Jun. 1857 contra Güntherum. „Cum igitur, subjicit conc. coloniense c. 14, secundum conciliorum decreta anima rationalis vere ac per se sit corporis forma, et cum illorum temporum doctores gravissimi formam illud dicant principium, quo corpus vivit, sentimus, movemur et intelligimus . . . dubium esse nequit, e conciliorum mente anima rationali a Deo creata ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici, eamque esse veram, per se atque immediatam corporis formam.“ Quibus deinde illam subjicit illationem, quam habes in ipsa thesis enunciatione. Quare Pius IX. authentice declarat in ep. ad episc. wratislav. 30. Apr. 1860: „Sententiam, quae unum in homine ponit principium, animam scil. rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri conjunctam ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari.“

Dicitur autem anima rationalis forma per se, ergo neque per accidens, neque per aliud. Non per accidens, quia naturaliter hanc aptitudinem et hoc munus habet, ut informando corpus sit humanae vitae principium. Non per aliud, quia vita hominis propria non efficitur per aliquam animam mediam inter corpus et spiritum, quae virtute spiritus moveatur ac regatur, sed solum ab anima rationali dependet; hinc est forma immediate, et est essentialiter, tum ex parte ipsius animae, quia hoc est de ejus essentia, ut sit apta corpori informando, tum ex parte compositi i. e. hominis, quia compositio hujusmodi essentiale est, ut corpore tamquam materia et anima tamquam forma coalescat. Quod anima rationalis immediata sit corporis forma declarat etiam Pius IX. l. c. rationem reddens damnationis operum Güntheri: »Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera, per se atque immediata corporis forma.« Huc referri potest etiam prop. 22 Rosmini reprobata a congr. s. Officii 14. Dec. 1887: »Non est cogitatu impossibile divina potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale: maneret nempe in ipso tamquam basis puri animalis principium animale, quod antea in eo erat velut appendix.« Prop. 24: »Forma substantialis corporis est potius effectus animae atque interior ter-

minus operationis ipsius: propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima.« — Per se autem patet huic doctrinae catholicae adversari opiniones illorum, qui sive cum Malebranche censent in conjunctione animae et corporis locum habere tantum occasionalismum, sive cum Leibnitio harmoniam quam dicunt praestabilitam. Cf. KL. III, 2095. Statui tamen nequit, a conc. viennensi definitum esse, animam esse formam corporis eo sensu, ut immediate uniatur materiae primae et huic tribuat ipsam formam corporeitatis: ut liquet ex interpretatione Pii IX. et ex concilii colon. verbis, quae habes in textu. Cf. Palmieri de Deo creante th. 26 cum append. pag. 769 ss. De doctrina s. Thomae cf. Mazella disp. 3 a. 6 § 2.

296. **Demonstratio. 1.** Concilii doctrina probatur ex divinis literis, praesertim ex Gen. 2, 7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.* Hic duplicis tantum fit mentio elementi, limi et spiraculi vitae. Atqui nomine *spiraculi vitae* intelligi debet (immediate vel saltem mediate) anima rationalis, ut patet ex Eccles. 12, 7 (n. 282), et quia alioquin praecipui elementi naturae humanae nulla facta fuisset mentio, quod improbabile est, cum describatur hominis creatio; huic vero adscribitur omnis vita, ut patet tum ex nomine, tum ex effectu, nam inspiratione hujus spiraculi vitae factus est limus, omni plane vita adhuc carens, animal vivens. Ergo anima rationalis principium est etiam vitae animalis et vegetativae.

Quod si quis contendat, nomine spiraculi vitae esse intelligendam vitam, adeo ut sensus sit, Deum donasse limum illum vita, non eliditur argumentum. Nam spiraculum vitae si immediate significat vitam, mediate saltem significat principium vitae: quod identificari cum anima rationali satis patet ex duplici ratione supra allata. Neque etiam ullo modo probabile est, verbis *inspiravit spiraculum vitae* significari simul infusionem animae rationalis et principii vitae sensitivae ab anima rationali substantialiter distincti: praesertim cum ex hypothesi adversariorum principium vitae sensitivae non tam ab extra infundatur, quam potius ex corporis veluti fundo et visceribus emergat, a quo substantialiter non distinguitur. Cum ergo anima rationalis sit principium omnis vitae, explicatur usus loquendi s. Scripturae, quo promiscue adhibentur, cum de homine est sermo, voces *animae* et *spiritus,* quod scil. anima rationalis, ideoque spiritualis, et principium vitae sensivitae atque animans corpus substantia unum sunt atque idem; secus enim promiscuus usus non esset legitimus, ut probant ipso facto adversarii, qui sedulo ab eo abstinent.

2. Probatur doctrina catholica luculento traditionis suffragio. Huc pertinet **a.** promiscuus vocum *spiritus* et *animae* usus, qui frequentius adhuc apud patres obtinet; huc faciunt **b.** animae humanae definitiones vel descriptiones, quae apud eos occurrunt: nam inter illius proprietates recensent virtutem vivificandi, animandi corpus.

Ita a Jo. Damasceno F. C. II, 12 anima definitur »vivens, simplex et incorporea substantia . . . immortalis, rationis et intelligentiae particeps, or-

ganis instructo utens corpore, cui vitam, imcrementum, sensum et gignendi vim tribuat, non aliam a se sejunctam mentem habens: mens quippe nihil aliud est quam subtilissima ipsius pars (i. e. virtus, facultas) . . . arbitrii libertate volendique et agendi facultate praedita.« Ita Cassiodorus de anima c. 2: »Anima hominis, ut veracium doctorum consentit auctoritas, est a Deo creata spiritalis propriaque substantia, sui corporis vivificatrix, rationalis quidem et immortalis, sed in bonum malumque convertibilis.«

Accedunt **c.** plura diserta testimonia, quibus patres animae rationali ut principio adscribunt omnem corporis vitam.

Ita Irenaeus II c. 33 n. 4: »Non enim fortius est corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpori . . . (Anima) non amittit in totum suas virtutes, sed quasi vitam participans corpori, ipsa vivere non cessat.« Clarissime adversariorum errorem proscribit Gennadius de eccl. dogm. c. 15: »Neque duas animas dicimus in uno homine, sicut Jacobus et alii syrorum disputatores scribunt, unam animalem, qua animetur corpus et (quae) immixta sit sanguini, et alteram spiritalem, quae rationem ministret: sed dicimus, unam esse eandemque animam in homine, quae et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in suae substantiae eligat cogitatione, quod vult.«

Huc **d.** plura spectant testimonia admodum authentica, in quibus de incarnatione sermo est. Ita in concilio oecumenico V. can. 4 decernitur admittendam esse unionem Dei Verbi πρὸς σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ; et iterum can. 8 contra Origenem. Leo I. in celeberrima ep. ad Flavianum c. 2: „Verbum caro factum est et habitavit in nobis: h. e. in ea carne, quam assumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit."

Cyrillus al. ep. 46: »Quid enim est aliud humanitatis natura, nisi σὰρξ ἐψυχῶμένη νοερῶς?« ep. 2 ad Nestorium. — Efficacia sunt etiam Theodoreti adversus apollinaristas de Provid. or. 1 verba: »Rursus alii carnem, quae assumpta est (a Verbo), animatam vocant, interim vero rationalem et intellectivam in eo fuisse animam negant, suam fortasse propriam insaniam hujus opinionis suae argumentum habentes. Nos vero hominis animam nullam praeter eam, quae et rationalis sit, novimus.« — Damascenus F. O. III, 2 ter inculcat Verbum assumpsisse σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ. Cf. similia ib. c. 7; de recta sent n. 2; contra jacob. n. 28; in concilii VI. act. VI; et conc. lateranesis sub Martino I. (a. 649) can. 2.

3. Confirmatur doctrina catholica ipsa experientia eaque duplici. Experimur enim **a.** unum idemque plane subjectum, quod alias atque alias experitur sensationes actusque sensitivi appetitus elicit, etiam intelligere, ratiocinari ac velle. Atqui conscientia identitatis in hypothesi duarum animarum, quarum una intelligit, altera sentit, utraque vero suam conscientiam habet, explicari nullatenus potest. Anima enim sibi conscia esse nequit, nisi earum operationum, quas ipsa elicit. Si ergo duplex

esset anima, duplex esset etiam conscientia, non una eademque. Provocat **b.** s. Thomas ad alterum factum, quod ita enunciat c. gentes II, 58: „Diversae vires, quae non radicantur in uno principio, non impediunt se invicem in agendo, nisi forte earum actiones essent contrariae; quod in proposito non contingit. Videmus autem, quod diversae operationes animae impediunt se, cum enim una est intensa, altera remittitur. Oportet igitur quod istae actiones et vires, quae sunt earum proxima principia reducantur in unum principium." Cf. 1. q. 76 a. 3.

297. Neque juvat adversarios provocare ad luctam illam internam, quam in nobis inter vires inferiores atque partem rationalem experimur. Sicut enim una eademque mens trahi potest oppositis argumentis in assensum vel dissensum; sicut voluntas diversis motivis ad volitiones contrarias, unde et in ipsa mente vel voluntate rationali quandam subinde experimur luctam: ita poterit una eademque anima bono rationis et bono sensibili in diversas trahi partes pro duplici ordine facultatum, quibus est instructa; imo haec lucta probat animae rationalis et principii vitae sensitivae identitatem, cum idem omnino subjectum, eadem plane anima has contrarias experiatur inclinationes; neque in adversariorum hypothesi minuuntur difficultates psychologicae, quin potius augentur. Ad haec **c.** nulla est necessitas admittendi duplex principium vitae, cum omnia phaenomena duplicis vitae in homine satis bene explicentur, imo simplicius et facilius, admissa una substantia, duplici facultatum ordine instructa. Quare praeter rationem sufficientem duplex substantialiter distinctum vitae principium in homine statuitur. Praeterea **d.** sanae philosophiae non facile suadebitur, esse in homine substantiam spiritualem per tot annos omni prorsus activitate destitutam; si enim anima rationalis ipsa non est quae vivificet corpus, jam quid faciat in corpore, donec rationis usus incipiat, plane ignoratur. Cf. Katschthaler, Zwei Thesen für das allgemeine Concil beleuchtet, qui erudite doctrinam catholiam propugnat: Scheeben § 149; Kleutgen Philos. der Vorz. II disp. 8 c. 1 ss.

298. **Scholion.** *Exceptionibus occurritur.* — Ad explicanda plura Scipturae patrumque testimonia, ad quae alterius theoriae patroni provocant, notari debet, vocem *spiritus* esse multiplicis potestatis. Designare enim potest vel ipsam animam rationalem, ut cum de Christo moriente dicitur eum emisisse spiritum; vel animam, sed secundum nobiliores ejus facultates, quatenus intelligendi volendique vi est praedita; unde Augustinus passim notat ut de anima et ejus orig. IV. 22 n. 36 ss, »proprie dici spiritum non universam animam, sed aliquid ipsius.« Si ita distinguitur spiritus ab anima, nomine spiritus intelligitur anima, quatenus est principium vitae rationalis; nomine autem animae eadem substantia, quatenus animat, informat corpus, principium est vitae sensitivae et vegetativae. Nomine spiritus saepe etiam designantur charismata s. Spiritus, quatenus sunt principium vitae supernaturalis; vel ipse Spiritus s. justos tamquam templa sua inhabitans, regens, fovens. Jam vero una ex tribus posterioribus significationibus admissa, quaedam si vis trichotomia vere legitimeque potest concedi, eaque apte omnia, quae opponi solent, Scripturae et patrum effata explicantur, ut 1 Cor. 2, 14 s.: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei . . . Spiritualis autem judicat omnia;* Hebr. 4, 12: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio*

anicipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Hic verbo Dei tribuitur summa efficacia adeo penetrabilis, ut vel spiritum possit dividere ab anima. Si autem spiritus ab anima esset substantialiter distinctus, unius ab altero separatio non adeo commendaret efficaciam verbi, quae multum extollitur, si possit animam in se simplicem a se ipsa propemodum dividere, quatenus efficit, ut pars animae superior, ratio et voluntas, non sequatur partem inferiorem, sed huic strenue resistat. Ineptum vero est, ex eo, quod subinde spiritus ab anima distinguitur, statim inferre discrimen substantiale. Longe enim frequentius a corpore distinguitur, et tamen secundum güntherianos anima substantialiter a spiritu distincta non distinguitur substantialiter a corpore. — Dan 3, 86: *Benedicite spiritus et animae justorum Domino.* His non necessario significantur duo subjecta substantialiter distincta, sicut nec v. 87 cum dicitur: *Benedicite sancti et humiles corde Domino;* vel cum Tobias dicit 13, 9: *Ego autem et anima mea in eo laetabimur.* Cf. etiam Matth. 22, 37; Luc. 10, 27; 1. Cor. 14, 15. — Ita explicare licet 1 Thess. 5, 23: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu D. N. J. Christi servetur;* quo in loco nomine spiritus vel intelligitur ipsa anima, quatenus est rationalis, vel cum Hieronymo ep. 120 q. 12: »Nos autem in praesenti loco *spiritum* qui cum anima et corpore integer conservatur, non substantiam Spiritus s., quae non potest interire, sed gratias ejus donationesque accipimus, quae nostra vel virtute vel vitio et accenduntur et exstinguuntur in nobis.«

299. Ita facile etiam explicantur varia Irenaei effata V, 6 ss., ad quae trichotomiae patroni provocant; nomine enim *spiritus* intelligit vel ipsum Spiritum s., vel saltem ejus charismata, ut cum scribit n. 1: »Anima autem et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam: perfectus autem homo commixtio et adunitio est animae assumentis Spiritum Patris et admixtae ei carni, quae est plasmata secundum imaginem Dei« etc. Nomine *spiritus* eum revera intelligere Spiritum s. vel ejus charismata, non aliquam substantiam naturae humanae essentialem, patet **a.** ex appositis, vocat enim eum passim Spiritum Dei, Spiritum Patris; **b.** quia illum eum esse dicit, de qno sermo est 1. Cor. 2, et quo repletus Paulus variis loquebatur linguis et sapientiam inter perfectos; quia **c.** eum dicit in nos effundi, a nobis participari, habitare in nobis nosque esse ejus templum secundum Paulum 1. Cor. 3, 16; eum esse pignus, in quo clamamus Abba, pater Eph. 1, 13 s.; Rom. 8, 15; quem **d.** homines carnales non habent, sed tantum justi etc.

300. **Thesis CXXVII.** ***Inter praerogativas, quibus homo excellit, ea quoque recenseri debet, quod ad imaginem et similitudinem Dei est creatus.***

Demonstratio. Hominem ad imaginem et similitudinem Dei esse creatum, passim docent ss. literae, ut Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram . . . Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum et feminam creavit eos.* Quo autem accuratius hanc praerogativam explicemus, aliquot quaestiones propositionesque statuemus.

301. **1.** Quaeritur, *num qua sit differentia inter imaginem et similitudinem.* Resp.: Etsi patres subinde inter imaginem et similitudinem distinguunt, tamen secundum Scritpuras non videtur esse discrimen; nam promiscue dicunt modo hominem ad imaginem Dei, modo ad similtudiuem, modo ad imaginem et similitudiuem esse creatum. Cf. Gen. 1, 27; 5, 1. 3; 9, 6; Eccli. 17, 1; Col. 3, 10; Jac. 3, 9. Quare illorum verborum sensus est, hominem factum esse ad imaginem similem. Hinc Sap. 2, 23 dicitur: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum.*

2. Quaeritur, *possitne homo dici imago Dei.* Patres nonnulli dubitarunt volueruntque propter similitudinis imperfectionem hominem tantum dici ad imaginem Dei secundum verba Moysis. Quamvis vero solus Filius sit perfecta Dei imago multumque deficiat homo a Dei similitudine, dici tamen ipse potest et dicitur etiam *imago Dei* 1. Cor. 11, 7.

3. Quaeritur, *num omnes homines sint facti ad Dei imaginem.* Dubitandi occasionem praebet Paulus l. c. scribens: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est: mulier autem gloria viri est.* Verum omnino tenendum est, omnes homines, ideoque etiam mulieres, esse ad Dei similitudinem factos, ut patet implicite ex eo, quod homo illimitate, simpliciter dicitur factus ad imaginem Dei, ergo omnis; explicite vero ex Gen. 1, 27 supra allato. Ex verbis Pauli sequitur tantum, imaginis rationem in viro eminere. »Dicendum, inquit s. Thomas 1. q. 93 a. 4 ad 1, quod tam in viro quam in muliere invenitur Dei imago, quantum ad id, in quo principaliter ratio imaginis consistit, scil. quantum ad intellectualem naturam... Sed quantum ad aliquid secundarium imago Dei invenitur in viro, secundum quod non invenitur in muliere. Nam vir est principium mulieris et finis, sicut Deus est principium et finis totius creaturae.« Quibus addatur, etiam ratione dominii, quo se manifestat imaginis dignitas (n. 303 c), imaginis praerogativam eminere in viro.

4. Quaeritur, *secundum quam perfectionem* vel proprietatem *homo dicatur factus ad imaginem Dei.* Hominem esse secundum corpus factum ad imaginem Dei error fuit anthropomorphitarum, qui refutatione non indiget, cum ostenderimus Deum esse spiritum purissimum. Notari tamen debet, non defuisse scriptores, qui censuerint, primum hominem efformatum fuisse ad imaginem Christi futuri. Cui sententiae patrocinatur Tertullianus n. 287 et de resur. carnis c. 6: »Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne non tantum Dei opus erat, sed etiam pignus.« Cf. s. Hildegardis in l. div. operum p. 2 vis. 5 n. 43. Sed haec opinio conciliari nequit cum verbis *ad imaginem nostram.* Quare omnimo tenendum est, hominem secundum animam esse Dei imaginem, quod unanimiter patres tuentur et statutum est in conc. tusiaco a. 860 (Hard V, 512. 513)..

302. Si vero accuratius inquirimus, in quo consistat haec imaginis ratio, patres in diversa abire videntur. Alii enim eam constituunt in simplicitate vel spiritualitate, vel immortalitate; alii in intelligendi vi, alii in libertate, qua homo est suorum actuum dominus. Ita illam describit Ambrosius Hexaem. VI, 8: »Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quae libera est, et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quae considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia et cogitamus ea, quae ad orientales aut occidentales partes spectare videntur, et cum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti, et illos videmus, qui degunt in Africa etc. Ea igitur est ad imaginem Dei, quae non corporeo aesti-

matur, sed mentis vigore; quae absentes videt, transmarina visu obit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc uno momento sensus suos per totius orbis fines et mundi secreta circumfert.« — Gennadius CP. († 471) fragm. in Gen. 1, 26: »Ita Deum, ait, agnosco cuncta providere ex eo, quod ipse plura provideo: immensum esse et omnibus praesentem esse, quia vel perexigua mente ubicunque voluero adsum; rerum omnium regem, quod ipse nonnullis dominor et impero; judicem incorruptum quia et mihi hoc competit; omnibus invisibilem et immortalem, quia et mihi immortalis anima; creatorem et conditorem, quia ipse quaedam condere valeo. Alia sunt insuper innumera, quae nostram cum archetypo similitudinem, quoad fieri potest, declarant.« — Et Tertullianus adv. Marc. II, 5: »Liberum et sui arbitrii et suae potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusdmodi status formam. Neque enim facie et corporalibus lineis tam variis in genere humano ad uniformem Deum expressus est; sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, i. e. animae ad formam Dei respondentis et arbitrii sui libertate et potestate signatus est.« — Alii patres reperiunt rationem imaginis in praerogativis naturalibus, similitudinis in gratia. Alii imaginis dignitatem cernunt in dominio quo homo potitur in universa, et ratione cujus vices quasi gerit Dei invisibilis in terris; alii eam collocant in virtutum exercitio, quo Deum imitamur eique similes redimur. Cf. Petavius de opificio 6 dierum c. 4 s.; Casini in opusc. Quid est homo? a. 1 § 2.

303. Verum variae hae opiniones facile conciliari possunt, se enim mutuo expoliunt, perficiunt, complent, et ita unam constituunt sententiam plenam. Distinguatur scil. inter imaginis essentiam, perfectionem, manifestationem seu splendorem, quo se imago prodit, et omnia facile in harmoniam revocantur. Si enim quaeritur **a.** imaginis essentia, ea continetur ipsa perfectionum summa, quibus homo bruta praecellit, seu in ejus rationalitate; nam eo certo continetur, quo a brutis essentialiter distinguitur et magis ad Deum accedit; hoc autem est ratio cum hujus consectariis immortalitate, libertate etc. Hinc Augustinus in Joan. tr. 3 n. 4: „Non distas a pecore nisi intellectu: noli aliunde gloriari. De viribus praesumis? a bestiis vinceris; de velocitate praesumis? a muscis vinceris; de pulchritudine praesumis? quanta pulchritudo est in pennis pavonis? Unde ergo melior es? ex imagine Dei. Ubi imago Dei? in mente, in intellectu!"

b. Imaginis autem major minorve potest esse perfectio. Ad rem Bellarminus de amiss. gr. et statu pecc. V, 3 n. 23: „Sciendum est imaginem Dei tribus modis considerari posse: secundum naturam, secundum habitum et secundum actum, ex quibus secundus et tertius modus nil aliud sunt, quam perfectiones imaginis primo modo consideratae. Nam quemadmodum imago depicta, si solum sit lineis adumbrata, vera erit imago, sed rudis; si addantur colores, reddetur perfectior; si exprimantur venae, musculi et minutissimae quaeque partes, perfectissima

quoque judicabitur: sic etiam substantia animae rationalis imago Dei est, sed addito habitu gratiae et sapientiae perficitur et ornatur; cum vero actu cognoscit et diligit, perfectissima et ornatissima est." Idem docent patres, cum inter imaginem et similitudinem discernentes statuunt, hominem ratione animae rationalis esse Dei imaginem; hanc vero imaginem ornari, perfici similitudine speciali, quam conciliant gratia et virtutes, virtutumque in primis exercitium.

Patrum sententiam bene expressit auctor commentarii in Genesin, qui Eucherio lugdunensi tribui solet, scribens l. 1: »Inter similitudinem et imaginem hoc interest: Imago Dei omnium, similitudo paucorum. Haec namque imago Dei ab excellentia divinae similitudinis distat, quod imago Dei anima peccatrix esse non desinit: ad Dei autem similitudinem, nisi anima sancta fuerit, non pervenit; quia illa anima creata est per naturam, hac dabitur consummari per gratiam.« Quare s. Thomas 1. p. q. 93 a. 4 cum glossa triplicem distinguit imaginem, scil. naturae, gratiae et gloriae; in gloria enim imago Dei in homine omnibus numeris erit absoluta: de qua cf. Lessius de summo bono II, 16. Hinc corollarii instar sequitur, duplicem in homine distingui posse imaginem, naturalem alteram seu essentialem et indelebilem; alteram vero supernaturalem, quae acquiri, perfici, sed et obscurari atque amitti possit. Quapropter Augustinus: »Ipsa imago Dei, inquit de spir. et lit. n. 48, renovatur in mente credentium per Testamentum novum, quam non penitus impietas aboleverat: nam remanserat utique id, quod anima hominis nisi rationalis esse non potest.«

c. Imaginis, quae in homine cernitur, signum aliquod, manifestatio, splendor et velut quaedam actuatio continetur illo dominio, quo in creata potitur. Factus est enim ad imaginem Dei Gen. 1, 26, *ut illis praesit* loco veluti Dei atque vicaria potestate. Ideoque plures patres imaginis rationem in dominio quoque reperiunt. Ita ex. gr. Gregorius nyss. de opific. hom. c. 4: »Animus quidem regiam excelsamque dignitatem suam longe ab humilitate privata sejunctam in eo declarat, quod dominum neminem agnoscit, et suo ex arbitrio agit omnia, meroque et summo imperio, ut ipsi libet, semet gubernat. Nam cui tandem hoc convenit si non regi? Praeterea hominem naturae divinae, cujus omnia parent imperio, imaginem esse, nil esse aliud putandum est, quam regium ei decus in ipsa creatione tributum esse.« Cf. Theodoretus q. 20 in Gen.

304. Si quaeritur **5.** prototypon, ad cujus similitudinem factus est homo, dicimus, illud esse Deum unum et trinum. Audivimus enim hominem esse ad Dei imaginem secundum animam et quidem propter rationem hujusque praerogativas. Atqui ratione assimilatur homo Deo quatenus est unus. Ex doctrina tamen patrum homo in se refert vestigia et imaginem Dei etiam quatenus est trinus; ideoque cum Augustino de Trin. ll. 8 ss. libenter Trinitatis mysterium ex anima quadamtenus saltem illustrare nituntur (184[10]). Quare etiam s. Thomas docet 1. q. 45 a. 7: »Processiones divinarum personarum attenduntur secundum actus intellectus et voluntatis . . . nam Filius procedit ut verbum intellectus: Spiritus s. ut amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum in eis invenitur verbum conceptum et amor procedens.« Cf. c. gentes IV, 26.

6. Quaeritur *num imaginis praerogativa* in anima residens in ipsum quodam modo *redundet corpus.* Resp. cum patribus affirmative, praesertim si ad imaginis rationem spectet hominis in universa dominium. Creaturae enim visibiles quam plurimae in corporis immediate cedunt obsequium et utilitatem, et anima per corpus exserit dominium suum; quare regius quidam character impressus est homini etiam secundum corpus, ut significat Augustinus scribens de Gen. ad lit. VI, 12: »Quid habet homo excellentius in hac re, nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est? Nec tamen hoc secundum corpus, sed secundum intellectum mentis . . . Quamquam et in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quae hoc indicet, quod erecta statura factus est.« Bene vero notat Petavius, formam corporis non habere quidem rationem imaginis, sed esse veluti signum et documentum imaginis Dei in homine.

7. Denique quaeritur, *num angeli quoque ad imaginem Dei sint facti.* Cui quaestioni affirmative est respondendum, cum ipsi etiam sint substantiae spirituales, gratiae donis ornati gloriaque coelesti beati. Cf. Thomas in 2. dist. 16 q. 1 a. 3. Idcirco autem haec praerogativa speciatim in divinis literis et a patribus de homine praedicatur, quod in eo magis est admiranda, cum sit corpore mortali, quod aggravat animam, praeditus et admodum fragilis. Alias rationes addit Scheeben, juxta quem anima secundum quid plenius Deum repraesentat quam angeli: scil. **a.** ratione informationis corporis, qua vivificam Dei in omnibus praesentiam imitatur; **b.** ratione corporis, quo quadamtenus animae dignitas et praestantia manifestatur, sicut universitate rerum manifestantur perfectiones et divitiae divinae; **c.** ratione dominii, quod mediante corpore et ratione corporis magis exercet in mundum visibilem, cujus homo est centrum, scopus et caput, et in quo est visibilis Dei vicarius, cui rerum universitas obsequi et inservire debet. Cf. n. 204. 288. 303[c]. Cf. Jeiler KL. IV, 64 ss.; Scheeben § 146 s.

305. **Scholion practicum. I.** Cum haud pauci patres homilias habuerint de cosmogonia mosaica, ut Basilius, Ambrosius, Gregorius nyssenus etc. licebit et nobis in spiritualem fidelium utilitatem narrationem illam considerare ut typum renovationis seu recreationis hominis per gratiam, sicut id praestitimus t. III n. 2 in annot.

306. **II.** Argumentum utilis concionis tibi praebent ea, quae diximus de imagine Dei in homine. Hinc enim

1. discimus quanta sit praestantia hominis, dummodo haec attendas similitudinis momenta: **a.** sicut Deus ratione suae immensitatis ubique est et esse potest: ita homo vi cogitandi ubique esse potest; sicut **b.** Deus ratione suae perfectionis omne esse possidet: ita homo virtute sua cognoscitiva quadamtenus omnia fit: eatenus enim cognoscit, quatenus objecti cogniti in se exprimit similitudinem. Sicut **c.** Deus ratione suae libertatis est dominus suarum operationum et creaturarum, ita et homini multiplex competit ratione libertatis dominium in res creatas et auctor est multarum mutationum circa eas etc. Cf. praeclara patrum testimonia n. 302. Haec vero similitudo gratia quam maxime expolitur et perficitur, ut liquet ex t. III th. 203. Verum

2. sufficere nobis non debet, ut simus ad imaginem et similitudinem Dei secundum *esse;* oportet simus ad imaginem Dei etiam secundum *operari,* agere, vivere: quapropter Christus hortatur: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* Matth. 5, 48. Imitari ergo nos decet, si veli-

mus esse vivae Dei imagines, ejus misericordiam, liberalitatem, caritatem etc. Quam amplus imitationis campus.

3. Maxime vero vita nostra est expressa ad similitudinem vitae divinae fitque deiformis exercitio virtutum theologicarum, quarum idem est objectum ac vitae divinae. Fide enim cognoscimus profunda Dei oculo propemodum Dei, innixi ipsius visioni, qua videt ea, quae ipse nobis enarravit Jo. 1, 18: enarrationi enim ipsius seu revelationi innitentes illa pro veris certissime tenemus. Per spem illud bonum persequimur Dei dexterae innixi, cujus possessione et fruitione ipse beatus est, et jam praegustamus. Et sicut Deus se super omnia et alia propter se amat, bonitas ipsius est α et ω omnium operationum Dei ad extra, et ipse omnia propter semetipsum operatur: ita caritas theologica docet et inducit nos, amare Deum super omnia propter seipsum, reliqua propter ipsum, operari omnia propter Deum in ejus honorem, obsequium, cultum, eumque habere ut α et ω motivum et finem omnis notrae vitae et actionis. Hinc exercitio virtutum theologicarum completur in hac vita ratio imaginis divinae in nobis.

307. **III.** Occasione thesium de hominis creatione a Deo et omnium ab Adamo propagatione n. 272 ad commendandam fidem et incredulitatem retundendam has tres propositiones, totidem concionis membra, utiliter inculcare licet: fides hominem elevat, nobilitat: eum deprimit, vilificat incredulitas: fides homines inter se unit: dividit ab invicem incredulitas; fides promovet hominum honum: huic obest incredulitas. Sane

1. fides docet quanta sit hominis praestantia n. 286 ss.: est enim **a.** opus manuum Dei tanta sollicitudine elaboratum (n. 287): **b.** viva ipsius imago (n. 300 s. 306); **c.** anima immortali donatus (n. 291); **d.** ad altissimum destinatus finem; contra incredulitas gloriatur **a.** de origine ex brutis, nominatim ex simia; tota **b.** in eo est, ut affinitatem cum brutis inculcet, hanc originem scientiae specie verosimilem reddat, ideoque **c.** censet cum morte omnia finiri, sicut in brutis contingit, hominisque **d.** finem bonis contineri terrenis atque temporalibus. Ad verbum implent increduli verba Ps. 48, 21: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

2. Fides docens omnes ab Adamo originem ducere, homines inter se unit in familiam unam, et eo ipso hominum ratione naturae aequalitatem, consanguineitatem, fraternitatem ob oculos ponit et urget: contra incredulitas negata originis communitate homines ab invicem separat, dividit in classes (Rassen) sanguinis vinculo inter se non conjunctas, ab invicem alienas, fame bonorum temporalium sibi inimicas et contrarias. Hinc

3. fides promovet mutuum amorem et concordiam, aversatur servitutem (Sklaverei), tutatur jura infirmorum: contra incredulitas serit discordiam, patrocinatur juri fortioris, inducit servitutem, fovet tyrannidem: quae luce historiae illustrantur. Ubi enim incredulitas dominatur, ibi regnat terror, injustitia, servitus, tyrannis.

Caput III.

De hominis ad statum supernaturalem elevatione et primitiva conditione.

308. „In ipso generis humani primordio magnum insuper quoddam divinae pietatis arcanum fides christiana agnoscit. Homo ad imaginem

Dei factus ipsa quidem natura sua ordinatur ad Deum cognoscendum, colendum, amandum, eo videlicet modo, qui insitae facultati congruit. Verumtamen summus rerum conditor et Dominus, cujus potentia creatae naturae proprietatibus et legibus non circumscribitur, inexhausta bonitate humanum genus in primo parente super naturae conditionem ad statum quendam sublimem elevare voluit, in quo divinae ipsius consors efficeretur naturae (2. Petr. 1, 4). Itaque praeter dona, quibus in propria natura perficeretur, Spiritum s. ei infudit, ut natura quidem servus, sanctitatis autem gratia filius, jam non solius naturae vigore, sed caritate desuper infusa, divina mandata et virtutis opera exsequendo, aeternam hereditatem promereretur. Ad haec carnem spiritui gratia sua plene subjectam fecit, et mortis ipsius timorem a mortali removit. Mortalis quippe erat homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris (s. Augustinus de Gen. ad lit. VI, 25)." Hactenus schema reformatum const. dogm. de doctrina cath. patribus conc. vat. propositum c. 3 (coll. lac. VII, 555).

309. Ut hanc disputationem vere fundamentalem solide tractemus

1. exponemus paucis varios de protoparentum primitiva conditione errores quidque hac de re doceat Ecclesia catholica;

2. accurate evolvemus notiones *naturae*, *naturalis, supernaturalis, praeternaturalis*, a quibus omnis disputatio pendet. His praemissis

3. ad stabiliendam doctrinam catholicam accedemus.

Articulus I.

Varii errores circa originalem protoparentum conditionem et Ecclesiae catholicae doctrina de eadem.

310. **1.** Pelagiani errarunt per defectum, quorum hac de re errorem paucis sic expressit Marius Mercator in commonit. super nomine Coelestii n. 1: »Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus fuisset. Quoniam peccatum Adae ipsum solum laesit et non genus humanum. Quoniam parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante praevaricationem. Quoniam neque per mortem vel praevaricationem Adae omne genus hominum moritur: neque per resurrectionem Christi omne hominum genus resurgit.«

2. A pelagianis paulum distant sociniani, qui inter alia docent **a.** justitiam originalem distinctam ab immunitate a peccato in homine ante lapsum fuisse nullam; neque **b.** ullum esse peccatum originale; **c.** ex Adami peccato tantum moriendi necessitatem ad posteros manasse.

3. Lutherani per excessum errant. Secundum eos **a.** protoparentes pluribus instructi erant donis, quibus modo caremus, quae quamvis collata per Spiritum s. **b.** non fuerunt vere supernaturalia, sed naturalia, essentialia homini ut est ens morale et religiosum, ideoque prorsus debita; ea vero **c.** imo vel ipsum liberum arbitrium amissa sunt peccato Adami; hinc **d.** natura

humana intrinsecus est corrupta, quatenus jam caret ratione superiore omnique facultate seu virtute agendi vitam moralem et religiosam. Fatendum est, posteriores protestantes hanc doctrinam emollire, sicut fere omnes Lutheri errores, quia nimium adversantur non solum omni revelatae doctrinae, sed et sanae philosophiae. Cf. Scheeben § 154.

4. Non dissimilem doctrinam proposuit Bajus, cujus praecipua capita sunt [1]: **a.** dona omnia, quibus Adamus ornatus fuit quaeque amisit peccando, ut sunt consortium divinae naturae, adoptio, integritas seu immunitas a concupiscentia, immortalitas, dona esse homini debita; debita quidem non necessitate essentiae (ac si essent de essentia naturae humanae), sed necessitate exigentiae et debito ordinis, ut scil. finem proprium sibique innocenti debitum consequi possit; hinc **b.** hominem absque hisce donis seu ut nunc nascitur, creari non potuisse, ideoque hoc sensu ea naturalia dici posse. Si vero **c.** hinc inde gratia, gratuita appellantur, impropriam esse locutionem; gratiae enim nomine ea tantum intelliguntur munera, quae per J. Christum male merentibus et indignis conferuntur. Error vero **d.** fundamentalis est, quod Bajus non satis distinxit inter duplicem ordinem, naturalem et supernaturalem, et inter duplicem justitiam, naturalem scil. et supernaturalem.

5. Hos errores plus minus recoquit Jansenius [2]), qui inter alia statuit „nihil connaturalius innocenti imagini Dei quam gratia;“ hac enim sola potest homo diligere Deum; sine ea creatura potest tantum diligere creaturam; ubi non est caritas (ex gratia), regnat vitiosa cupiditas. Quare gratia debita est debito saltem decentiae. Jansenium sequuntur Quesnellus, ut liquet ex ejus prop. 34 seq. damnatis, et synodus pistoriensis prop. 16. 17.

6. Hermesii doctrina ad haec redit momenta: **a.** sanctitas christiana continetur moralitate naturali; quare **b.** ex eo, quod protoparentes fuerunt conditi in sanctitate et justitia, non sequitur, eos supernaturali quodam dono fuisse ornatos; sequitur tantum **c.** facultates morales fuisse ordinatas in bonum honestum atque concupiscentiam rationi fuisse subjectam. Propter hanc vero **d.** bonam hominis dispositionem Deus sibi in homine complacuit, in qua complacentia consistit gratia habitualis; **e.** ratione hujus complacentiae exstitit Deum inter et hominem habitus amicitiae filiationisque adoptivae, qui licet debitus, dicendus tamen est supernaturalis. — Neque immunis ab errore est Hirscher doctrina de conditione primitiva humani generis, ut ostendit Kleutgen t. 2 disp. 9 c. 3 § 3; doctrina Kuhn, de qua cf. Schäzler Natur und Uebernatur c. 7 pag. 289 ss.; doctrina Güntheri de qua cf. Katschthaler theol. dogmat. t. 1 n. 260 et generatim de his erroribus Scheeben § 161.

311. Doctrina autem catholica, quae colligitur tum ex conciliis milevitano II. can. 1, arausicano II. can. 1 et 19, tridentino sess. 5 can. 1. 2, tum ex propositionibus damnatis supra citatis, ad haec revocatur capita: **a.** conditionem protoparentum ante peccatum meliorem felicioremque fuisse ea, quae peccatum est consecuta. Idcirco autem **b.** fuisse

---

[1]) Cf. ejus prop. 1. 3. 7. 9. 21. 23. 24. 26. 55. 78. 79 damnatae a Pio V. etc.; Scheeben KL. I, 1858 et in primis Katholik 1868. I, 281—308.

[2]) De statu nat. purae l. 1 c. 15 ss.; cf. Ernst die Werke und Tugenden der Ungläubigen § 5.

meliorem, quod donati fuerunt gratia sanctificante, quae continetur sublimatione et exaltatione in consortium divinae naturae atque adoptione in filios Dei; insuper integritate, immunitate a necessitate moriendi et a doloribus, ac scientia; **c.** ea dona non fuisse debita humanae naturae quamvis innocenti, hinc non naturalia, sed praeter et supernaturalia; ideoque **d.** Deum potuisse hominem sine illis creare.

312. Ab his, quae sunt omnino certa, sejungantur aliquot quaestiones secundariae et inter theologos controversae, scil. **1.** num omnes hae praerogativae statim ab ipsa origine collatae fuerint protoparentibus (cf. n. 328); **2.** num justitia originalis distincta fuerit a statu sanctitatis (cf. n. 325 [4]); **3.** num gratia santificans Adami fuerit eadem cum gratia sanctificante ordinis praesentis, quod affirmandum videtur; **4.** num protoparentes indiguerint gratia actuali ad opera meritoria, quod tenendum esse colligitur ex dicendis in tr. de gratia.

Articulus II.

De notionibus naturae, naturalis, supernaturalis et praeternaturalis.

313. **I.** *Natura.* „Sciendum est, inquit s. Thomas q. disp. de Verbo inc. a. 1, quod nomen naturae a nascendo sumitur, unde primo est dicta natura quasi nascitura ipsa nativitas viventium scilicet animalium et plantarum. Deinde tractum est nomen naturae ad principium praedictae nativitatis. Et quia hujusmodi nativitatis principium intrinsecum est, ulterius derivatum est nomen naturae ad significandum interius principium motus . . . et quia motus naturalis praecipue in generatione terminatur ad essentiam speciei, ulterius essentia speciei, quam significat definitio, natura vocatur.“ Natura ergo

1. etymologice significat originem, nativitatem, sicut vox graeca φύσις a φύω, quo sensu Paulus scribit Eph. 2, 3: *Eramus natura filii irae* i. e. ab ipsa nativitate, ipsa origine. Huc referri possunt verba Tertulliani de anima c. 52: „Facile usurpari nomen naturae in ea, quae videntur a nativitate ex accidenti adhaesisse.“

2. Ontologice significat ipsam rei essentiam, quae nativitate seu generatione communicatur, ergo quidquid rei definitione continetur; unde saepe essentia, substantia et natura promiscue adhibentur [1]: et quia

---

[1]) Augustinus de moribus manich. II, 2: »Nam et ipsa natura nihil est aliud, quam id, quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus: ita veteres, qui haec nomina non habebant, pro essentia et substantia naturam vocabant.« Ceterum latius patet notio essentiae notione substantiae, et haec latius notione naturae.

etiam accidens aliaque ejusmodi definiri possunt suamque habent essentiam, hinc de natura accidentis, gratiae, peccati loqui licet.

3. Dynamice significat substantiam seu essentiam singularem vel substantiarum creatarum collectionem, visibilem rerum universitatem, sed non qua late patet, sed quatenus ex ea aliquid nasci potest seu in quantum ea est principium operationis, activitatis, generationis, vel, ut loquitur Thomas de ente et ess., „essentiam rei, secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem.“ Quocirca non facile loquimur de natura lapidum, seu generatim earum rerum, quae omni destituuntur vita et activitate.

4. Cum vero rei essentiam in sese non cognoscamus, sed e sensibilibus rei proprietatibus ratiocinando vel conjiciendo inferamus: natura subinde designat summam earum qualitatum, quibus rei essentia seu substantia se prodit, nobis innotescit et ab aliis distinguitur. Hoc sensu patres subinde de natura panis, quae maneat in eucharistia, loquuntur. Alias naturae significationes minus frequentes cf. apud Ripalda de ente supernat. d. 1; Schrader de triplici ord. n. 58 ss.; 107.

314. **II.** *Naturale.* — **1.** Praetermissis significationibus hujus vocis minus usitatis, secundum quas naturale significat vel **a.** quidquid opponitur ei, quod est contra naturam, cum natura pugnat, violentum est, atque idcirco significat quidquid naturae consentaneum est, eam ornat, perficit: quo sensu gratiae dona dici possunt naturalia, peccatum contra naturam; vel **b.** naturale opponitur libero, artificiali, insolito, extraordinario, miraculoso, personali etc., vel **c.** naturale dici potest id omne, cujus capax est potentia obedientialis, quae quadamtenus est naturalis (n. 324); ad potiores hujus vocis significationes accedamus, quae sponte sua consequuntur naturae notiones, quas dedimus. Potest ergo

2. accipi sensu etymologico, ut idem significet, quod originale; ita s. Thomas scribit 3 p. q. 3 a. 12: „Dicitur naturalis gratia in Christo, in quantum eam a nativitate habuit.“ Hoc sensu patres praerogativas naturae humanae in Adamo superadditas subinde naturales vocant; qua appellatione Bajus cum suis asseclis libenter abutitur, ut dona protoparentum contra Ecclesiae doctrinam supernaturalia fuisse neget. Huc forte referri possunt etiam Augustini [1]) verba c. Faustum XXVI, 3. „Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, ordo naturae.“

---

[1]) Cf. Retract. I, 10. ubi de dicto »nullum esse malum naturale« ait: »Ad naturam talem referantur, qualis sine vitio primitus condita est. Ipsa enim vere ac proprie natura hominis dicitur. Translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus, etiam qualis nascitur homo.« Cf. etiam de lib. arbitrio III, 19. Ceterum de modo loquendi Augustino proprio cf. Ernst l. c. § 18.

3. Secundum duplicem aliam naturae significationem naturale dicitur quidquid vel naturam sive rei essentiam constituit (quamvis quod naturam constituit, potius natura dicatur: naturale enim significat aliquid, quod ordinem habet ad naturam, quam jam supponit); vel ex natura constituta dimanat, ad eam pertinet; vel quod natura suis viribus attingere, assequi aut efficere potest; vel quod eidem debetur, ne vires sint frustra et ut proprium assequatur finem; vel quod continetur ordine earum rerum, quae a natura exiguntur (ut scil. natura vires suas exserere vel explicare possit ne frustra sint). Huic τοῦ naturalis acceptioni in primis opponitur supernaturale, de quo mox.

315. Cum secundum hanc acceptionem τὸ naturale amplissime pateat et quam plurima ad illud spectent, quae essentialia dici nequeunt, quaedam declarationis gratia ex Palmieri de Deo creante th. 30 ss. de his accurate disserente addemus. Notari scil. debet

1. quaedam etsi a determinato individuo naturae non exiguntur, ideoque huic plus minus indebita et speciale beneficium sunt, ut ex. gr. sanitas, visus, loquelae usus etc., exigi tamen posse a natura illius individui universim spectata vel a collectione individuorum illius naturae: neque enim Deus posset creare omnes homines coecos, multos infirmos.

2. Non quidquid natura potest (potestate passiva) recipere a Deo, esse naturale, alioquin periret discrimen inter bona naturalia et supernaturalia; sed quoad potestatem *passivam* illud naturale dici, quod exigitur, ne natura ejusque vires frustra sint, vel ne frustra sint aliae naturae, quae potestatem activam habent complendi eam capacitatem.

3. Cum pluribus modis, iisque perfectione inaequalibus, possit fieri satis naturae, ne frustra sit: illud saltem a natura exigi, ne frustra sit quod est minus perfectum. »Sane per modum perfectiorem habet non tantum, ne frustra sit, sed et ut melius sit: per alium vero habet tantum, ne frustra sit; unde illud prius potest ei utique convenire, sed nequit ab ea exigi. Imperfectiorem vero modum sibi sufficientem exigit: in hypothesi vero quod ille non detur, exigit alium aequivalentem, licet hic sit perfectior. Sub hoc ergo respectu concipi potest indifferentia naturae: Non est autem indifferentia aequa ad utrumque; quia modus minus perfectus exigitur absolute, ne frustra sit natura; alter nonnisi conditionate, et quidem tantum quoad eam partem, quae aequivalet priori, non vero quoad excessum. Atque haec est norma quaedam generalis discernendi in bonis, quae complent capacitatem naturae, illud quod est naturale ab eo quod est supernaturale.« Quare omnia demum, quaecunque de bono naturali dicuntur, eo redeunt, ut aliqua naturae exigentia adsit erga illud: ideoque formula generali naturale dici potest debitum naturae.

316. **III.** *Supernaturale.* — Plurimae sunt sententiae de supernaturalis notione. Plane falsae sunt variae rationalistarum [1]) opiniones, secundum quos **a.** supernaturale idem est ac supersensibile, spirituale, quod sub

---

[1]) Quorum opiniones cf. apud Denzinger, vier Bücher von der religiösen Erkenntniss 1, 82 ss. Sententias varias veterum scholasticorum cf. apud Ripalda disp. 4 et Montagne de gratia in q. prooemiali a. 2.

sensus non cadit, neque materiale est; nam secundum sanam philosophiam sensibile et naturale non sunt synonyma; vel **b.** illorum sententia, quibus supernaturale idem est ac bonum morale et liberum, et opponitur ei, quod ex naturae determinatione oboritur. Falsa est **c.** opinio Xav. Vockii theol. dogm. II. tr. 4 § 202, cui supernaturale idem est atque id, quod non a causis secundis, sed immediate a Deo producitur; anima enim, quae immediate a Deo creatur (thes. 124), non est supernaturalis. Improbanda est **d.** opinio quorundam recentiorum [1]), secundum quos naturale et supernaturale propter terminorum ambiguitatem declarantur terminis finiti et infiniti, non divini et divini, creati et supercreati (seu increati); sive secundum quos **e.** supernaturale continetur praedominio spiritus super carnem [2]), sive vita spirituali in Deum, qui est super naturam creatam, ordinata; sive bono praeter ordinem et debitum divinitus collato. Alias falsas notiones cf. n. 323.

317. Ut accurate supernaturalis notionem evolvamus, statuimus:

1. supernaturale, ut ex ipsa patet voce, est illud, quod est supra naturam: quod ergo **a.** neque ad naturam pertinet constitutive, neque consecutive, neque dynamice, neque exigitive, neque finaliter; quod **b.** extra naturae ambitum ac velut atmosphaeram positum ad naturam jam constitutam accedit; hinc dona supernaturalia passim a scholae theologis et a patribus dona naturae superaddita, superapposita, superna, coelestia etc. appellantur. Supernaturale autem **c.** naturam accessu suo, infusione sua perficit, perficiendo elevat atque elevando ad altiorem ordinem transfert; quod proinde **d.** debitum non solum personale (morale), sed et naturale excludit.

De hoc duplici debito ita scribit s. Thomas 1. 2 q. 111 a. 1 ad 2: »Potest intelligi duplex debitum. Unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam (hinc personale), cujus est agere meritoria opera, secundum illud ad Rom. 4, 4: *Ei, qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam.* Aliud est debitum ex conditione naturae (hinc naturale), puta si dicamus debitum esse homini, quod habeat rationem et alia, quae ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc quod Deus creaturae obligatur, sed potius inquantum creatura debet subjici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur: quae quidem est, ut talis natura tales conditiones vel proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur. Dona naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito; sed dona supernaturalia utroque debito carent et ideo specialius sibi nomen gratiae vindicant.« Cf. etiam 1 q. 21 a. 1 ad 3. Aliis verbis idem ita exprimi potest: Debitum personae, quod et morale dicitur, oritur

---

[1]) Knoodt Günther und Clemens III, 104: »Wenn wir uns dem theologischen Sprachgebrauch, der nur ein Uebernatürliches kennt, anschliessen wollen, so werden wir gut thun, die Worte übernatürlich und natürlich wegen ihrer Vieldeutigkeit zu vertauschen mit den Worten Unendliches und Endliches, Göttliches und Nichtgöttliches oder auch Uebergeschöpfliches und Geschöpfliches.«

[2]) Cf. Schäzler Natur und Uebernatur pag. 317 adversus Kuhn, cujus est haec doctrina; Scheeben t. 2 n. 606.

ex eo, quod ipsa facit; debitum naturae seu physicum innititur ei, quod natura est seu esse debet, ut sit talis natura. Ad rem vero notat Casini in l. Quid est homo sive controv. de statu nat. purae a. 1: »Arctius strictiusque est multo, quam morale, debitum physicum: si quidem meritum non solum congruum, sed etiam condignum, nullo praemio remunerari, nisi promissio aut pactum aliquod intercesserit, Deo solutissimum est, quin ullam propterea faciat homini injuriam . . . Contra vero, si neget aut adimat naturae quod est proprium ipsius, ei vim aliquam afferet. Multo magis igitur gratiae et favori adversatur debitum physicum, quod est ex naturali conditione atque exigentia, quam debitum morale ex opere ortum atque ex antecedenti aliquo merito.« Neque praetermitti debent verba cl. Palmieri th. 32: »Bona supernaturalia dici indebita, quia subjectum, licet exsistat, non habet jus ad illa; naturalia vero omnia dici indebita, quia subjectum defuit, quod illa exigeret: ideoque supernaturalia esse indebita positive, est enim reale subjectum, cui non debentur: naturalia negative.«

2. Triplex autem considerari potest natura, scil. **a.** natura creata singularis; **b.** natura omnis creata; **c.** universa natura possibilis seu creabilis. Si in supernaturalis notione natura accipitur primo alteroque modo, quod respectu unius naturae est naturale, relate ad alteram inferiorem poterit esse supernaturale. Ita crescere et florere, quod est naturale plantis, supra naturam est lapidis; currere virtute sibi insita, quod est naturale animalibus, est supra naturam arborum, et sic porro. Si vero accipitur natura tertio sensu, quo accipienda est in hac quaestione, ubi quaeritur de eo, quod est simpliciter et absolute supernaturale, cum supra omnem creabilem naturam sit tantum natura divina, liquet, supernaturale contineri participatione speciali boni divini personae solum divinae proprii et naturalis.

318. *Notio supernaturalis illustratur.* — Hunc recessum a quo (natura) et accessum ad quem (altiorem statum) seu duplicem τοῦ supernaturalis proprietatem, negativam, secundum quam est extra et praeter naturae ambitum, et positivam, vi cujus natura dono supernaturali supra se elevatur, ad altiorem i. e. divinum transfertur ordinem, specialem cum Deo contrahit affinitatem excedentem omne naturae debitum, passim inculcant patres, in primis vero Cyrillus alex.: »Demisit se (Filius Dei), ita ille dial. 4. de Trin. (Mig. 75, 882), ad inanitionem, et similis nobis apparuit, non ut in Divinitate damnum aliquod senserit, desinens esse Deus ac Filius revera, sed ut id, quod natura servum est et creatum, nos videlicet filios Dei reddens ad eam gloriam transferret, quae sibi ac soli Domino inest. Cum igitur inter nos censeatur ex eo, quod primogenitus dicitur, non nos ipsum ad aliquid, quod sit praeter naturam, adigemus, multum abest, sed ipse nos potius ad dignitatem supernaturalem evehet. Etenim divinam et ineffabilem naturam dicere vi adactam esse aut creaturae subditam, an non stupidi est ac vecordis? Itaque factus nobis similis, nobis similis non erit utique amisso, quod suum est, sed nos propter ipsum supra nos ipsos gratia ejus, qui nos honorat, ultra propriae naturae conditionem evecti, et ad superiorem et excelsum statum translati.« Et iterum in Joan. Ev. l. 1 (Mig. 73, 154): »Enimvero dat Filius, ut sint potestate id,

quod sibi uni proprie et secundum naturam inest, in commune quodammodo proponens, in signum benignitatis suae erga homines et erga mundum caritatis ... Igitur ad dignitatem supernaturalem ascendimus propter Christum: verumtamen non sicut ille, nullo plane discrimine nos quoque futuri sumus Dei filii, sed ad ejus similitudinem, per gratiam nimirum, qua illum imitando repraesentamus. Est enim verus ille Filius, exsistens a Patre, sed nos ejus benignitate adoptivi, gratiae loco id accipientes: *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes* (Ps. 81, 6). Creata quippe et serva natura ad res supernaturales vocatur solo nutu ac voluntate Patris: Filius autem, et Deus et Dominus, non Di ac Patris nutu, nec ejus sola voluntate id habet, quod Deus sit, sed cum exeipsa substantia Patris effulserit, proprium ejus bonum secundum naturam sibi adsciscit ... Qui per fidem in Christum vocati sunt in adoptionem filiorum Dei, propriae quidem naturae vilitatem exuerunt, Deique honorantis gratia ceu splendida quadam veste conspicui, ad supernaturalem dignitatem evehuntur. Non enim amplius carnis filii, sed Dei potius adoptiva soboles nuncupantur.« Et l. 11 c. 11 in Jo. 17, 23: »Non aliter ad incorruptionem evehi poterit natura corruptioni subjacens, nisi descenderet in ipsam natura omnis corruptionis expers, elevans quodammodo ad proprium bonum eam, quae infra semper jacet, et communione et commixtione cum se ipsa ex terminis creaturae convenientibus extrahens et in se ipsam transformans eam, quae ex se talis non est.« Aliorum patrum effata cf. apud Casini l. c. a. 6 § 2; Scheeben § 163.

319. Potest supernaturalis notio duplici modo apte illustrari: primo analysi boni illius supernaturalis [1]), quod est velut centrum et radix ordinis supernaturalis, sicut natura radix et fundamentum est totius ordinis naturalis. Porro illud bonum est gratia sanctificans, cujus supernaturalitas sponte sua elucet ex praerogativis quas conciliat (n. 340), inter quas eminet filiatio adoptiva. Sicut de ratione servi non est, ut sit filius adoptivus; neque haec praerogativa eam consequitur, neque ipsi debetur, neque est merces ullis ipsius operibus debita, quamvis servus multam magnamque alioquin mercedem possit apud patremfamilias merere: si vero in filium adoptatur, supra suum elevatur statum, ex servorum ordine extrahitur et transfertur in familiam, huic inseritur et particeps evadit bonorum filio naturali debitorum atque propriorum: ita si homo per gratiam in filium Dei adoptatur, praerogativa ei conceditur, quae non est de ratione naturae servae, neque ei debita, quam nullo modo promerere potest suis operibus (quamvis alioquin beatitudinem aliquam naturalem mercedis instar bonis suis operibus obtinere possit), eaque super propriam suam vilitatem elevatur atque veluti ad ordinem transfertur divinum,

[1]) Duo bona sunt in primis supernaturalia ac veluti centra duplicis ordinis supernaturalis, a quibus reliqua pendent: unio hypostatica Verbi cum humana natura et visio beatifica alterius vitae, ad quam tendit et disponit gratia sanctificans, quae est radix et fundamentum ordinis supernaturalis vitae praesentis. Cf. Scheeben § 159. In schemate constit. dogm. de doctrina cath. patribus concilii vaticani proposito legitur etiam canon (III, 2 coll. lac. VII, 566), qui ad notionem theologicam τοῦ supernaturalis spectat, hujus tenoris: »Si quis dixerit, eatenus tantum ordinem supernaturalem admittendum esse, quatenus supernaturale dici possit, quidquid ad essentialem hominis perfectionem non pertinet, et non confiteatur, esse dona et instituta divina, quae tum vires, tum exigentiam naturae creatae superent, eamque ultra suum ordinem perficiant, A. S.« Cf. Schrader n. 75 ss.

quatenus particeps evadit illius beatitudinis et hereditatis, quae est propria Filii unigeniti: *si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (Rom. 8, 17.) Cf. verba s. Bonaventurae infra III, 140. Quare innixi analysi hujus primarii boni supernaturalis dicere forte licet, illud contineri participatione boni personae divinae proprii, quae analogice respondet generationi et spirationi divinae, qua illud naturaliter communicatur personae divinae. Cf. n. 340. Scheeben Mysterien § 32.

320. Alio modo supernaturalis notio illustrari potest ex comparatione cum incarnatione. Libenter enim inculcant patres cum Fulgentio ep. 17 n. 15: »Ille (Filius), quod ex prima nativitate natura non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est, ut nos, quod primae nativitatis natura non fuimus, gratia secundae nativitatis essemus.« — Augustinus saepe in primis ep. 140 c. 4: »Descendit ergo ille, ut nos ascenderemus, et manens in natura sua factus est particeps naturae nostrae, ut nos manentes in natura nostra efficeremur participes naturae ipsius« etc. Sicut scil. Dei Filius incarnatione infra suam naturam velut descendit (*semetipsum* enim *exinanivit* Phil. 2, 7) factus particeps naturae humanae, eidem seu humano generi se inserens (*formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*), quae natura humana est extra, praeter et infra naturam divinam, in qua erat (*cum in forma Dei esset*): ita per dona supernaturalia, quae sunt extra, praeter et supra naturam creatam, haec attollitur ad altiorem ordinem, consors fit naturae divinae (2. Petr. 1, 4), inseritur familiae divinae; fit enim homo filius Dei, primogeniti frater atque Spiritu s. desponsatur.

321. *Notiones supernaturali affines.* — Supernaturalis notionem [1]) comparemus cum notionibus affinibus, quo magis distincta reddatur.

1. Conferatur cum praeternaturali, cum quo convenit quoad elementum negans, quod descripsimus n. **1.** lit. **a.**; differt vero in elemento positivo; praeternaturale enim continetur bono indebito, sed non bono ordinis divini; perficit quidem naturam, non extrahit eam extra limites naturae creatae, neque elevat supra ordinem totius naturae, sed continetur bono huic quidem naturae, non vero altiori naturae creatae vel creabili indebito. Ita ex. gr. immortalitas non est naturae humanae debita, sed eam intra suum ordinem admodum perficit, non tamen ita, ut eam elevet ad ordinem divinum; quod adeo est verum, ut ea maneat in damnatis ad eorum majorem poenam; idem dicatur de insigni plane scientia etc. Eo ipso autem quod praeternaturale est medium inter naturale et supernaturale, modo huic, modo illi accensitum fuit ab iis, qui tertii membri non fecerunt mentionem expressam.

2. Convenit supernaturale cum gratuito et indebito, ut species cum genere; hinc cum illo non convertitur, nam omne supernaturale est

---

[1]) Tam sublimis est supernaturalis boni notio, ut seposita revelatione homines de ejus possibilitate ne cogitassent quidem, eaque a priori vix probari possit, ut ostendit Palmieri th. 36.

quidem gratuitum, sed non omne gratuitum est supernaturale; potest enim esse bonum praeternaturale vel etiam ordinis naturalis.

3. Supernaturale confundi non debet cum miraculoso; etsi enim supernaturale quandoque est miraculosum, non tamen omne supernaturale est miraculosum. Conveniunt scil. in eo, quod utrumque creatas superet vires, proinde unum Deum habeat auctorem (t. I n. 19).

322. *Supernaturalis partitiones.* — Ad supernaturalis notionem illustrandam pariter confert varias nosse illius partitiones. Dividitur enim **1.** ratione excessus supra naturam in supernaturale simpliciter et absolute, et supernaturale secundum quid et relative, prout superat vel omnem naturam creabilem vel tantum certam aliquam naturam; ideoque supernaturale secundum quid et relative convenit cum praeternaturali.

2. In supernaturale secundum substantiam seu entitatem, de quo hucusque disseruimus, et supernaturale secundum modum, quod continetur bono quidem naturali, sed quod modo confertur, qui excedit vires et exigentiam naturae, ut sanitas miraculose restituta. Illud subdividi potest in supernaturale beatificans et glorificans, quod continetur beatitudine supernaturali; secundum santificationem, quod sua inhaesione subjectum sanctum reddit supernaturali sanctitate dignumque illa beatitudine, ut gratia sanctificans; et secundum virtutem sanctificatricem, quae talem operatur sanctitatem, ut sacramenta. Distinguitur

3. in supernaturale intrinsecus vel quoad substantiam vel saltem quoad modum, et extrinsecus supernaturale, quod scil. per se est naturale, sed ad finem ordinatur supernaturalem; hoc tamen improprie admodum dicitur supernaturale. Cf. Scheeben § 158 s.

323. **Corollaria.** *Erroneae notiones supernaturalis.* — Ex supernaturalis notione exposita liquet, **1.** errare Bajum, cum normae instar statuit, ea non esse supernaturalia, sed naturalia, quae »originem comitantur.« Haec enim norma est prorsus accidentalis; nam supernaturale dicitur ratione habita naturae independenter a tempore quo confertur, ideoque spectat ad ordinem ontologicum, non chronologicum. Concedimus quidem omne naturale esse aliquo modo originale formaliter vel virtualiter et in radice, sed non viceversa omne originale est naturale. Quod si patres bona, quae originem protoparentum comitabantur, vocarunt naturalia (cf. n. 314[2]), saepissime tamen ea vocarunt gratiam, gratuita, quae naturam excederent. Hinc etiam Ecclesia Baji normam reprobavit. Cf. Palmieri th. 34 s.

2. Errare Bajum cum contendit, indignitatem naturae postulari, ut gratiae dona censeri possint supernaturalia; nam supernaturale dicitur de natura in se spectata, non ratione peccati, quo forte inquinatur; alioquin unio hypostatica et gratia angelis facta non essent supernaturales.

3. Errare Jansenium, qui contendit, rationem supernaturalis boni pugnare quidem cum debito ex operibns profecto, apte vero posse conciliari cum debito, quod ex insita naturae conditione dimanet (cf. n. 317).

324. **Scholion.** *De potentia obedientiali.* — Cum supernaturalis notione connexa est notio potentiae obedientialis. Jam alias diximus (n. 32), potentiae nomen accipi posse active, et tunc significare virtutem agendi, nam ea refertur ad agere, vel passive et tunc significare capacitatem aliquid re-

recipiendi, nam ea est ad esse. Si haec capacitas potest expleri et ad actum reduci virtute causis naturalibus insita et propria, potentia est simpliciter naturalis; si ad actum reduci tantum potest virtute divina novoque interventu Dei indebito et supra subjecti exigentiam posito, habetur potentia, quae proprie dicitur obedientialis. »Per collationem donorum supernaturalium, scribit Palmieri th. 41, natura elevatur a Deo ad ordinem superiorem indebitum. Huic elevationi activae Dei respondet in subjecto, in quo activitas Dei se exserit, potentia quaedam, secundum quam capax est natura recipiendi ea, quae ipsi conferuntur. ‚In qualibet creatura, ait s. Thomas 3. q. 11 a. 1, consideratur duplex potentia passiva, una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale; et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura' . . . Ea definitur a Ripalda disp. 24: „aptitudo rerum creatarum ut pro arbitrio agentis superioris nempe Dei ejusque auxilio indebito ipsis munus impleant, quod nativa virtute et concursu sibi debito non possent. Haec potentia omnibus inest creaturis.« Eatenus autem dicitur naturalis, quatenus ea sponte sua consequitur naturae limitationem et a Deo dependentiam, neque est aliquid naturae superadditum; sed omnino distinguitur a potentia passiva ad bona naturalia, nam ejus terminus seu actus, quo actuatur, sunt bona supernaturalia, plane indebita, quibus ea supra debitum naturae expletur. Quare ipsa non fertur appetitu innato seu appetitu exigentiae in bona supernaturalia utpote indebita, dum contra potentia passiva proprie dicta illo fertur in bona naturalia et debita, quibus actuetur. Cf. s. Augustinus de Gen. ad lit. IX, 17, qui utramque potentiam passivam bene illustrat; Limbourg Zeitschr. für k. Theol. 1892 p. 231—73; Mazzella d. 4 a. 7.

325. *De variis statibus.* — Quibus praemissis jam intelligitur quid sit status naturalis, supernaturalis etc. Status ex ipsa vi nominis significat permanentem rei positionem in aliquo situ seu conditione modove se habendi sive in se sive ad aliud; et cum de statu naturae rationalis est sermo, intelligitur conditio seu modus se habendi naturae rationalis ad Deum tamquam ad finem suum ultimum juxta divinae providentiae ordinationem; quae alia atque alia esse potuit; quapropter theologi varios (reales sive possibiles) distinguunt humanae naturae status, quorum praecipuos paucis declarabimus.

1. Status naturae purae ille est, in quo natura humana habet, quidquid ei debetur, et nihil sibi superadditum seu indebitum, ut accuratius explicabimus thes. 133.

2. Status naturae integrae ille dicitur, in quo natura humana consideratur sana et libera a defectibus illis, qui eam sponte sua consequuntur: hinc absque concupiscentiae rebellione, ideoque cum subjectione appetitus inferioris sub ratione, absque morte aliisque naturae morbis, sine destinatione tamen ad finem supernaturalem: qui status potest habere gradus pro pleniori carentia defectuum.

3. Si homo ad finem destinatur supernaturalem, i. e. ad finem, qui omnem naturae creatae superat exigentiam, mediisque ad hunc finem consequendum opportunis instruitur, status est supernaturalis, in quo Deus creaturae se non ut Dominus servo, sed ut Pater communicat filio, atque idcirco naturam servam bonorum indebitorum communicatione supra suam evehit conditionem.

4. Status vero ille, in quo ante lapsum fuit Adamus, in quo non solum destinatus fuit ad finem supernaturalem auctusque donis supernaturalibus, verum etiam ornatus donis praeternaturalibus, quae omnia dona in posteros ipsa generatione transiissent, si ipse non peccasset (sicut modo transit peccatum originale), status dicitur originalis justitiae et sanctitatis, vel etiam status innocentiae, non solum negative propter culpae exclusionem (quae excluderetur etiam in statu naturae purae ab homine creato a Deo), sed et positive, quod includeret justitiam eamque supernaturalem et integritatem excludentem concupiscentiae rebellionem pravosque indeliberatos motus, et dispositive quod aptissimus esset ad servandam innocentiam.

Dicimus statum *originalis justitiae et sanctitatis,* quia theologi non satis inter se conveniunt in definitione originalis justitiae ambitu. Secundum alios ea complectebatur cum immunitate a culpa dona praeternaturalia scientiae, immortalitatis, felicitatis et in primis integritatis, ita tamen, ut a gratia distingueretur; secundum alios ad eam spectabant omnia dona tam supernaturalia sanctificantia quam praeternaturalia Adamo collata, quae se habebant ad gratiam ut rami ad radicem; seu complectebatur triplicem subjectionem: subjectionem corporis sub anima per immunitatem a morte et doloribus; animae seu sensualitatis sub ratione immunitate a concupiscentia; subjectionem rationis seu mentis sub Deo innocentia et gratia. Hinc ad evitandam controversiam de nomine, statum Adami dicimus statum justitiae originalis et sanctitatis, utique supernaturalis ex gratia profectae. Cf. plura aqud Suarez proleg. 4 de statibus nat. hum. (in op. de gratia); de opif. III, 20; Kleutgen II. d. 6; Scheeben § 176; Mysterien § 34 s.

5. Status naturae lapsae ille est, qui lapsum Adami immediate consecutus est; qui tamen non duravit, cum mox promiserit Deus reparatorem. Qualis is futurus fuisset, non satis liquet.

6. Denique status naturae reparatae, in quo modo sumus: in quo scil. iterum destinamur ad finem supernaturalem mediisque ad eum consequendum proportionatis instruimur, non restitutis donis praeternaturalibus integritatis, immortalitatis etc., quibus Adamus in statu originalis justitiae fuit auctus. Quapropter hic status non dicitur naturae adaequate reparatae, quoad omnia scil., quae ipsa in Adamo accepit, sed secundum id tantum, quod praecipuum erat: quoad dona supernaturalia, non quoad praeternaturalia. Verum horum statuum notio disputatione procedente plenius declarabitur.

Articulus III.

Doctrina catholica de statu originali protoparentum adversus varios errores defenditur.

326. **Thesis CXXVIII.** ***Protoparentes gratia sanctificante erant ornati.***

Declaratio. Protoparentes gratia fuisse praeditos sanctificante, dono scil. aliquo habituali, quo constituerentur Deo speciali modo grati, amici, justi, filii Dei adoptivi, haeredes gloriae coelestis, pares ad hanc bonis operibus promerendam, dogma est fidei catholicae, ut colligitur ex concilio tridentino sess. 5 can. 1: „Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, A. S.“; can. 2: „Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse etc., A. S.“ Quibus adde conc. arausicani II. can. 19; Baji prop. 21 et 24 damnatas, quas dabimus n. 338.

327. **Demonstratio. 1.** Probatur veritas catholica generatim ex fine oeconomiae Christi, qui fuit renovare, redimere, regenerare, reconciliare, restaurare, reparare etc. genus humanum Adami peccato lapsum, nos eripere de potestate tenebrarum, a diabolo, qui mortis habebat imperium, de morte ad vitam. Cf. Rom. 3, 25 s.; 2. Cor. 5, 18 s.; Eph. 2, 1 ss.; Coloss. 1, 13: *Qui (Deus Pater) eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;* Hebr. 2, 14 etc. Hunc fuisse incarnationis scopum colligitur vel ex ipsis nominibus redemptionis, redemptoris, renovationis, reconciliationis, mediatoris etc. Hinc Christus exhibetur alter Adam Rom. 5, 14. „Mysteriorum Christi omnium, inquit Gregorius naz. or. 38 n. 16, unum hoc caput atque unus hic scopus, nimirum mea perfectio et instauratio atque ad primum illum Adamum reditus.“ Quibus evidenter significatur, praesentem humani generis conditionem non esse primitivam et originalem. Atqui renovatio restaurationque perficitur et continetur infusione gratiae sanctificantis, qua ex inimicis amici, ex filiis irae filii Dei iterum constituimur, ut sup-

ponimus ex tr. de justificatione. Ergo et hac gratia genus humanum in Adamo auctum fuit atque ornatum. Ideo Gregorius nyss.; „Age igitur inquit de opif. hom. c. 30, revertamur omnes ad divinam illam gratiam, qua rerum initio Deus hominem creatum ornavit, cum diceret: *Faciamus hominem.*"

2. Speciatim huc spectat Eph. 4, 23: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Quo in textu nomine illius, *qui secundum Deum creatus est*, esse intelligendum Adamum, colligitur **a.** ex eo, quod hic sensu plenissimo dici potest *novus* et *creatus*, et quidem **b.** *secundum Deum,* utpote factus speciali cura et intentione *ad imaginem et similitudinem* ipsius Gen. 1, 26, ut esset exemplar reliquorum; **c.** ex locis parallelis Coloss. 3, 10: *Induentes novum* (hominem), *eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum;* Eccles. 7, 30: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus;* **d.** ex interpretatione patrum. Sed quicunque demum est ille novus homo, hoc videtur omnino significari, *secundum Deum esse creatum* complecti justitiam et sanctitatem veritatis i. e. gratiam sanctificantem. Atqui data opera inculcatur in Scripturis, Adamum *secundum Deum* fuisse creatum (n. 300 s.): et ille sane laetissima et Deo grata novitate gaudebat. Ergo creatus est cum gratia sanctificante. Quod etiam patres plures ex Gen. 1, 26 colligunt. Gratia enim maxime reddimur Deo similes. Cum ergo inter protoparentum praerogativas in primis referatur, quod ipsi fuerint creati *ad imaginem et similitudinem Dei,* et certum sit nos per Adamum cecidisse, merito colligitur, similitudinem illam inclusisse gratiam. Accedit Eccles. 7, 30 dici Deum creasse hominem *rectum,* quod debet intelligi de rectitudine seu justitia supernaturali ex gratia profecta; aliam enim rectitudinem s. Scriptura non agnoscit et collaudat et recti nomine constanter designat justum, qui Dei gratia, non suis viribus est justus.

3. Eadem veritas colligitur ex traditione et quidem **a.** ex disertis patrum verbis; ita Maximus M. quaerit dial. 3 n. 16 a Macedonio: »Annon vero prorsus concedis, Adamum in paradiso fuisse sanctum? Macedonius: Etiam. Orthodoxus: An quoniam talis creatus, an quod sua virtute talis evaserit? Macedonius: Quod talis esset creatus.« Et Jo. Damascenus F. O. II, 30: »Hunc igitur hominem (primum) summus ille opifex masculum condidit divinam ei gratiam impertiens seque per eam ipsi communicans.« Idem docent patres **b.** cum affirmant, Adamum gratiam acceptam amisisse. Ita Irenaeus inducit Adamum plorantem III, 23 n. 5: »Eam, quam habui a Spiritu sancto stolam sanctitatis, amisi;« et iterum V, 10 n. 1: »Rursus qui infructuosi sunt a justitia et velut sentibus obvoluti homines, si diligentiam percipiant et velut insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quae secundum imaginem et similitudinem facta est

Dei.« Cyprianus de bono pat. n. 19: »Adam contra coeleste praeceptum cibi letalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit.« Conferunt **c.** insufflationem Christi Joan. 20, 22 cum inspiratione Dei Gen. 2, 7 docentque cum Severiano Gabalorum episcopo or. 5 de mundi creat. n. 5: Eam, quae perierat, Adami insufflationem, Christus restituit, et factus est rursus homo in animam viventem.« Ita Basilius de Spir. s. 16 n. 39: «Dominus renovans hominem eique iterum reddens gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam amiserat, cum inspirasset in faciem apostolorum, quid ait?« c. 15. Augustino tamen de civit. Dei XIII, 24 n. 1 ea comparatio minus placet. Cf. de thesi Kleutgen t. 2 disp. 9 c. 1; de Rubeis de peccato orig. c. 39; Palmieri th. 48 ss.; Scheeben Mysterien des Christenth. § 33; Handb. der kath. Dogm. § 183.

328. **Scholion.** Quaeritur, utrum protoparantes statim in ipsa creatione an nonnisi postea gratiam consecuti fuerint sanctificantem. Qua de quaestione notetur: **1.** teste Pallavicino Hist. conc. trid. VII, 9 noluisse concilium dirimere controversiam; plurimos **2.** scholae antiquioris theologos censuisse, Adamum auctum quidem fuisse in ipsa origine donis praeternaturalibus, sed gratiam sanctificantem non accepisse in ipsa creatione: quam sententiam s. Thomas in 2. d. 4 a. 3 communiorem vocat. Tamen **3.** sententiam affirmantem esse praeferendam, cum illi faveant et Scripturae et patrum effata. Hanc tuentur s. Thomas 1. p. q. 95 a. 1 eamque sequuntur ex recentiori schola plerique theologi, qui maxime innituntur verbis Augustini de civ. Dei XII, 5: »Deus simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam.« Etiam ex iis **4.** qui huic subscribunt sententiae, plures statuere, protoparentes non citra dispositionem, ex gratia tamen actuali profectam, accepisse gratiam sanctificantem. Cf. Suarez de opere sex dierum III, 17; Mazzella d. 4 a. 6; Scheeben § 172.

329. **Thesis CXXIX.** ***Inter bona protoparentibus collata numerari debet immunitas a concupiscentia seu integritas, vi cujus appetitus inferior obnoxius erat voluntati rationali.***

Declaratio. Ut integritatis donum rite intelligatur, paucis concupiscentiae morbum, cui illa opponitur, explicabimus.

1. Concupiscentiae nomen nunc laxius, nunc pressius accipitur; eo enim significatur vel **a.** generatim quicunque appetitus boni, etiam licitus, supernaturalis, meritorius, ut cum theologi loquuntur de amore concupiscentiae etiam Dei; cf. Sap. 6, 21; Gal. 5, 17; Ps. 118, 20 etc.; vel **b.** appetitus boni delectabilis, speciatim boni secundum sensum seu appetitum sensitivum; vel **c.** in specie passio seu pronitas illa, qua appetitus sensitivus fertur in bona sensibilia contra rationis ordinem, quo praecipue sensu hac in disputatione accipitur.

2. Concupiscentia hoc sensu veluti technico accepta continetur **a.** appetitus sensitivi prosecutionibus aversationibusque bonorum malorumque sensibilium, quae sponte sua consequuntur apprehensiones sensiles, praevertunt vero **b.** rationis deliberationem suoque **c.** illicio nituntur voluntatem ad consensum pellicere; qua **d.** dissentiente, pugna oritur

inter partem hominis superiorem seu rationalem et inferiorem seu animalem. Has vero e. appetitiones comitantur immutationes in corpore, quae illis respondent et quibus corpus paratum redditur ad id assequendum vel aversandum quod concupiscentia appetit vel aversatur, quos motus ratio pro arbitrio compescere nequit. Cf. Gregorii naz. descriptionem orat. 14 n. 6 s.

3. Non oritur concupiscentia ex positiva aliqua qualitate morbida per peccatum naturae veluti inserta, qua homo ad concupiscendum inclinetur; sed hinc quidem ex defectu vigoris et perfecti dominii rationis, quae sibi partem inferiorem penitus subjicere nequit: inde vero ex defectu debitae subordinationis partis inferioris sub ratione; unde optime cum rebellione confertur: quod enim est rebellio in aliqua societate, est concupiscentia in natura humana.

4. Distinguere licet duplicem concupiscentiam, alteram appetitus sensitivi, quam descripsimus; alteram, quae huic analogice respondet, voluntatis rationalis inferioris. Distinguunt enim theologi post Augustinum de Trinit. XII, 3. 7 ss. in ipsa rationalitate duplicem rationem, hinc duplicem appetitum: superiorem, qui convenit animae quatenus est spiritus, et fertur in bona altiora, spiritualia, divina; et inferiorem, qui ei convenit quatenus animat corpus eique est attigua, et tendit in bona naturae humanae congrua, sed ordinis inferioris, uti sunt honores, fama, potestas etc. Jam vero sicut appetitus sensitivus adversatur saepe rationi generatim, ita voluntas rationalis inferior voluntati superiori. Ratio generatim spectata se habet ad sensualitatem ut homo ad animal; ratio superior ad inferiorem, ut vir ad uxorem. Cf. Scheeben § 153.

5. Concupiscentia prout dicit vel pronitatem ad concupiscendum vel concupiscendi actum, distinguitur in habitualem vel actualem. Distingui autem debet concupiscentia habitualis ab habitu vitioso. Illa enim est naturalis, necessaria, non tendit in objectum qua difforme a morum norma, sed praecise qua sibi conforme, praevertit rationem, eaque saepe possumus bene uti; habitus vero vitiosus est acquisitus liberorum actuum pravorum repetitione, tendit in objectum difforme a morum norma, neque eo bene uti possumus.

6. Si quaeras *sitne concupiscentia mala*, haec teneantur: **a.** concupiscentiam in praesenti rerum ordine esse malum poenae: **b.** malum esse, quatenus est quaedam imperfectio consistens in defectu physico: minus enim conveniens est enti rationali motus pati in id, quod non licet vel decet: quod utrumque ita complectitur s. Thomas in 2. dist. 30 q. 1 a. 1: „Secundum hoc ergo dico, quod isti defectus possunt ad naturam humanam dupliciter comparari: vel ad eam, secundum quod in principiis naturalibus suis tantum consideratur; et sic procul dubio non sunt

poenae ejus, sed naturales defectus: sicut etiam esse ex nihilo, vel indigere conservatione, est defectus quidam naturalis omnem creaturam consequens et nulli est poena; vel ad eam, prout instituta est, et sic procul dubio poena sunt sibi; quia etiam ex privatione ejus, quod gratia alicui conceditur, postquam concessum est, puniri dicitur aliquis.“ Concupiscentia tamen **c.** non est malum morale seu peccatum: nam hoc continetur actu libero, motus vero concupiscentiae praevertunt deliberationem, et nonnisi accedente libero voluntatis consensu paritur peccatum; vel ut docent Salmanticenses IV tr. 13 d. 16 dub. 4 § 2 n. 95: „Appetitus (sensitivus) nullo modo attingit ad sphaeram rationis, neque limites sensibilis naturae transcendit. Atqui malitia formalis spectat ad ordinem rationis et ordinem pure sensibilem excedit.“ Nihilominus dici potest **d.** in ordine moralitatis concupiscentiae motibus quandam inesse malitiam, non quidem formalem, sed materialem, tum quia plerumque sunt contra rationem seu moralitatis normam; tum quia destituuntur rationis ordine, nam rationis deliberationem nutumque praevertunt atque irrefrenate in sua tendunt objecta; tum quia ad peccatum alliciunt. Ad peccatum autem allicit concupiscentia partim excitando passiones: unde fit, ut illud bonum judicetur, quod passione absente judicaretur malum; partim distrahendo: concupiscentiae enim motibus ratio in judicando turbatur, impeditur, minori utitur energia, in operationibus suis languescit; partim acuendo imaginationem, qua ratio in judicando saepe decipitur [1]). Quod si **e.** concupiscentia a Paulo dicitur *peccatum* Rom. 7, „vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat.“ Ita Augustinus de nupt. et conc. I, 23 et passim alibi. Quare conc. tridentinum sess. 5. can. 5 statuit: „Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, s. synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.“

330. Quibus praemissis jam melius donum integritatis intelligitur: consistebat nimirum in dominio perfecto (seu despotico, ut ajunt,

---

[1]) Thomas in 3. dist. 17 q. 1 a. 2 sol. 2: „Pugna sive contrarietas sensualitatis ad rationem causatur in nobis ex tribus: **1.** ex diversitate volitorum; **2.** quia sensualitas in suum volitum effrenate et sine regimine rationis fertur; **3.** ex hoc quod sensualitas effrenata tendens in suum volitum, retardat motum rationis et impedit vel in toto vel in parte.“ Cf. etiam 1. p. q. 77 a. 1; 1, 2 q. 9 a. 2; de Rubeis c. 44 ss.; Scheeben § 156.

non tantum politico), vi cujus ratio ita obnoxiam sibi habebat partem inferiorem, ut hujus motus nunquam turbarent suo impetu rationis deliberationem, sed penderent ab ejus nutu, adeo ut ab ea pro lubitu potuerint excitari atque semel excitati etiam frenari comprimique, quo imperio mens nunc saltem in plura corporis membra fruitur. Cum autem vi hujus doni perfecta regnaret harmonia et concordia in homine inter partem inferiorem et superiorem exsularetque illud dissidium, quod excitat concupiscentia et quo homo a se i. e. pars inferior a superiore discordat, aptissime dicta est ea praerogativa donum integritatis.

331. **Demonstratio. 1.** Probatur thesis ex Gen. 2, 25: *Erat autem uterque nudus, Adam scil. et uxor ejus, et non erubescebant;* coll. 3, 7: *Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata;* v. 11: *Quis indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?* ex quibus liquet **a.** protoparentes iis in adjunctis fuisse a concupiscentia immunes, in quibus homines reliqui eidem sunt obnoxii; idque **b.** diserte notari tamquam quid singulare; eam vero **c.** praerogativam, quo primum peccarunt, cessasse idque **d.** nexu causali et meritorio seu in poenam peccati. Ergo ante peccatum erant protoparentes alia in conditione ratione concupiscentiae ac nos, immunes ab ejus motibus irrefrenatis, ideoque dono integritatis praediti. Et revera si integritatis dono non fuissent protoparentes aucti, magna indecentia et quaedam impudentia fuisset defectus pudoris, eorumque jam adultorum conversatio inter se nudos signum feritatis vel petulantiae, qualis vix apud incultissimas gentes reperitur; neque decuisset Deum, modestiae et verecundiae amatorem, qui mox orto pudore illis tunicas pelliceas procuravit, indumento destitutos eos creare. Sequeretur et illud absurdum protoparentes peccando profecisse modestia, honestate, pudore.

Hoc argumento passim utuntur patres praesertim adversus pelagianos. Ita Augustinus de nuptiis et concup. I, 5 s. et passim alibi; Gelasius adv. pelag. (Mig. 59, 135); Avitus l. 2 carminis de pecc. orig.; Gregorius M. Moral. V, 31 n. 54; Ambrosius de Joseph. c. 5 n. 25 etc.: auctor Hypognosticon l. 4; Maximus taur. hom. 85; auctor comment. in Gen. 2, 35; 3, 7 (qui Eucherio lugd. adscribi solet); Alcuinus resp. ad interrog. 59; Severianus gabal. de mundi creat. or. 5 n. 9; or. 6 n. 6 et Damascenus F. O. II, 11. Quam autem congrua fuerit haec poena, ut protoparentes propter suam erga Deum inobedientiam punirentur integritatis amissione, patribus praeeuntibus ita explicat Thomas comp. theolog. c. 186. 192: »Quia igitur dicti status tam ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanae voluntatis ad Deum, consequens fuit, ut subducta humana voluntate a subjectione divina deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem et corporis ad animam. Unde consecutum est, ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili concupiscentiae, irae et ceterarum passionum inordinatos

motus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes et eam plerumque obnubilantes et quasi perturbantes.« Cf. Scheeben Myst. § 43.

2. Paulus Rom. 7, 7 ss. concupiscentiam vocat *peccatum.* Atqui eam non appellasset peccatum, si homo ut a Deo fuit creatus, eidem fuisset obnoxius: eoque minus, quod teste Eccles. 7, 30 Deus fecit hominem *rectum,* et ipse apostolus docet, per unum hominem peccatum in hunc mundum intrasse Rom. 5, 12. Ergo eam peccatum vocat, vel quia inclinat ad peccatum: quae causa ratione habita Eccles. 7, 30 et Rom. 5, 12, non videtur sufficiens, ut id, quod sponte consequitur naturam tanta cura a Deo institutam (Gen. 1, 26; 2, 7), vocetur peccatum; vel quia, ut conc. tridentinum declarat, „ex peccato est et ad peccatum inclinat," quae una ratio satisfacit. Ergo si concupiscentia est sequela peccati, ante peccatum ea carebant protoparentes.

3. Id probatur ex controversia cum pelagianis, contra quos catholici duce Augustino (in primis de Gen. ad lit. XI, 31) strenue tuebantur, **a.** protoparentes angelicam in paradiso duxisse vitam, pudorem **b.**, etsi nudos, ideo non esse expertos quod gratia erant vestiti; in poenam **c.** inobedientiae rebellione membrorum fuisse punitos. Manifesto ergo supponebant, aliam fuisse protoparentum circa concupiscentiam conditionem ante peccatum. Quapropter Petrus diaconus nomine eorum, qui a graecis in causa fidei Romam missi fuerant, ad episcopos Africae in Sardinia exsules scribit n. 15: „Credimus itaque bonum et sine ulla carnis impugnatione a Deo creatore omnium factum Adam [1])."

4. Imo adeo certa fuit veteribus protoparentum immunitas a concupiscentia, ut plures putaverint conjugium esse sequelam peccati [2]).

Ita Athanasius in Ps. 50, 7: »Prior Dei scopus erat, ut non per matrimonium et corruptionem nasceremur, sed transgressio mandati nuptias induxit ob Adami iniquitatem;« Gregorius nyss. de opificio hominis c. 17, ubi et haec habet: »Quid si quis . . . ex nobis scire velit, ecquo tandem modo homines orituri fuissent, si conjugii adjumento non eguissent? eum vicissim rogabo, quomodo angeli sint orti, quove pacto, cum ad infinita prorsus millia sint diffusi, et una natura et multi numero esse possint?« Quae tamen opinio nullatenus est probabilis, nam tum ex creatione utriusque sexus Gen. 1, 27; tum ex benedictione protoparentibus immediate post creationem impertita v. 28;

---

[1]) Cf. Thomam 1. p. q. 95. 98. 99; Bellarminum de gratia primi hominis c. 2 n. 18 ss.; Goudin tract. theol. II q. 2 a. 2, Palmieri th. 49.

[2]) Auctor dial. s. Caesario adscriptorum dial. 3 ad interrog. 156; (favet) Chrysostomus hom. 18 in Gen. n. 4; de virginit n. 14; Theodoretus ad interrog. 37 in Gen.; Theodorus mopsuestenus ad Gen. 3, 17; Gennadius CP. in Gen. (Migne patrol. gr. 85, 1638); Pseudo-Basilius de virginit. n. 54; auctor qq. ad Antiochum (inter op. Athanasii, Migne 28, 630) q. 52; Photius q. 254 ad Amphilochium; Damascenus de F. O. II, 30; Scotus Erigena saepius in op. de divisione naturae ex. gr. l. 5 n. 38 (Migne 122, 1013).

tum ex matrimonio ante lapsum instituto ib. 2, 22 ss. liquet, propagationem generis humani per generationem, hinc matrimonium, non esse peccati sequelam. Cf. Suarez de op. sex dierum V. 1.

332. **Thesis CXXX.** ***Cum dono integritatis, quo Deus primos homines locupletavit, singularem quoque conjunxit scientiam, quae felicissimo illorum statui et insito protoparentum characteri proportioni responderet.***

Demonstratio. 1. Quamvis s. Scriptura non multa habeat de insigni scientia protoparentum, ea tamen quantum satis est colligitur tum ex Eccli. 17, 1 ss., ubi inter alia de protoparentibus dicitur v. 5 s.: *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum: et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum* etc.; tum ex Gen. 2, 19: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus* (ad amussim illi conveniens, undique aptum). *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae;* quae impositio nominum iis in adjunctis insignis plane scientiae est specimen. „Ipse Pythagoras, refert Augustinus op. imperfecti V, 1, a quo philosophiae nomen exortum est, dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus.“ Ita jam Clemens al. in eclogis n. 32. Ad hoc factum pariter provocant Chrysostomus hom. 14 in Gen. n. 5; Severianus orat. 6 n. 2; Serenus apud Cassianum coll. 8 c. 21.

2. Eam postulat character proprius Adami, qui a Deo non solum constitutus fuit principium humani generis in ordine physico ratione generationis, sed etiam in ordine ethico, sociali et theologico ratione institutionis; ipse enim debebat (saltem magna ex parte) instituere in hoc triplici ordine genus humanum a se progignendum atque omnium prima jacere fundamenta. Quare ut esset par tanto muneri, scientia non qualibet sed plane insigni, instrui debuit. Cf. Thomas 1 q. 94 a. 3.

3. Scientiam admodum promovebat felix ipsius conditio. Sane eo facilius scientia insigni quis imbui potest, quo melius est dispositus et quo perfectius est medium cognitionis. Atqui optime erat Adamus dispositus in ordine cognitionis tum ratione integritatis, quae excludebat passionum tumultum, qui veri contemplationem admodum impedit; tum ratione felicitatis excludentis sollicitudinem, dolores, timores etc.; tum ratione innocentiae familiarisque conversationis cum Deo (cf. Prov. 13, 20). Medium vero cognitionis erat bene dispositum, quod erat ipse homo et rerum universitas: nam ille ante peccatum nitidior erat Dei imago, haec maledicto nondum obnoxia.

Quam ob rem Augustinus ib. IV, 75: »Quis dubitet christianus, inquit l. c., eos, qui in hoc seculo erroribus aerumnisque plenissimo ingeniossimi apparent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, si illius (Adami) ingenio comparentur, distare longe amplius quam celeritate a volucribus testudines distant;« et: »Omnes (nunc vividi et acutissimi ingenii) ipsi paucissimi, si hominis, qui primus est factus, comparentur ingenio, plumbei judicantur.« — Cyrillus alex. l. 1 in Joan. c. 9: »Auctor ille nostri generis Adam non in tempore sicuti nos, sapientiam videtur esse consecutus, sed a primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia praeditus cernitur.«

333. **Scholion. 1.** Quaeritur *num protoparentes fuerint adeo perfecti, ut non potuerint errare.* Affirmat s. Thomas 1. p. q. 91 a. 1. Quia tamen rationes pro ea sententia non sunt adeo efficaces, statuit Palmieri in append. post th. 81: »Sententia s. Thomae est communior: sed certe solum pobabilis est, non certa: quia nulla est repugnantia inter errorem et gratiam atque integritatem, nisi supponas statum illum obtinuisse perfectissimum gradum, quod quidem quomodo demonstras?« Et sane si potuit peccare, quare non et erarre?

2. Quaeritur, *num homo in statu justitiae originalis potuerit peccare venialiter.* Negat s. Thomas 1. 2 q. 89 a. 3, quod ut probabilius sequitur Suarez proleg. 4 de gr. c. 3; affirmat Scotus in 2. dist. 21. Solutio quaestionis »pendet, ut notat Palmieri, ex determinato conceptu, quem nobis effingimus illius status, in eo collocantes quidquid ad perfectionem spectare posse videtur. At quis certiores nos facit, quod reapse talis fuerit ille status? nam gradus in ejus perfectione non repugnant.« Cavendum omnimo videtur, ne ita extollamus illum statum, ut peccandi possibilitas vix explicari possit, eumque confundamus cum statu termini vel angelorum conditione. Ratione habita narrationis de lapsu Evae Gen. 3, 1 ss., vix tibi persuadebis, eam ante lapsum fuisse immunem a possibilitate erroris et peccati venialis, cum tam familiaris et continuata conversatio cum seductore aperte provocante ad inobedientiam contra Deum nondum quidem fuerit ipse lapsus, certe tamen non laudabilis neque immunis a quavis erroris culpaeque umbra. Cf. Mazzella d. 4 a. 6, qui negative ad utramque q. respondet.

3. Quaeritur, *num infantes in statu originali* ab ipsa nativitate *praediti fuissent insigni scientia.* Respondemus, quamvis protoparentum praerogativae peccato non interveniente transiissent in filios, quoad scientiam tamen esse tenendum cum s. Thoma 1. p. q. 101 a. 1: »De iis, quae sunt supra naturam, soli auctoritati creditur. Unde ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturae conditionem. Est autem naturale homini, ut scientiam per sensus acquirat... et ideo anima unitur corpori, quia indiget eo ad suam propriam operationem: quod non esset, si statim a principio scientiam haberet non acquisitam per sensitivas virtutes. Et ideo dicendum est quod pueri in statu innocentiae non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo vel addiscendo.«

334. **Corollarium.** *De statu protoparentum infantili.* — Ex dictis rejici debet rationalistarum necnon et quorundam catholicorum opinio, secundum quam protoparentes conditi sunt in statu plane rudi et imperfecto, adeo ut essent infantium instar. Potest tamen eorum conditio infantilis dici vel **1.** ratione novitatis status, nam primo a sua creatione die erant vix nati,

ideoque, si vis, ratione aetatis infantes; vel **2.** ratione perfectionis consequendae, cum et in scientia theoretica et practica, necnon in virtute multum proficere possent atque deberent; vel **3.** ratione innocentiae et simplicitatis, qua participes erant illius infantiae, quam Christus commendat et a suis exigit dicens Matth. 18, 3: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum;* vel **4.** ratione immunitatis a stimulo concupiscentiae; vel **5.** ratione subjectionis erga Deum. Cf. Kleutgen t. 2 d. 9 c. § 13; Suarez op. cit. III, 9. 10. 18.

335. **Thesis CXXXI.** ***Hisce bonis adjecit Deus donum immortalitatis corporis, quo protoparentes praediti possent non mori, et morituri revera non fuissent, si conditionem divinitus statutam sancte servassent.***

Declaratio. Thesis est de fide, ut patet ex Ecclesiae definitionibus, ut conc. milevitani et plenarii carthaginensis can. 1: „Ut quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore h. e. de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, A. S.; conc. arausicani II. can. 2 etc. et tridentini sess. 5 can. 1 et 2 (n. 326).

Ita ergo conditus fuit Adamus, ut vi conditionis non esset necessitati moriendi obnoxius, in statu intermedio inter statum, quo deberet mori, et statum, quo non posset mori; in statu, in quo pendebat mors et immortalitas perfecta ab ipso: qua animadversione conciliantur loquendi formulae ad speciem dissonae, quae de protoparentibus subinde occurrunt. Dicuntur enim facti conditione mortales, sed potestate seu beneficio immortales; vel immortales, sed potestate mortales; vel nec mortales nec immortales, sed utrumque potestate pro merito suo. Cf. Garnerius diss. 7. de haer. pelag. n. 3. Quod si quaeras, quid futurum fuisset, si Adamus non peccasset, dicimus cum Augustino de Gen. ad lit. VIII, 6; »Arborem illam (ligni vitae) praestitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta;« et iterum de civ. Dei XIII, 20: »Alebantur ergo aliis cibis, quos sumebant, ne animalia corpora molestiae aliquid esuriendo aut sitiendo sentirent. De ligno autem vitae propterea gustabatur, ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.« Causas hujus praerogativae valde bene recenset s. Bonaventura Brevil. II, 10: »Incorruptio igitur et immortalitas corporis Adae principaliter veniebat ab anima sicut a continente et influente; a corporis bona et aequali complexione sicut a disponente et suscipiente; a ligno autem vitae sicut a vegetante et adminiculante; a regimine vero divinae providentiae sicut interius conservante et exterius protegente.« Expleto autem probationis stadio divinitus singulis constituto, translati fuissent homines sine morte ad vitam prorsus immortalem praemii vel poenae.

336. **Demonstratio. 1.** Probatur th. ex controversia cum pelagianis sec. V., qui etiam damnati sunt, quod docuerint, Adamum creatum fuisse mortalem, adeo ut etiamsi non peccasset, moriturus fuisset.

2. Ex divinis literis, quae clare docent, mortem esse sequelam et fructum primi peccati. Eo ipso ergo significant, protoparentes vi originis

non fuisse morti obnoxios, sed a moriendi necessitate fuisse immunes. Ita Sap. 2, 23 ss.: *Deus creavit hominem inexterminabilem et ad imaginem similitudinis suae fecit illum.* Quis ergo illum non solum secundum animam, sed et secundum corpus *exterminavit? Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum;* Eccli. 25, 33: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur;* Rom. 5, 12: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit;* 1. Cor. 15, 21 s.: *Quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum.* Unde excluditur effugium eorum, qui contendant, sermonem esse tantum de morte spirituali; nam etsi haec ex Adamo in omnes fuit propagata, hoc tamen in loco intelligenda est in primis mors corporis: nam Paulus hic disputat de resurrectione corporum, et nomine *resurrectionis mortuorum* sensu obvio haec intelligi, saltem primario, solet. At clarius Paulus tuetur thesim omneque excludit effugium Rom. 8, 10: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.* Quare Sap. 1, 13 absolute declaratur: *Deus mortem non fecit.*

3. Eadem veritas colligitur ex Gen. 2, 17: *In quocunque die comederis ex eo* (ligno scientiae boni et mali), *morte morieris:* quae quamvis intelligi possint et forte debeant de morte etiam spirituali, explicanda sunt de morte in primis secundum corpus, ut patet **a.** ex sensu obvio verborum; **b.** quia rationem continent sanctionis; mortis autem nomine, quae rationem habeat sanctionis, intelligi semper solet corporalis; **c.** ex locis parallelis, quos adduximus; **d.** ex exsecutione Gen. 3, 17 ss.: *Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris*; quibus satis clare infligitur poena, quam comminatus est Deus: sed iis manifesto designatur mors corporis. Neque obstat, quod sermo sit de morte incurrenda ipso die, quo Adamus peccaturus sit. Nam illud *in quocunque die* explicare licet *quando* (cf. 2, 4), et praeeuntibus patribus verba *morte morieris,* apte omnino ita explicantur: morti eris obnoxius, vel eris mortalis, vel mori incipies: vere enim dicitur hominis vita, a quo factus est mortalis, jugis mors. Proinde *morte morieris* et illico secundum animam eodemque instanti debitum incurres mortis secundum corpus, eris mortalis incipiesque mori. Neque dura vel violenta censeri debet haec explicatio, cum in hebraica lingua verba actum exprimentia de necessitate et debito explicare liceat. Ita Paulus corpus nostrum vocat *mortuum quidem propter peccatum,* utique debito et destinatione. Cf. s. Thomam 1. p. q. 97; Bellarminum l. c. c. 8; de Rubeis c. 41.

337. *De felici protoparentum statu.* — Haec voluit Deus cumulata singulari felicitate, qua protoparentes ab omnibus aerumnis et doloribus essent soluti iisque abundarent, quae vitae suavitatem conciliant. Quod colligitur partim ex dictis, partim ex descriptione primitivae conditionis protoparentum Gen. 2, 8 coll. 3, 16 ss. Ex his enim liquet, illos bene se habuisse et ad Deum ob gratiam sanctificantem familiaremque cum ipso conversationem, et ad se ipsos ob integritatis donum; in ordine ad verum propter insignis scientiae lumen; relate ad vitae continuationem propter immunitatem a necessitate moriendi: ratione loci et commodorum vitae, quia erant in paradiso voluptatis, immunes ab omnibus aerumnis, doloribus, laboribus poenalibus, quae sunt peccati fructus. Nihil ergo eorum deerat, quae ad singularem quandam felicitatem pertinent. Quare apud christianos semper viguit fides de feliciore quondam conditione protoparentum. Ideo Augustinus op. imperfecti c. Julian., ubi saepe de hac disserit felicitate, scribit VI, 29: »Tu autem, si te cogitares, non dico, christianum, sed qualemcunque hominem, facilius nullum esse contenderes paradisum Dei quam eum faceres tua sacrilega disputatione poenalem.« Cf. de civ. Dei XIV, 26. Hinc patres ex vitae miseriis lapsum generis humani communisque culpae seu peccati originalis, quod omnes inficiat, colligunt exsistentiam; imo apud gentes plerasque hujus traditionis reperiuntur vestigia, cum auream quandam aetatem praecessisse nostram plus minusve persuasum habeant. Cf. Huetius qq. alnet. II, 11.

338. **Thesis CXXXII.** ***Recensita bona super et praeter naturam fuerunt, ideoque naturae humanae indebita.***

Declaratio. Hucusque ex adversariis plures doctrinae catholicae consentientes habuimus: hisce enim donis protoparentes fuisse praeditos, nobiscum sentiunt Lutherus, Bajus, Jansenius, Quesnellus etc., qui tamen contendunt, ea fuisse protoparentibus naturalia aut saltem debita debito vel essentiae (Lutherus), vel exigentiae (Bajus), vel decentiae (Jansenius). Thesis quidem non est fidei dogma ab Ecclesia definitum, doctrinam tamen continet, quae clare infertur ex repetita errorum oppositorum damnatione, hinc vere catholica fideique proxima dici potest. Quare a Pio VI. declaratur „doctrina synodi (pistoriensis n. 16) de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectentem non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam: quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium; falsa, alias damnata in Bajo et Quesnello, erronea, favens haeresi pelagianae."

Sane damnatae sunt prop. Baji 9: »Dona concessa homini integro et angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia; sed quia secundum usum s. Scripturae nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per J. Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet. 21. Humanae naturae sub-

limatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret. 24. A vanis et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quae ad pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus. 26. Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio. 78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.« Quesnelli 35: »Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae.« Alias dabimus infra. Cf. conc. coloniense tit. 4 c. 15. In schemate vatic. cit. (coll. lac. VII, 566) parati erant canones 1: »Si quis non confiteatur, humanum genus in primo parente ad statum supernaturalem elevatum fuisse, A. S.; 3: Si quis dixerit, sanctitatem et justitiam, in qua homo ante lapsum constitutus erat, non fuisse supernaturalem, sed ejusmodi, ad quam recte vivendo per insitas naturae facultates pertingere potuisset, A. S.« Cf. supra n. 308.

339. **Demonstratio. 1.** Probatur hac ratione: Adamus dona, quae ipsi vindicavimus, peccando amisit. Atqui peccando nihil amisit naturale; ergo haec dona non erant naturalia. Eum autem nihil amisisse naturale, sicut neque angeli lapsi, adeo certum visum est scholae, ut ipsa eo asserto uteretur tamquam demonstrationis principio.

Ita passim s. Thomas. »Manifestum est autem, inquit 1. p. q. 95 a. 1, quod illa subjectio corporis ad animam et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis: alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit,« cujus haec sunt verba de div. nom. c. 4 n. 23: »Nec vero quidquam eorum, quae sunt, interit, quatenus essentia est et natura . . . neque dicimus angelicas dotes, quas acceperant, penitus unquam fuisse immutatas, sed etiamnum integras esse planeque conspicuas.« Pariter patres in disputatione cum monotheletis passim supponebant, manente natura, manere naturalia; ideoque inferebant, Christum eo ipso humanam habere voluntatem, quod humanam assumpsit naturam. Cum ergo Adamus peccando non amiserit naturam humanam (neque enim facta est alia natura), non amisisset haec dona, si fuissent naturalia. — Confirmatur illatio efficaci analogia: in praesenti enim rerum ordine ob peccata actualia non solent amitti dona naturalia, sed supernaturalia, gratia scil. sanctificans. Igitur si homines propter peccatum ne actuale quidem amittunt dona naturalia, a fortiori non privabitur universum genus humanum propter peccatum originale minus ad ipsum spectans, quam peccatum actuale ad singulos, bonis naturalibus et debitis, sed bonis tantum supernaturalibus atque indebitis. Et revera nulla injustitia in eo cernitur, quod quis propter culpam alterius privetur indebitis: sed non facile explicabitur quomodo quis bonis naturae debitis propter culpam alterius privetur, qui propter culpam propriam iis non spoliatur. »Quod detrimentum aliquod patiatur, inquit s. Thomas de malo q. 5 a. 2, aliqua persona in his, quae sunt supra naturam, potest contigere vel ex vitio personae vel ex vitio naturae: quod autem detrimentum patiatur in his

quae sunt naturae, hoc non videtur posse contigere nisi propter vitium proprium personae.«

340. 2. Probatur thesis ex ipsa donorum natura et praestantia. Sane gratiam sanctificantem non esse proprietatem seu praerogativam naturalem et debitam, sed indebitam plane et supernaturalem, colligitur ex effectibus ejusdem formalibus, quorum ipsa sua inhaesione est causa. Per eam enim, ut nonnullos tantum recenseamus, nam fusius de illis agetur in thesi 203, constituimur

a. Dei amici: atqui nullus subditus conditione sua est amicus regis. Ergo a fortiori nulla creatura conditione sua est amica Dei.

»Quid autem majus, ait Cyrillus alex. in Jo. l. 10 c. 23, quid clarius quam Christi amicum et esse et apellari? Excedit haec dignitas naturae humanae terminos. Omnia enim serviunt Creatori, ut ait psalmista, nec quidquam est, quod jugo servitutis non subjiciatur. Quod cum ita sit, ad supernaturalem gloriam Dominus servos suos mandata sua servantes redigit, non servos, sed amicos appellans et ut amicos in omnibus tractans.«

b. Constituimur filii Dei adoptivi. Atqui adoptio bonum est nulli naturae debitum. Et sane videtur contradictio in terminis filius adoptivus naturalis seu qui naturaliter sit adoptivus (cf. n. 319). Quam ob rem patres inculcant, nos non natura, sed gratia esse Dei filios.

Ita Cyrillus hieros. cat. 3: »Ut filius sis, non per naturam habes, sed per adoptionem κατὰ θέσιν filii apellationem consequeris.« — Athanasius or. 2 c. arianos n. 19: »Deus non solum eos homines fecit, sed et filios dixit, tamquam si illos genuisset. Est autem Dei benevolentia, quod quorum sit conditor, horum postea per benevolentiam Patrem se faciat; quod tum contingit, cum creati homines, ut ait Apostolus, Spiritum Filii ejus clamantem Abba, Pater, in suis cordibus suscipiunt . . Nec enim alio modo possunt filii fieri, cum ex natura sua sint creati, nisi spiritum ejus qui est naturalis et verus Filiis, acceperint.« Cf. Cyrillus alex thes. ass. 32 (Mig. 75, 562).

c. Constituimur fratres Christi Hebr. 2, 11 et participes illorum bonorum, quae ipsi ut Filio vi generationis competunt, scil. dilectionis paternae, quae ex ipso in nos quoque redundat Jo. 17, 20 ss.; adeo ut ipsius Patrem appellare possimus Patrem nostrum ib. 20, 17; participes reddimur Spiritus Filii: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater* Gal. 4, 6; reddimur consortes vitae et virtutis Filii Joan. 6, 58: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me:* 15, 5: *Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum;* Gal. 2, 20; et haereditatis Filii, per gratiam enim sumus ejus coheredes Rom. 8, 17; reddimur ejus commensales Luc. 22, 29. 30 et σύνθρονοι Apoc. 3, 11; participes ipsius gaudii et gloriae, *nam accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* Jo. 14, 3; *volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum* ib. 17, 24; Matth. 25, 21. Etsi autem servus fidelis

jus habet, ut liberaliter tractetur, mercede et quiete demum donetur: praesumptuosum est affirmare, creaturae vi conditionis suae competere jus ad haec omnia bona, quae naturaliter vi generationis competunt Filio naturali et unigenito. Ergo gratia sanctificans non est sequela creationis, sed plane indebita et supernaturalis.

d. Imo gratia deificamur divinaeque naturae reddimur consortes, ut praeeunte Petro 2. ep. 1, 4 patres passim docent. Ita Augustinus in Ps. 49 n. 2: „Manifestum est ergo, quia homines dixit deos (Ps. 82, 6) ex gratia sua deificatos . . . Si filii Dei facti sumus, deificati sumus; sed hoc est gratiae adoptantis, non naturae generantis.“ Cf. in Ps. 94 n. 6. Atqui deificatio appellari nequit nisi participatio eorum bonorum, quae sunt supra naturam; quousque enim bona sunt debita naturae humanae ejusque comprehensa ambitu, homo ea participans est homo tantum, nullatenus consors altioris naturae. Ut deificetur, necesse est, ut participet quae sint supra ejus naturam, indebita, bona unius Dei propria. Ergo deificatio seu participatio divinae naturae dici nequit ulli creaturae, etsi innocentissimae, etsi angelicae, debita vel naturalis; sed per eam quaelibet natura creata suos transcendit limites, supra se effertur, hinc praerogativa est supernaturalis. „Dicimus quaedam supra naturam esse, inquit Origenes adv. Celsum V, 23, prout hanc vocem plerique intelligunt, quae Deus efficere possit, ut cum hominem supra naturam humanam efferens, participem facit melioris diviniorisque naturae.“

e. Tam sublimis verbo est status gratiae, ut tam sacrae literae quam patres eum describant ut magnum mysterium supereminentis magnitudinis virtutis divinae Eph. 1, 19, transcendens omnem cognitionem vel conjecturam humanam, quod ex sola Spiritus s. revelatione cognosci possit 1 Cor. 2, 6 ss., cum Deus in eo effundat divitias ineffabiles bonitatis suae Eph. 1, 3 ss., intimumque per eum ineamus consortium cum Patre et Filio 1 Jo. 1, 3, sigillatum participatione ipsius s. Spiritus. Quare status ille exhibetur ut terminus novae creationis, imo generationis ex Deo, qua renovati et regeniti Christo, Filio Dei unigenito, conformamur eumque induimus Gal. 3, 27; 4, 19; Rom. 8, 29. „Supernaturalis proin dicenda est, infert conc. coloniense, gratia illa sanctificans, qua homo adeo supra suam conditionem elevabatur, ut filius Dei esset per adoptionem fieretque idoneus, qui felicitatem illam consequeretur, quae, cum in Dei cognitione intuitiva consistat, omnem hominis facultatem naturalem transcendit.“

341. Hinc infertur reliqua quoque dona scil. integritatem, insignem scientiam, immunitatem a necessitate moriendi et felicitatem non fuisse naturalia et debita, sed saltem praeternaturalia. Nam **a.** naturalia non pendent a supernaturalibus, ut patet ex rei natura

et ex analogia praesentis ordinis, in quo naturalia non pendent a supernaturalibus. Atqui haec dona ex positiva saltem Dei voluntate pendebant quoad ipsorum conservationem a gratia sanctificante, qua amissa, mox perierunt (cf. Scheeben § 178; Mysterien § 35). Ergo non fuerunt dona naturalia et debita. Quia autem ea naturam humanam per se ad altiorem non transferebant ordinem, sed tantum intra suos perficiebant limites, praeternaturalia apte meritoque dicuntur (cf. n. 321 [1]).

Speciatim **b.** id liquet quoad donum immortalitatis ex Gen. 3, 19: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Mors enim exhibetur naturalis sequela ipsius originis et conditionis humanae. Quocirca a Pio VI. declaratur „propositio (17. synodi pistoriensis) his verbis enunciata: ‚Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam poenam culpae originalis: quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio: captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata." Quod si immortalitas non est naturalis, neque ipsa immunitas a doloribus, neque illa discendi facilitas (cf. th. 130); haec enim intime cohaerent. Quare analogia ducimur ad conjiciendum, neque integritatem fuisse naturalem et debitam.

De hac ita egregie disputat Scotus in 2. dist. 29 q. 1: »Rebellio esset in homine exsistente in puris naturalibus, quia naturale est unicuique appetitui ferri in suum appetibile. Igitur cum appetitus sensitivus exsistens in puris naturalibus habeat proprium appetibile et delectabile, summe haberet tendere in illud, quantum est ex se, et illud tendere impediret actum rationis, quia adhuc essent istae potentiae in eadem essentia, sicut modo. Dici ergo potest, quod si originalis justitia habuit illum effectum, scilicet facere perfectam tranquillitatem in anima quantum ad omnes potentias, ita quod natura inferior non inclinaretur contra judicium superioris, aut si inclinaretur, posset tamen a superiori ordinari sine difficultate, cum hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus: necesse est, ipsam ponere donum supernaturale.« Cf. Thomas de verit. q. 27 a. 7; Scheeben § 155.

c. Si haec quatuor bona essent debita naturae humanae innocenti et nunc tantum ob indignitatem peccato originali contractam indebita et supernaturalia, hac indignitate baptismo sublata et deleta, jam iterum fierent debita et consequenter naturalia. Atqui per baptismum deleto peccato originali praeter gratiam sanctificantem, quae prorsus gratis redditur, reliquae praerogativae non restituuntur. Ergo eae neque olim fuerunt debitae et naturales.

342. Doctrinam **3.** quam thesi vindicamus, suffragio suo confirmant patres, quoties vel generatim illa dona non naturae sed gratiae adscribunt, vel affirmant, hominem peccando gratiae veste fuisse nudatum gratuitisque spoliatum, quam doctrinam ita paucis expressit Petrus Lombardus in 2. d. 25 n. 8: „Hic (Adam) est enim ille, qui a latronibus vulneratus est et spoliatus (respicit parabolam Luc. 10, 30 ss.), vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatus: spoliatus vero gratuitis, quae per gratiam naturalibus addita fuerant.“ Nominatim integritatem gratiae adscribunt, hinc eam non putabant vel naturalem vel debitam esse. Ita passim Augustinus, ut c. Julianum l. 4 c. ult. n. 82: „Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore, quod puderet: spoliatus gratia, sensit quod operire deberet.“ Idem significant, cum affirmant hominem ob integritatem in paradiso angelicam duxisse vitam: neque enim homini, qui naturaliter non est angelus, naturalis vel debita est conditio angelica. Paucis sed clare doctrinam catholicam enunciat Athanasius de incarn. n. 4: „Praecepti transgressio illos ad propriae naturae conditionem revocavit.“ Cf. de hoc argumento egregie disserentem Casini a. 6 et Scheeben in recapitulatione subjecta et Handb. § 162.

343. **Corollarium I.** *Ergo homo* in sua primitiva conditione *elevatus fuit ad ordinem supernaturalem.* Haec vero elevatio non fuit permissa hominis arbitrio factaque per modum invitationis vel consilii, sed primaria intentione a Creatore volita et omnibus per modum formae legisque impressa: adeo ut ejus neglectus non sit solum benefactoris contemptus, sed injuria Creatoris summique Domini et laesio ordinis a se solemniter statuti. Hinc **1.** praeter finem hominis supernaturalem nullus facto est alius finis hominis; **2.** opera mere naturalia in praesenti ordine pretium non habent pro fine obtinendo, sunt extra et praeter viam; **3.** natura sine gratia sordescit et est abnormis et deformis; **4.** gratia et natura in idea Creatoris intime sunt consertae ad unam hominis perfectionem genuinam in hoc ordine constituendam. Qua de re praeclare omnino disputat Scheeben § 173.

344. **Corollarium II.** *Si haec dona fuerunt indebita* naturae humanae, praeter et supra eam, *potuit homo etiam absque illis creari.* Quod etsi ex dictis plane evidens est, de singulis tamen praerogativis id ostendemus, cum etiam nostra aetate fuerint theologi catholici, qui a sana doctrina hisce in quaestionibus aberraverint.

I. *Potuit Deus creare hominem sine gratia sanctificante.* Et revera eatenus tantum affirmare licet, hominem sine gratia sanctificante creari non potuisse quatenus ea includitur notione sive Dei creantis sive naturae humanae creatae. Atqui ea neque continetur Dei creantis notione, cum haec differat a notione Dei se amici et patris instar communicantis et in filium adoptantis; neque notione naturae humanae creatae, quae qua creata rationem potius habet servae quam filiae n. 340. Probari ergo nequit, gratiam sanctificantem sequelam esse creationis. Cf. Palmieri th. 37. Sed gravior est controversia de integritate; quare dicimus:

345. II. *Integritas non iis continetur bonis, quae naturae humanae innocenti ex sese debentur* et sine quibus eadem condi nequit, quin misera continuo sit atque mala. Haec illatio non solum corollarii modo sequitur ex dictis, sed alia quoque ratione confirmari potest.

1. Secundum adversarios idcirco Deus non potest hominem concupiscentiae obnoxium creare, quod ea intrinsecus sit mala. Atqui hoc falsum esse ostendimus n. 329[6], et evidenter inde probatur, quod secundum concilium tridentinum sess. 5 can. 5 in baptismo deletur, quidquid habet peccati rationem, et tamen concupiscentia relinquitur, eaque consistere potest cum vera solidaque sanctitate. Unde

2. praeclare ita arguit Scheeben annot. ad Casini a. 1 n. 8: „Si Deus modo, cum nos tamquam membra Christi infinita et ineffabili caritate complectitur (ob quam Apostolus exclamat: *Si Unigenitum Filium pro nobis dedit, nonne cum ipso omnia donavit?* Rom. 8, 32), istam pravitatem in nobis relinquit, ut sit nobis occasio majoris victoriae ac gloriae; quomodo dicas, Deum natura ipsa exigente ab initio eam ex debito removere debuisse, praesertim cum natura per se amorem infinito minorem mereatur, quam is sit, quem modo, licet post demeritum Adae, per merita infinito majora novi Adami promeretur?"

3. Neque dissentit Augustinus, ad quem adversarii provocant. Is enim luculenta oratione probat, Deum potuisse creare hominem miseriis, ignorantiae ipsique concupiscentiae obnoxium, rationesque reddit, cur Deus eum sic condere potuisset; unde concludit Retr. I, 9 n. 6: „Quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus."

Idem s. doctor de lib. arb. III, 20 scribit: »Si ergo altera (anima) talis esse coepit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus praecedit, sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante et ab ignorantia coecante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas suppli-

cium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam praeponat errori et quietem difficultati, ut ad haec non nascendo, sed studendo perveniat.« — Eadem est doctrina s. Thomae, cujus verba notatu sunt digna in 2. d. 31 q. 1 a. 2 ad. 3: »Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione naturae suae relinqueret, ut scil. mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens: in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur; non tamen iste defectus in eo rationem culpae et poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset.« Cf. alia ejusdem verba n. 329 [6] et apud Ripalda III d. 8 s. 1; de Rubeis c. 51; Palmieri th. 45.

346. III. Ex quibus liquet, juxta Augustinum *Deum potuisse hominem innocentem* creare *etiam absque scientiae praerogativa,* qualem descripsimus n. 332. Originalis enim ignorantia est defectus seu imperfectio sponte consequens naturam humanam, sicut concupiscentia, mortalitas, passibilitas, quibus obnoxium hominem creare potest Deus, ut vidimus. Nam anima rationalis est forma corporis, hinc ipsius est ex sensibilibus assurgere ad intelligibilia: quocirca in cognitione plurimum pendet ab organismi explicatione, quae naturaliter gradatim fit. Quare vi creationis scientia infusa ei non debetur, sed tantum cognoscendi potentia.

Quod si Augustinus ignorantiam vocat malum et peccatum, loquitur vel **a.** de ordine historico, quia est sequela peccati; vel quia **b.** est occasio peccati saltem materialis; vel quia **c.** est defectus et imperfectio, sed naturalis. Quare diligenter prae oculis habeantur, quae infra n. 351 [3] de concupiscentia notabimus, praesertim sub. lit. **e.** et **g.**

347. IV. *Potuit Deus hominem creare obnoxium tam doloribus et aerumnis, quam ignorantiae et morti.* Quae assertio iisdem rationibus probatur, et colligitur etiam ex Scripturae patrumque doctrina de malorum, tentationum, imo et peccatorum permissione; docent enim hanc nullatenus adversari divinae sive justitiae sive sapientiae sive misericordiae (cf. thes. 99), cum omnia etiam mala diligentibus Deum cooperentur in bonum Rom. 8, 28; imo Deum permittere, ut sancti quoque viri gravibus pulsentur tentationibus malisque divexentur acerbis, quod ingens ipsis inde meritorum praemiorumque paretur occasio. Hinc videmus patres in laudes tribulationum, passionum, crucis effusos. Si ergo optime conciliari potest cum divina sapientia et bonitate Dei permissio, qua vel sanctissimos viros, filios suos carissimos, imo vel immaculatissimam Filii sui unigeniti matrem, gravibus relinquit obnoxios miseriis ipsique morti: affirmari nequit, naturae servae, etsi innocenti, deberi immunitatem a quavis miseria etc., adeo ut Deus non potuerit eam creare hisce obnoxiam defectibus, quibus modo premimur. Unde merito etiam damnatae sunt prop. 72 Baji: „Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Job et martyres quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt;“ et Quesnelli 70: „Nunquam Deus affligit in-

nocentes: et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem."

348. **Thesis CXXXIII.** ***Quare possibilis est status naturae purae, et quidem potentia non solum absoluta, sed etiam potentia quam ajunt, ordinata.***

Declaratio. Ut rite intelligatur, quid sit status naturae purae, notetur naturae puritatem tolli tum subtractione, eorum scil. quae naturae, ne sit in se manca, sunt debita, connaturalia; tum additione eorum, quae sunt supra, praeter et extra naturam, ut gratiae sanctificantis, immortalitatis sive etiam peccati, quod vi originis ipsam inficit et hac ratione ad eam velut accedere concipitur. Positive autem exigit status naturae purae quandam totalitatem seu ea omnia et ea solum, quae continentur idea hominis, sed in ordine non tantum metaphysico verum etiam physico, ethico et finali seu eudaemonico considerati. Ad rationem ergo status naturae purae ea omnia pertinent, quae necessaria sunt, ut homo non solum vitam degere possit physicam, sed etiam moralem, ad quam requiruntur sufficiens cognitio (seu cognoscendi possibilitas) legis moralis et potentia (sive proxime sive saltem remote) vere sufficiens eam servandi; requiruntur etiam media vere et relative sufficientia ad consequendam beatitudinem naturalem, indigentiae, exigentiae et desiderio (vere) naturali convenientem idque plene explentem. Quae omnino sunt tenenda, ut habeatur genuina et rationalis status naturae purae notio.

Quare omnino ad rem Franzelin de habitudine rationis humanae ad divinam fidem c. 3 § 4 inter alia plane egregia scribit: »Sine dubio falluntur, qui praesentem ordinem providentiae cum statu naturae purae ita comparant, ut statum praesentem considerent detractis omnibus auxiliis supernaturalibus et nullis substitutis aliis, quam quae nunc sunt, adjutoriis naturalibus; tum vero talem fore statum purae naturae sibi persuadent.« Quare non esset contra hujus status indolem bonarum cogitationum excitatio immediata Dei in hominem operatione, beneficiorum impetratio, peccatorum remissio intuitu poenitentiae naturalis etc. Qualis vero fuisset providentiae divinae ratio, quae media etc., accuratius determinari nequit; satis est ea relinquere divinae sapientiae. Ceterum ideam aliquam, conjecturis quidem innixam, status naturae purae proponit Goudin tract. theolog. t. 2 q. 2 a. 1, qui vero similius censet, beatitudinem naturalem eo in statu exigere etiam felicitatem corporis, ideoque corporum resurrectionem, aut etiam (quod minus probamus) proborum hominum citra mortem ad statum immortalitatis translationem. Hujus status possibilitatem vindicamus contra Bajum, cujus prop. 55 fuit damnata: »Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur;« Jansenium eorumque asseclas, necnon contra quosdam recentiores theologos germanos. Cf. Scheeben § 156 s.

349. **Demonstratio p. I.** Thesis est corollarium sponte sua consequens ea, quae hucusque demonstravimus n. 338 ss. Et revera nonnisi

praepostere in dubium revocatur possibilitas illius status naturae humanae, in quo ea haberet omnia, quae continentur ejus notione eique debentur in ordine metaphysico, physico, ethico et finali, et in quo careret donis tantum indebitis. Atqui hic est status naturae purae. Ergo status naturae purae merito possibilis judicatur. Cf. de Rubeis § 38. 51 ss.

350. **Demonstratio p. II.** Haec pars est contra nonnullos theologos ex schola augustinianorum, ut Norisium, Berti, Bellelli etc.; Contenson, Lemos, Serry etc. ex thomistis; Victorem a Cocaleo O. Cap., Hermes, Hirscher, Günther etc., qui contendunt, statum naturae purae esse possibilem secundum potentiam, quam dicunt Dei absolutam, si scil. Deus operetur solum secundum leges et rigorem justitiae; non vero esse possibilem secundum potentiam, quam vocant ordinatam, si scil. Deus in operando rationem habeat suae bonitatis, decentiae, cujusdam congruitatis. Verum in Deo omnipotentia divina identificatur non tantum cum uno alterove attributo, sed cum omnibus; hinc nil Deo vere dici potest possibile, quod cum aliquibus ejusdem pugnat attributis (n. 69). Atqui secundum hos theologos status naturae purae cum aliquibus Dei pugnat attributis. Ergo Deo vere possibilis dici nequit, seu is pugnat etiam cum Dei omnipotentia: quod nemo catholicorum admittit vel admittere potest post damnationem prop. Baji (n. 338), praesertim 55 (n. 348). Quare nec licebit admittere theorema, ex quo ejusmodi conclusio malesana consequitur. Minus autem felix est effugium Norisii, qui in vindiciis august. c. 3 § 3 scribit: „Licet sit possibile potentiae, non est possibile justitiae, talem condi hominem, qualis modo nascitur: in priori tantum sensu qui negat cum damnata propositione Baji sentit." Neque enim tam tardi ingenii erat Bajus, ut crederet, creationem hominis miseriis obnoxii esse opus tam ingens et stupendum, ut superaret ipsam omnipotentiam divinam; sed putabat ideo talem hominem creari non posse, quod ejus creatio adversaretur vel divinae justitiae, vel sapientiae, vel bonitati. Cf. Kleutgen d. 9 c. 4.

351. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Contra ea, quae demonstravimus in thes. 132 s. et corollariis adnexis, plura opponi solent.

1. Excipitur: Id debitum et naturale censeri debet, quod Deus nonnisi intuitu peccati creaturis denegat. Atqui Augustinus contra pelagianos disputans passim inculcat, Deum creaturis nonnisi intuitu peccati negare gratiam, adoptionem, regnum coelorum. Cf. ex. gr. contra Julian. IV, 16 n. 83; V, 1 n. 4; VI, 2. 21 etc. Ergo haec naturae innocenti sunt naturalia, vel saltem debita. Verum facilis est responsio: Augustinus loquitur de ordine historico, de ordine a Deo libere instituto. Atqui in tali ordine ea dona homini innocenti erant debita, non ex rerum naturis, ut censuit Lutherus; non ex creaturae rationalis exigentia ad finem suum consequendum, ut opinati sunt Bajus et Jansenius: sed ex libero Dei decreto, quo voluit homines ex mera

gratia in Filios adoptare ac beatitudinis suae participes reddere. Quare in hoc ordine adoptio, gratia etc. erant debita, sed ex hypothesi hujus gratuitae voluntatis divinae, et amitti poterant tantum peccato.

2. Eadem fere ratione respondendum est ad alias similes exceptiones, ut ex. gr. Augustinum aliosque patres docere hominem sine Spiritu s. non posse diligere Deum: hominem vero sine potentia diligendi Deum esse malum; vel eum sine gratia esse vitiosum. Loquuntur scil. de ordine historico, quem Deus liberrime et ex gratia instituit, non de eo, quem humana natura per se exigit. Quod si Augustinus non videtur agnoscere amorem medium inter caritatem et vitiosam cupiditatem, nemo inferat, caritatem ex gratia profectam esse homini innocenti debitam. Loquitur enim s. doctor vel de ordine historico, in quo non datur status intermedius inter statum caritatis et gratiae et statum dominantis peccati et cupiditatis; vel nomen caritatis accipit latissima significatione, qua quemlibet amorem rectitudinis, ordinis, honestatis designat. — Si adversarii urgent, vel ipsam Dei visionem intuitivam naturae rationali innocenti esse debitam, hinc etiam gratiae dona, sine quibus illa obtineri nequit: difficultatis solutionem differimus ad th. 274 tr. de Deo consummatore, in quo ostendemus visionem beatificam esse supernaturalem, ergo indebitam, neque contrarium ex s. Thoma posse probari.

3. Quod attinet exceptiones contra collorarium II n. 345, scias.

a. Deum non teneri ad optimum tollendosque defectus, qui sponte consequuntur naturam creatam; ejusmodi defectum esse concupiscentiam.

b. Veram fore difficultatem, si concupiscentia rationi nullatenus subesset vel ad peccandum necessitaret, vel si Deus nulla suppeditaret ad eam vincendam auxilia necessaria, quorum tamen nihil affirmare licet.

c. Prae oculis habeatur, vitam praesentem non esse necessario stadium quietis et felicitatis, sed esse stadium veri agonis verique certaminis, ut nonnisi strenue pugnantes et in agone desudantes praemium assequantur aeternum. Atqui concupiscentia non tantum est occasio peccati, sed iis, qui bonae sunt voluntatis, occasio multiplicis boni, meriti virtutumque exercitii: nam *virtus in infirmitate perficitur* 2. Cor. 12, 9 et magis splendet in camino tribulationis. Idcirco vero

d. patres, Augustinus nominatim concupiscentiam exhibent ut vitium, morbum, non solum quod ea est defectus quidam et veluti rubigo (sed naturalis) naturae humanae, sed praesertim quod loquuntur de ordine praesenti et historico, in quo est fructus peccati, rebellio propter excussum rationis jugum, cui prius erat et secundum institutionem primitivam Dei debebat esse obnoxia, anomalia quaedam ratione habita illius praestantissimi archetypi, secundum quod homo creatus fuit a Deo. Cf. Scheeben Myst. § 48.

e. Neque pudor, qui concupiscentiam comitatur, probat, eam tali infici malitia, propter quam non potuisset permitti in creatura innocenti. Pudor enim est partim poenalis seu prodit ejus originem ex peccato; partim naturalis; solemus enim pudore affici ob alios quoque defectus ab omni labe immunes, ob vulnus, deformitatem corpoream etc., scil. quoties nos aliis inferiores videmus; partim est medicinalis seu salutaris, ut eo impulsi frenemus, moderemur, regamus concupiscentiam. Quare cum pudor naturaliter nobis insertus tam salutaris sit, ut eo adversus concupiscentiam muniamur, liquet concupiscentiam divinitus posse permitti.

f. In primis vero est inculcandum, de concupiscentia, qualis esset vi conditionis in statu naturae integritatis dono destitutae, non judicari legitime ex aestu et effrenata libidine, quo modo persaepe inficitur. Nam negari nequit concupiscentiae vehementiam pendere quam plurimum a causis quibusdam particularibus physicis et moralibus, cujusmodi sunt peccata repetita; ab ipsis parentibus, quorum vitia physicum influxum saepe habent in prolem a se genitam: ab educatione, quae oleum affundit ejusdem ardori vel eam freno cohibet, prout ea est mundana vel religiosa; ab occasionibus, in quibus adolescens versatur et quae illam quam vehementissime succendere valent. Quapropter non idem concupiscentiae ardor solet esse in iis, qui in corruptissimis degunt instituunturque urbibus, atque in illis, qui in magna morum simplicitate in vallibus et montibus procul a civitatum seductione duram agunt vitam agrorum culturae vel pascendis gregibus deditam. — Idem dicatur de miseriis, quae modo affligunt genus humanum. Plures enim non sunt sequelae (immediatae), quae necessario vi conditionis consequuntur naturam humanam, sed sequelae peccatorum actualium, malitiae et perversitatis humanae, ut bella, caedes, rapinae, subinde etiam inopia publica etc. Quare praepostere ex statu historico miseriae humanae infertur, qualis ea esset vi status naturae purae. Nunquam satis inculcari potest, ne fiat hic illationis saltus, quem si caverent plures ex patronis oppositae sententiae, non tam facile propter statum quem homines propria culpa repetitis peccatis fecerunt deteriorem, contemnerent statum naturae purae, qui a Deo institutus fuisset, si homines nullis auxisset donis indebitis. Cf. s. Thomas c. gentes IV, 52; 1. 2 q. 85 a. 6.

4. Excipitur, patres et apologetas religionis christianae ex miseriis vitae inferre peccati cujusdam communis seu originalis exsistentiam: quod argumentum esset plane inefficax, si Deus naturam humanam etiam innocentem potuisset tot subjicere miseriis. Videntur ergo patres et apologetae omnino supponere, non potuisse hominem ita a Deo primum creari, ut morti et ignorantiae etc. esset obnoxius. Non negamus ex dogmate de peccato originali haud parum illustrari tristem humani generis conditionem: hinc posse apologetas ad hanc explicandam ad illud provocare tamquam ad hypothesim, quae se admodum commendat. Quod vero ipsam illationem exsistentiae peccati originalis ex vitae hujus miseriis attinet, notamus eam triplici modo posse spectari: **a.** admissa persuasione de feliciori quondam statu humani generis, quem s. Scriptura clare docet et vel traditiones populorum testantur; et tunc argumentum esse efficax; vel **b.** spectari posse ratione habita solius bonitatis divinae omne debitum excedentis erga genus humanum, ut ea in ss. literis describitur; et tunc illationem esse probabilem; vel **c.** eam spectari posse tantum ratione habita exigentiae rerum et juris divini; et tunc eam esse inefficacem. Cf. Palmieri th. 42 s.; Scheeben Myst. 49.

352. **Scholion practicum.** Laetissima protoparentum conditio minus aptum videri potest concionum pro populo argumentum. Mox enim illorum peccato periit, neque nobis licet redire in paradisum. Si quis tamen concionum serie fidem catholicam ex ordine exponere vel priora Genesis capita illustrare cogitet, duplex ipsi suggerimus orationis schema.

I. Laetissima protoparentum conditio apte adumbratur symbolo pacis quadruplicis, qua omnia ad miram harmoniam revocabantur:

1. Regnabat pax Deum inter et hominem, cum Deus conversaretur cum homine ut pater cum filio eoque praedilecto, quem sibi gratia sanctificante adoptaverat bonisque omnibus copiose cumulaverat.

2. Regnabat perfecta pax et harmonia in ipso homine dono integritatis (n. 330), adeo ut nullo passionum tumultu turbaretur, mentis serenitas nullis rebellibus carnis motibus obfuscaretur.

3. Regnabat pax corpus inter et animam, cum nulla moriendi necessitas hanc conjunctionem potuerit intercidere, nullae molestiae, dolores, morbi, incommoda nulla corpus affligerent vel afficerent animam, corpus ad nutum esset animae instrumentum aptum et promptum.

4. Regnabat pax naturam inter et hominem, cui illa tunc non germinabat tribulos et spinas, sed obsequiose praebebat omnium fructuum uberem copiam: et vel animantia nullum poterant ei inferre damnum, sed reverenter agnoscebant ejus dominium et regnum. Quantum jam damnum secutum est Adami peccatum! Quadruplex invaluit rebellio. Ipse factus Deo rebellis sensit in poenam rebellionem membrorum (n. 331 [1]), corporis adversus animam mortis debito, naturae ipsius adversus ejus dominium, cum eam modo homo domare debeat in labore et sudore Gen. 3, 16 ss.

353. **II.** Colligere licet ex doctrina catholica de felici protoparentum conditione, quanta fuerit bonitas Dei erga genus humanum. Nam contulit

1. tam insignes praerogativas ultra naturae debitum homini nihil adhuc merenti: non exspectavit ejus meritum, sed illud praevenit. Dedit

2. illi praerogativas, quas modo ne sanctissimis quidem viris neque post merita vel maxima concedit hac in vita, cujusmodi sunt integritas, immunitas a moriendi necessitate, ingenium plane sagacissimum etc.

3. Dedit eas praerogativas non soli Adae, sed in ipso sub conditione facillima toti ejus posteritati, universo generi, in quod scil. transiissent ipsa generatione. Quam effusa ergo bonitas in homines, quantum damnum peccatum originale, hinc quantum illius malum.

4. Non est tamen cur invideamus Adamo, crevit enim cum lapsu Dei bonitas et misericordia erga humanum genus, quia **a.** nunc confert sua beneficia homini non solum nihil merenti, sed homini positive indigno non tantum ob peccatum originale, sed et propter tot peccata actualia; confert **b.** beneficia majora, ut liquet, si ratio habetur ex. gr. sacramentorum eucharistiae et ordinis; confert **c.** efficaciori propensione, quia motus sanguine pretiosissimo Filii sui ita ea confert, ut quamvis in multis effectu careant, fructum uberem referant etiam in multis, adeo ut non pereat ordo reparatus, sicut totus corruit status originalis protoparentum lapsu.

Caput IV.

De Adami lapsu lapsumque consecuta miseria.

354. Quatuor articulis omnia complectemur, quae ad tristem spectant statum, qui felicem protoparentum conditionem propter eorum peccatum est consecutus. Agemus scil. de misero Adami lapsu; dein de peccati in posteros omnes propagatione; denique in hujus peccati quantum fas est inquiremus naturam ac sequelas.

Articulus I.
De Adami lapsu.

355. Quae Adami lapsum spectant, paucis expediemus. Certum est

1. *Deum protoparentibus imposuisse praeceptum* Gen. 2, 16 s.: *Praecepit ei dicens: ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Cf. etiam 3, 3. 11. 17; Rom. 5, 18.

2. Protoparentes *legem esse transgressos* manifestum est ex Gen. 3.

Neque enim quae Gen. 3 narrantur, mythi instar sunt, vel allegoriam continent, vel Evae somnium[1]). Hoc enim adversatur sensui obvio textus sacri et sensui antiquitatis, eaque interpretatione semel admissa, nil erit in divinis literis, quod non possit simili interpretandi arte vel potius fraude negari. — Quod si quaeras cujusmodi fuerit ille serpens, de quo Gen. 3, 1 sermo est, respondemus, illum fuisse serpentem verum quidem, ut patet tum ex nomine, tum ex collatione cum aliis animantibus terrae, quorum erat callidissimum: sed a daemone actum, ut patet tum ex ejus loquela, tum ex aliis Scripturae locis, in quibus protoparentum lapsus adscribitur diabolo 2. Cor. 11, 3 coll. 14; Apoc. 12, 9; 20, 2; Sap. 2, 24; Joan. 8, 44; tum ex patrum sententia, e quibus Origenes scribit de princ. III, 2 n. 1: »In ascensione Moysis, cujus libelli meminit in epistola sua apostolus Judas, Michael archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysis, ait a diabolo inspiratum serpentem causam exstitisse praevaricationis Adae et Evae;« tum ex analogia quadam, cum et secundus Adam, Christus, pariter a daemone fuerit tentatus.

3. *Peccatum Adami,* etsi materies videtur levis, *plane fuisse gravissimum,* ut patet **a.** ex solemnitate, qua fuit impositum praeceptum. »Quisnam satis explicet, inquit ad rem Augustinus de civ. Dei XIV, 5, quantum malum sit non obedire in re facili et tantae potestatis imperio et tanto terrenti supplicio?« **b.** ex facilitate, qua potuisset illud servari, unde idem s. doctor: »Quisquis, inquit ibidem, hujusmodi damnationem vel nimiam vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahae non immerito magna obedientia praedicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata (Gen. 22, 2): ita in paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id, quod praeceptum est, nullius difficultatis fuit.« Patet peccati gravitas **c.** ex sanctione adjecta, et **d.** ex praecepti scopo, qui erat, ut Adamus pracepti observantia supremum Dei testaretur et profiteretur dominium; **e.** ex praecepti sequela: ex ejus enim observatione pendebat posterorum etiam felix conditio. Bene de hoc peccato s. Augustinus Enchiridii n. 45: »Quamvis et in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, et in omnes homines per-

---

[1]) Quod censuit Jahn in append. hermeneut. fasc. 2 pag. 206 ss. Cf. Patritii de interpret. Script. ss. l. 2 q. 3; Reinke, Beiträge zur Erklärung des A. T. II, 268—414. Ceterum Moyses bene distinguit inter facta et somnia ut liquet ex iis quae narrat de Joseph et Pharaone. Secundum Philonem serpens est tantum symbolum voluptatis, cum protoparentum peccatum fuerit copula carnalis.

transiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se praecipitavit in mortem; et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est; et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; et avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit: et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.« Cf. Scheeben Mysterien des Chr. § 38. 39.

4. *Violata lege protoparentes felici,* in quo conditi erant, *statu excidisse,* iram indignationemque Dei incurrisse, originalem justitiam et sanctitatem amisisse atque secundum corpus et animam in deterius commutatos esse, ut docet conc. tridentinum sess. 5 can. 1 (n. 326), et probatur **a.** ex disputatione catholicorum cum pelagianis; **b.** ex dogmate catholico de peccato originali (de quo mox), quod hanc veritatem omnino praesupponit; tum **c.** ex thes. 128 seqq.; ostendimus enim hominem pluribus auctum fuisse praerogativis, quas certissime amisit; **d.** ex attenta lectione Gen. c. 3; in primis vero **e.** ex incarnationis necessitate.

Articulus II.

De peccati originalis exsistentia atque in homines omnes transfusione.

356. Distingui sedulo debet inter exsistentiam et essentiam peccati originalis, inter factum et modum propagationis ejusdem. In hoc articulo tantum de peccati originalis exsistentia deque facto propagationis ejus in omnes homines disputabimus.

357. **Thesis CXXXIV.** ***Adamus divinam transgrediendo legem non solum sibi, sed suae quoque nocuit propagini.***

Declaratio. Adamum non solum suo damno, sed damno totius generis transgressum esse legem, dogma est fidei catholicae. Docet enim conc. tridentinum sess. 5 can. 2: »Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse: et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, A. S.« Idem docuit semper Ecclesia contra pelagianos, quorum praeformator Theodorus mopsuestenus affirmabat secundum Marium Mercatorem l. subnot. in verba Jul. praef. n. 1, »progenitores humani generis Adam et Evam mortales a Deo creatos, nec quemquam posterorum sui praevaricatione transgressi laesisse, sed sibi tantum nocuisse seque mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitus nullum;« unde conc. arausicanum II. iisdem fere verbis can. 1. 2 ac conc. tridentinum eosdem damnavit. Nondum autem in hac thesi accuratius in damni ab Adamo generi humano illati naturam inquirimus, sed in genere tantum affirmamus, eum damnum aliquod, qualecunque demum illud sit, peccato intulisse suis posteris.

358. **Demonstratio.** Sane certum est, voluisse Deum, ut praerogativae Adamo concessae, de quibus egimus thes. 128 ss., transirent in posteros; quod colligimus **a.** praejudicio quodam et quasi a priori. Jure enim affirmatur, naturas immediate a Deo creatas fuisse exemplarium archetyporum instar pro qualibet specie, adeo ut ad eum typum esse deberent expressa, quotquot temporis cursu illius speciei orirentur individua. Colligitur **b.** maxime ex incarnationis fine, qui fuit in primis reparatio ruinae per Adamum illatae; non fuit ergo haec particularis, personalis, unius Adami, sed universalis, totius naturae; hinc et ordo a Deo in Adamo institutus fuit universalis, omnibus ex ipso nascituris communis. Probatur **c.** maxime ex controversia cum pelagianis, contra quos semper defensum fuit, ordinem, in quo nascimur, non esse primitivum, non fuisse a Deo primario intentum, sed peccati Adami sequelam esse. Cum ergo Adamus peccando has amiserit praerogativas nosque iis post ejus lapsum nascamur destituti, sequitur, Adamum peccato non solum sibi, sed et nobis nocuisse, quod ita praeclare expressit s. Hilarius in Job apud s. Augustinum c. Jul. II, 8 n. 27: „In Adae offensa generositatem primae et beatae illius creationis amisimus;" et s. Anselmus de conc. virg. c. 23: „In tanta gratiae altitudine positus bona, quae sibi et illis (posteris) servanda acceperat, sponte deseruit; idcirco filii perdiderunt, quod pater illis, cum servando dare posset, non servando abstulit." Cf. s. Thomas 1. q. 100 a. 1; Scheeben § 184; Mysterien § 36.

359. **Thesis CXXXV.** ***Damnum ab Adamo generi humano peccato illatum, eo continetur, quod in omnes suos posteros transfudit non solum mortem poenasque corporis, quas incurrit, verum etiam peccatum; omnes enim nascuntur peccato obnoxii.***

Declaratio. Iis omissis, qui peccatum originis negarunt indirecte, directe illud infitiati sunt ineunte sec. V. hujus haeresis praeformator Theodorus mops. (n. 357); Pelagius et Coelestius, quorum doctrina ad haec redit capita: **1.** Adamum peccando sibi solum, non suis nocuisse posteris, ideoque **2.** mortem reliquasque, quibus obnoxii sumus, miserias, non habere poenae rationem; quod si **3.** Paulus Rom. 5, 12 doceat, peccatum per Adamum intrasse hunc in mundum, omnesque peccasse in Adamo, haec non esse intelligenda de peccato aliquo generatione ipsa transfuso, sed quod Adamus peccando praeiverit malo exemplo, omnesque qui peccent ipsum imitentur, hinc mortis nomine per peccatum ingressae mortem designari non corporalem, sed spiritualem. Potiora eorum argumenta proponit Augustinus de pecc. meritis et rem. II, 3: »Hi qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur. Si Adae, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo et Christi justitia etiam non credentibus prodest, quia similiter, imo et magis dicit (Apostolus) per unum salvari, quam per unum ante perierunt ... Deinde ajunt: Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato; non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Illud quoque accedit, quia si anima

non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati et ipsa sola poenam meretur: injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adae tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam, nulla ratione concedi, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena.« Negavit peccatum originale Julianus eclanensis, quamvis alioquin Pelagii errores non nihil temperaverit statuens, nil mali praeter mortem ex Adami peccato in homines redundasse; aliisve ommissis negarunt illud etiam arminiani et sociniani. Cf. horum et aliorum errores apud de Rubeis c. 2 ss.; Genér 3, 326 ss.; in primis Winer comparative Darstellung etc. pag. 57 s.

360. Thesis continet dogma religionis christianae fundamentale, nam »hoc qui negat, inquit Augustinus c. Jul. I, 2 n. 4, ipsa christianae fidei subvertere fundamenta conatur;« c. 6 n. 22: »Hoc . . . ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in christiana fide vult labefactare, quod scriptum est: *Per hominem mors et per hominem ressurectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (1. Cor. 15, 11 s.), totum quod in Christum credimus auferre molitur;« n. 34; serm. 30 al. 12 de verbis Ap. n. 5: »Hoc est christianae fidei fundamentum, unus et unus: unus homo, per quem ruina: alius homo, per quem structura;« de pecc. orig. c. 24 n. 28: »In causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis . . . proprie fides christiana consistit.«

361. Cum ergo dogma de peccato originali tanti sit momenti, acriterque fuerit ab adversariis impugnatum: hinc saepius ab Ecclesia solemniter fuit definitum et inculcatum, ut a conc. milevitano II. et plenario carthaginensi ca. 2 (infra n. 371), ab arausicano II. can. 1, qui uterque canon fere iisdem verbis repetitur in conc. tridentino sess. 5 can. 2 et 4 (cf. infra); ab Innocentio II., qui damnavit capit. 9 Abaelardi, a Leone IX. in symbolo fidei Petro ep. proposito etc. (quae reperies in Denzinger Enchiridio symbolorum), nominatim in tota sess. 5 synodi tridentinae, cujus can. 2 habes n. 357; et can. 4. statuitur: „Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; A. S.: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5, 12): nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit; propter hanc enim regulam fidei ex traditione apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis re-*

natus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. 3, 5)."

362. **Demonstratio.** *Primum argumentum* idque multiplex derivatur e loco classico [1]), quo semper catholici usi sunt ad peccatum originale probandum, Rom. 5, 12 ss., de quo accuratius agemus. Docet Apostolus v. 12: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Probationi quasdam observationes exegeticas praemittimus.

1. Controvertitur de altero comparationis membro, quod respondeat inciso: *Sicut per unum hominem* etc. Implicite illud significatur verbis v. 14: *qui* (Adamus) *est forma futuri,* id est, e contrario, contrariis praeditus dotibus, nam ipse est auctor ruinae, hic reparator salutis; plenius v. 18.

2. Vox *peccati* hic non accipitur **a.** metonymice pro morte miseriisque humanis, ut contendunt Julianus et zwingliani; ab his enim satis distinguitur ut causa mortis: *et per peccatum mors;* neque **b.** pro sola concupiscentia, quam apostolus c. 7 vocat peccatum, vel quod in idem fere recidit, pro vitiositate (secluso peccato): nam non ita accipitur vox ἁμαρτία v. 13 et 14; multo minus v. 15 ss., ubi dicitur *delictum,* opponitur *justitiae,* quae ex Christo in nos redundat; exhibetur ut forma, qua constituimur peccatores v. 19, sicut justitia justi; ut causa et ratio mortis quae sit poenae loco (v. 12 col. 13); neque **c.** eo designatur peccatum Adami personale, quod in ipso substiterit, hoc enim dicitur παράβασις v. 14, παράπτωμα v. 15, παρακοή v. 19; sed est illud, quod omnes peccarunt, quo omnes constituti sunt ἁμαρτωλοί peccatores, peccatum notum et commune, quod ita intravit in mundum sicut mors, quae non substitit in Adamo, sicut justitia Christi qua justi reddimur, quare vere ἡ ἁμαρτία: illud scil. de quo dixit Joannes B. Jo. 1, 29: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.

3. Hoc peccatum exhibetur intrasse in mundum ita, ut dominatum sit naturae humanae eamque sibi reddiderit obnoxiam: non secus ac mors, quae omnes victoris instar invadit sibique subjicit.

4. *Mundi* nomine intelliguntur homines omnes, ut ex inciso mox sequenti patet; *mortis* vero nomine non designatur exclusive mors spiritualis: sed vel mors corporalis, vel saltem etiam mors corporis, quo sensu mox accipitur v. 14, et probatur locis parallelis, quibus mors corporis exhibetur ut fructus et sequela peccati (cf. n. 336 [2]). Quod si quis tamen contendat *mortis* nomine designari mortem spiritualem, non propterea infringitur argumenti pro peccato originali vis; nam Paulus hanc mortem spiritualem omnium non

---

[1]) Provocare etiam possumus ad Job 14, 4: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* quod testimonium ita secundum textum hebraicum sonat: *Quis dabit mundum ex immundo? Non unus;* secundum LXX: *Quis enim mundus erit a sorde? et nemo. Etsi unus dies sit vita ejus super terram.* Ps. 50, 7: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Quae dogma catholicum innuunt, praesertim si in lumine doctrinae N. T. et traditionis spectantur, et tantum in hypothesi peccati originalis plene explicari possunt.

facit pendentem a singulorum peccato actuali, sed ab uno peccato; sensusque foret, per unius peccatum mors spiritualis omnes invasit homines, quod inepte prorsus diceretur de peccato Adami ratione exempli: nam illud minima hominum pars novit nullamque prorsus exercet seductionis vim; ergo explicari debent ea verba de vera peccati propagatione per originem, de peccato vere originali.

5. Dictio ἐφ' ᾧ *in quo*, juxta leges sanae interpretationis, incolumi manente dogmate catholico de peccato originali, reddi potest *eo quod:* respondet enim **a.** idiotismo hebraico כַּאֲשֶׁר, quod significatione causali occurrit Gen. 39, 9. 23; imo videtur prorsus classica, exponenda per figuram attractionis, qua nomen relativum ponitur in casu demonstrativi propositionis, quacum nectitur, ita ut sensus sit in loco nostro: eo quod in eo (desswegen weil in ihm, seu brevius et ad verbum indem). In alia vero explicatione **b.** relativum *quo* esset referendum ad subjectum nimis remotum (Adamum), quod satis inconveniens est, neque **c.** adeo bene dicitur nos ἐπ' Ἀδάμ peccasse, sicut etiam non solet dici nos ἐπὶ Χριστῷ, sed ἐν Χριστῷ justificari. Neque **d.** objiciatur raritas sensus causalis, nam non est adeo rarus (cf. 2. Cor. 5, 4; Hebr. 2, 18), si ratio habeatur locutionis hebraicae, cui respondet: hinc eam gravissimi interpretes sec. XVI. non reprobarunt. Neque obstat **e.** communis interpretandi ratio patrum, quae magis respicit ipsum dogma de peccato originali quam explicationem grammaticam singulorum incisorum, eaque innititur plurimum auctoritate Augustini, qui tamen alia utitur lectione. Ceterum **f.** interpretationi causali favent aliquot versiones antiquae. Cf. Patrizi in diss. ital. a. 1876 edita de verbis s. Pauli: *In quo omnes peccaverunt;* Palmieri th. 66. Rationes contra hanc interpretationem cf. apud Mazzella disp. 5 a. 2 n. 455 ss.

363. Quibus praemissis hoc instruere licet argumentum: ex verbis Pauli sequitur **a.** tantum patere peccatum, quantum patet mors: hinc ex aequo exhibetur peccatum ingressum esse mundum sicut et mors; **b.** omnes, qui moriuntur, peccasse et idcirco omnes mori, *eo quod* peccaverint. Ideo etiam mors dicitur stipendium peccati Rom. 6, 23, et peccatum *stimulus mortis* 1. Cor. 15, 56, et *per peccatum mors.* Atqui etiam infantes moriuntur. Ergo et ipsi peccarunt; verum non peccato proprio actuali, peccato imitationis. Ergo in Adamo (in quo omnes peccaverunt), cujus peccatum in omnes pertransiit, quo infecti nascuntur jam *filii irae* Eph. 2, 3, ideoque morti obnoxii. Quare eodem modo intravit peccatum mundum, quo mors: transfusione scil., propagatione, non sola imitatione. „Omnes, inquit Augustinus c. Jul. IV n. 104, qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant vel boni vel mali, in uno potuerunt peccare, in quo per rationem seminalem erant, quando ille propria voluntate peccatum illud grande peccavit naturamque in se vitiavit, mutavit obnoxiavitque humanam.“ Cf. ep. synod. episc. africanorum a Fulgentio conscripta (17) n. 28.

364. Quod si quis excipiat, verbum *peccarunt* in inciso *in quo omnes peccaverunt* designare peccatum actuale; respondemus, illud supponere peccatum actuale saltem unius, omnibus tamen imputatum: sicut cum civitas dici-

tur aliquid decrevisse, supponitur unius saltem civis (i. e. capitis) decretum actuale ceteris imputatum. Quare non necessario significat peccatum actuale et personale omnium, si obstet contextus et subjecta materia *infantes,* de quibus mox v. 14 dicitur, eos non peccasse in similitudinem praevaricationis Adae. — Si vero quis urgeat parallelismum cum 3, 23: *Omnes peccaverunt,* ubi habita ratione contextus Paulus loquitur de peccatis actualibus hominum; respondemus **a.** ex parallelismo verbali non posse statim inferri parallelismum realem; concesso **b.** quocunque demum parallelismo illud Rom. 3, 23 *omnes peccaverunt* pro subjecta materia aliter de infantibus, aliter de adultis esse intelligendum, qui peccato communi propria addiderunt. Quod si **c.** Paulus hoc l. peccata actualia respicit: ejus scopus prae oculis habeatur, qui est judaeorum (sane adultorum) de legis observatione gloriantium tumorem compescere, quod efficacius praestat provocando ad peccata eorum actualia, quam ad originale jam remissum; neque propterea negat, quod postea est probaturus 5, tam late patere peccatum quam mortem.

365. Prosequitur Paulus: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset: sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.*

Apostolus tacitae occurrit objectioni, quae ita habet: non esse consequens peccatum originale in omnes dimanasse homines, eo quod omnes moriuntur, siquidem mundus nunquam caruit peccatoribus actualis peccati reis, qui morte punirentur. Cohaerent ergo hi versus nexu confirmationis cum v. 12. Porro notetur **1.** voce *peccati* v. 13 non designari idem quod v. 12: nam exprimitur absque articulo (ἁμαρτία) et non fuit imputatum. **2.** Nomine *legis* designari generatim legem positivam sermonemque esse de imputatione poenali. **3.** In nonnullis codd. desiderari particulam *non* in inciso v. 14: *etiam in eos, qui* **non** *peccaverunt,* quae tamen certo est retinenda; hanc **a.** exhibent plerique codd. graeci ad nos usque reliqui, quique exstiterunt tempore Augustini, qui ep. 157 n. 19 testatur: Tamen graeci codd., unde in latinum Scriptura translata est, illud (scil. *non*) plures habent; cf. de pecc. mer. et remiss. I, 11 n. 13. Exhibent **b.** versiones itala, vulgata, syriaca, arabica, aethiopica; exhibent **c.** codd. latini praestantissimi; legunt **d.** patres graeci ab Irenaeo usque ad Joannem Damascenum; neque enim verum est aliter legisse Origenem vel Cyrillum alex.; legunt **e.** patres latini, exceptis Ambrosiastro, Rufino et Sedulio, et nonnisi dubie exceptis Tertulliano, Cypriano et Victorino; exigit **f.** contextus seu auxesis, qua manifesto Paulus utitur et quae insinuatur particula *etiam.* **4.** Aliam quoque differentiam esse inter textum graecum et vulgatam: codd. enim graeci plerique (non omnes), habent ἐλλογεῖται, *imputatur* in tempore praesenti; sed perinde est: nam hac lectione enunciatur principium universale; secundum vulgatam enunciatur directe conclusio ex hoc principio universali.

366. Quare ita argumentamur: Mors in omnes homines regnat, ut sequela peccati (*per peccatum mors*). Atqui ea non regnat ut sequela et poena peccati actualis; ergo ut sequela et poena peccati communis, quod Adamus tamquam radix, principium et caput generis humani et

quondam omnis homo commisit, et quo commisso infecit ipsam naturam humanam in ipso recollectam, atque adeo omnes homines, qui ita in ipso omnes peccarunt.

Ad rem Augustinus de civit. Dei XIII, 14: »Deus creavit hominem rectum . . . sed sponte depravatus justeque damnatus damnatos depravatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum . . . Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma in qua singuli viveremus; sed jam natura erat seminalis, ex qua propagaremur: qua scil. propter peccatum vitiata, et vinculo mortis obstricta justeque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur.«

367. Confirmatur illatio iis, quae Paulus subjicit v. 18 s.: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Notetur autem, hos multos (οἱ πολλοί) non opponi omnibus hominibus ex Adamo progenitis, ac si plures tantum ex his fuerint constituti peccatores; sed hi *multi* opponuntur *uni* (τοῦ ἑνός, οἱ πολλοί), per quem sive lapsi sive reparati sunt; ideoque significant totam, universam multitudinem, eos qui alibi dicuntur *omnes;* quare promiscue adhibentur hic *multi* et *omnes.* Quod jam animadvertit Didymus alex. in 2. Cor. 2, 17 in Mai bibl. PP. n. IV, 2, 122: „Significat hoc vocabulum (οἱ πολλοί) etiam *omnes,* veluti ibi: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi:* cuncti enim homines propter unius inobedientiam peccato obnoxii facti sunt.“ Ita vero instituimus argumentum: Teste Apostolo ita homines constituuntur Adami inobedientia peccatores, sicut Christi obedientia justi. Atqui justi constituuntur obedientia Christi regeneratione. Ergo et ipsa nativitate ex Adamo constituuntur propter ejus inobedientiam peccatores. Praeterea omnes dicuntur Adami delicto condemnari, et quidem condemnatione, cui opponitur justificatio. Ergo eo ipso exhibentur participes culpae.

»Nimis enim impium est, inquit Prosper adv. Collat. c. 9 n. 24, hoc de Dei justitia sentire, quod a praevaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet poena, et societas peccati convincitur de communione supplicii, ut quod est humanae miseriae, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit judicis.« Et P. Chrysologus serm. 112: »Sit homo peccator, ut sit Deus justus: quia reatus redundat ad judicem, si poena percellit innoxium.« Quae argumentatio confirmatur luculento suffragio patrum et Ecclesiae in controversia cum pelagianis sec. V., contra quos hunc in sensum Pauli locus semper fuit intellectus.

368. Neque obstat, quod non omnes homines in Christo et per Christum justificantur, sed tantum multi. Ratio habeatur comparationis, quae ejus-

modi est: sicut omnes, qui nascuntur ex Adamo, moriuntur, et condemnationi sunt obnoxii: ita omnes prorsus, qui ex Christo regenerantur, justificantur, et nullus est justorum qui per Christum non justificetur. Perfectus est parallelismus, dummodo prae oculis habeatur conditio in utroque membro: nativitatis et regenerationis; sicut enim illa ratio est contrahendi delicti, ita haec ratio est accipiendae salutis et justitiae. Quod autem lapsi et regeniti non sint pares numero, inde oritur, quod conditio participandi lapsum, nativitas ex Adamo, non est nobis libera, neque pendet a nobis: conditio vero consequendae justificationis i. e. regeneratio pendet a libero arbitrio hominum. Verum et quoad extensionem potest reparatio dici aequalis ruinae, quatenus Christus, quantum est ex se, pro omnibus est mortuus; omnes ergo habent reparationis possibilitatem; et hinc unius hominis justitia in omnium omnino hominum justificationem sive actu sive virtute redundat, quantum est ex parte Christi: sicut verissime dici potest Adamum actu multos infecisse peccato, sed virtute et quantum est ex se longe plures, in hypothesi scil. si plures gignerentur homines; omnes enim illos, quantum est ex se, infecit, qui possent ex ipso gigni. Quemadmodum ergo hi actu non inficiuntur, quia non adimpletur generationis conditio; ita illi actu non justificantur, qui ex Christo non regenerantur, non ex defectu virtutis in Christo, sed ex conditionis defectu.

369. *Aliud argumentum* efficax ad probandum peccatum originale petitur ex iis effatis, quibus Christus exhibetur omnium Redemptor, Salvator, Reconciliator, Mediator; unde ita argumentatur s. Augustinus de pecc. mer. I, 23, fuse de hoc dogmate disputans: „Quis audeat dicere, non esse Christum infantum Salvatorem, nec Redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis aegritudo peccati? unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato?" — Urgere deinde licet Joan. 1, 29, ubi dicitur Christus *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου), quod tantum intelligi potest de peccato quodam toti mundo seu universo humano generi communi, de peccato naturae, quod una cum natura generatione in omnes transit, quod omnes peccarunt in suo parente Adamo. — Saepe vero urget s. Augustinus 2. Cor. 5, 14 ss.: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.*

»Conclusio haec apostoli, ita ille adv. Jul. op. imperfecti l. 1 n. 64, invicta est, ac per hoc, quia et pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt.« Et iterum in priori adv. Julianum op. VI, 4: »Ex hoc probavit (Apostolus) omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, pro quibus Christus mortuus est, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse christianum.« Etiamsi vero verba Apostoli forte de morte spirituali, de morte peccati non sunt intelligenda, argumentum tamen s. Augustini ex morte Christi pro omnibus

non minus efficax manet: mors enim Christi pro omnibus supponit omnes esse peccatores.

370. *Tertium argumentum* petitur ex paedobaptismo, unde quadruplici modo dogma catholicum probari potest. Et quidem

1. ex ejusdem necessitate secundum verba Christi Joan. 3, 5: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde ita argumentamur: Creatura rationalis a fine ultimo sibi semel praestituto non excluditur nisi demerito peccati. Atqui infantuli non baptizati excluduntur teste Christo a fine sibi in hoc ordine praestituto. Inesse ergo illis debet peccatum. „Cur nascatur denuo, quaerit merito Augustinus de pecc. mer. et rem. I n. 58, nisi renovandus? unde renovandus nisi a vetustate? qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati (Rom. 6, 6)? aut unde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento probibente peccati?“ Cf. n. 63; Marius Mercator l. subnot. in verba Juliani n. 8.

2. Ex baptismi effectu primario: profitemur enim in symbolo unum baptisma in remissionem peccatorum; cum ergo et infantibus sit conferendus, credendum est, et in illis peccatum esse delendum;

3. ex forma seu ritu quo confertur; confertur enim ritu *ablutionis:* ablutio vero supponit baptizandos esse infectos macula;

4. ex adjunctis caeremoniis, praesertim ex praemissis exorcismis, qui supponunt etiam infantulum esse sub servitute diaboli: servitus autem diaboli non contrahitur nisi peccato.

Saepe argumentum hoc urget s. Augustinus, ita l. c. n. 62: »Quid de ipsa forma sacramenti loquar? vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat, eum renunciare diabolo, cujus in eo nihil esset? quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus? credere inter cetera remissionem peccatorum, quae illi nulla tribueretur? . . . Falsam igitur vel fallacem tradi parvulis baptismatis formam, in qua sonaret atque agi videretur, et tamen nulla fieret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil exsecrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri.« Ita etiam Optatus IV, 6 et Cyprianus ep. 59, quae tota huc spectat (opusc. XXI); Coelestinus ep. ad episc. Galliae c. 12.

371. Cum pelagiani concederent infantes esse baptizandos, ut consequerentur regnum coelorum: imo etiam permitterent illis conferri baptismum in remissionem peccatorum, negato tamen peccato originali [1]): merito statuit conc.

---

[1]) Ita Coelestius in l. fidei n. 19: »In remissionem peccatorum baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce affirmare videamur . . . illud ergo confiteri congruum est, ne diversa baptismatis genera facere videamur.«

milevitanum II. et carthaginense plenarium a. 418 can. 2: »Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negant, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis »in remmissionem peccatorum« non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5, 12); nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit: Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.« Unde liquet, quam efficax sit argumentum ex infantium baptismo derivatum et ad populi captum quam accommodatum, ut ab eo merito sibi timerent pelagiani; hinc Critobulus pelagianorum partes agens apud Hieronymum III n. 17 ita loquitur: »Cogis me, ut ad invidiosum illud veniam et dicam tibi: Quid enim peccaverunt (infantes)? ut statim in me populorum lapides conjicias, et quem viribus non potes, voluntate interficias.«

372. *Argumentum quartum* petitur ex traditione, ad quam jam sec. V. provocarunt doctores catholici, in primis s. Augustinus, qui prolatis veterum suffragiis ita disserit c. Jul. II n. 33: „Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius (nazianzenus), Innocentius, Joannes (Chrysostomus), Basilius, quibus addo presbyterum, nolis velis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam." Hinc adversus eundem de nuptiis et concup. II, 12 n. 25 scribit: „Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus: sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus." Cf. etiam op. imperfecti IV, 112. Ita et Paulinus diaconus in l. adv. Coelestinum (Migne 19, 713 s.) n. 3: „Habet adversum se etiam veteres ecclesiarum doctores plurimos orientales et occidentales, meridianae partis atque septentrionalis, qui in libris suis illum de originali peccato, si sanari desiderat, possunt docere." Cf. Bellarminus de amiss. gratiae IV, 15: de Rubeis c. 21 ss.

373. Cum patrum occidentalium fides dubia vix sit, graecorum vero doctrina minus certa videatur, ad dogma catholicum tuendum, illorum vindicandam fidem difficultatesque solvendas respondemus

1. etiamsi deessent patrum graecorum testimonia, plenissime constare de fide Orientis: nam **a.** non requiruntur verba, ubi aperte loquuntur facta publica, authentica et universalia. Ejusmodi sunt hac in quaestione infantium baptismus in remissionem peccatorum et exorcismi eidem praemissi; haec enim praxis peccatum supponit originale.

Quapropter Augustinus Juliano ad patres Orientis pro sua haerési provocanti respondet I, 4 n. 14: »Non est cur provoces ad Orientis antistites . . . Nam peccatum originale, quod in aliorum perniciem parvulorum negas, quacunque aetate sis baptizatus, aut ipsum tibi remissum est, aut et ipsum. Sed si verum est, quod audivimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamvis a tuis propriis peccatis innocens, tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate traxisti et in iniquitate conceptus es, profecto exorcizatus et exsufflatus es, ut a potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi (Coloss. 1, 13). O fili male ex Adam nate, sed bene in Christo renate! sacramenta, quibus te peperit, tuae matri conaris auferre.«

b. Constat de fide Orientis, quoties constat de fide Occidentis, quocum ille unam usque ad Photii schisma constituebat Ecclesiam: unitas autem Ecclesiae unitatem supponit fidei (cf. tom. I. n. 132). Constat **c.** ex fide ecclesiae graecae posteriorum saltem seculorum, quae circa hoc dogma conspirat cum Ecclesia latina: neque enim ullum exstat schismatis tempore vestigium de aliquo circa illud dissensu, unde manifestum est, semper hanc in Ecclesia graeca exstitisse fidem et traditionem.

2. Duplici ex causa non tam splendida et diserta testimonia (saltem non ita frequenter) pro dogmate catholico reperiuntur apud patres graecos sicut apud latinos, qui necessitate compulsi hoc dogma data opera instanterque adversus pelagianos defenderunt et explicarunt: quod scil. **a.** deessent qui peccatum originale aperte negarint.

Quam ob rem cum Julianus provocasset ad Chrysostomum dicentem: »Ideo et infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes,« respondet Augustinus l. c. n. 22: »Intellige propria, et nulla contentio est. At inquies, cur non ipse addidit propria? Cur, putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur! tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.« »Quis enim, inquit Vincentius lirenensis commonit. c. 24, ante prodigiosum discipulum ejus (Pelagii) Coelestium reatu praevaricationis Adae omne genus humanum denegavit adstrictum?«

Alia **b.** causa forte fuit, quod in Oriente grassarentur errores, qui per excessum a sana deficiebant doctrina, ut manichaeorum (n. 294), origenistarum et platonicorum (n. 279).

3. Si qua testimonia reperiuntur implexa vel ad speciem contraria dogmati catholico, haec prae oculis habeantur: a. eam interpretationem esse praeferendam, qua patrum verba conspirent cum doctrina ab universa Ecclesia, in cujus communione ad finem usque vitae vixerunt, recepta et cum aliis testimoniis sive eorundem patrum sive patrum aequalium (cf. t. I. n. 137); **b.** silentium non aequivalere negationi; **c.** aliud esse dogmatis substantiam, aliud certum quendam illius explicandi modum; illam sufficienter proponi, si dicitur, propter Adami lapsum damnatum fuisse humanum genus, indigere redemptione, reconciliatione;

Christum coelum iterum aperuisse, humanum genus redemisse, omnium esse Redemptorem, neminem sine ipso consequi salutem etc.; haec enim omnia peccatum quoddam commune, hinc originale supponunt. Quod etiam supponere dicendi sunt, si solum dicant, Adamum factum esse peccando mortalem; hoc enim ideo negabant pelagiani, quod negabant peccatum originale. Atqui nullus erit patrum graecorum, qui haec non saepe doceat atque inculcet.

4. Negamus ceterum quod tam fidenter jactant adversarii. Censeri enim debent clara et admodum efficacia ea testimonia pro asserendo peccato communi generis humani, adeoque originali seu hereditario, quibus dicitur nos in Adamo comedisse de fructu prohibito, transgressos esse legem in paradiso divinitus datam etc., quae simul commentarii instar sunt verborum Pauli: *in quo omnes peccaverunt* Rom. 5, 12.

Ita autem loquuntur praetermissis patribus latinis Tatianus orat. adv. graecos n. 7. 11. 12; Irenaeus V, 16; »Deum in primo Adam offendimus non facientes ejus praeceptum; in secundo autem Adam reconcialiti sumus obedientes usque ad mortem facti: neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus praeceptum transgressi fueramus ab initio;« c. 17 n. 1; Gregorius naz. or. 10 n. 2 et saepissimi alibi; Gregorius nyss. in vita Moysis; Cyrillus hieros. cat. 2 n. 4 s.; Basilius or. 1 de jejunio n. 4: »Quia non jejunavimus, de paradiso excidimus;« hom. in psalm. 114 n. 4: »Quoniam itaque et nos in paradisi domicilio illo gloriosi et illustres aliquando eramus, ac subinde infames et villes ruina et prolapsione nostra facti sumus, Deus noster miseretur, cum videt, quales ex qualibus facti sumus;« Germanus CP. or. in Mariae praesentat. in 8; in annunc. n. 8; Sophronius orat. in laudem s. Joan. Bapt. n. 4; liturgia s. Basilii apud Renaudot collect. liturg. 1, 14: »Aperuisti mihi paradisum voluptatis . . . manifestasti mihi arborem vitae: ostendisi mihi spinam mortis, ne ex ea comederem: mihi interdixisti ex ea sola ne ederem: comedi voluntarie, sponte neglexi mandatum tuum, contempsique praecepta tua, atque induxi sententiam mortis;« quae etiam leguntur in liturgia Gregorio naz. tributa (Mig. 36, 682). Ecclesia graeca in Menaeis 16 Jan. od. η: »Callidus serpens insidiis dulcis cibi me in exsilium detrusit;« Basilius seleus. de renunciat. seculi n. 6; Methodius apud Epiphanium haer. 64 n. 55 s.: Chrysostomus hom. 26 in Joan n. 1; h. 36 n. 2: »Initio dedit nobis Deus vitam sollicitudine laboribusque vacuam: dono abusi sumus;« hom. 11 ad antioch.; »Ego quidem, ita inducit Deum hominem alloquentem, ad majorem te vocabam honorem; tu vero teipsum munere indignum reddidisti paradiso excidens; verum tamen neque sic te despiciam, sed peccatum tuum corrigens in coelum reducam;« hom 3. n. 1 (Mig. 63, 473). Quae omnino notentur, cum Chrysostomi in primis fides de peccato originali in dubium vocetur. Athanasius de Verbi incarn. n. 4, qui alioquin clarissime fidem catholicam tradit, ut or. 1 adv. arianos n. 51: »Peccante Adamo, peccatum in omnes homines pertransiit;« in Ps. 1, 7: »Omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur damnatione collapsi proavi sui.« Quare auctor homiliae 3 de paradiso quondam Basilio adscriptae n. 4: »Quotiescunque, inquit, florem conspicio, in mei peccati memoriam redeo, cujus reatu

indictum terrae, ut mihi spinas ac tribulos germinet.« Cf. Palmieri th. 70. Bossuet Défense de la Tradition et de ss. Pères 8, 2 ss.

374. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Ex divinis literis pelagiani **1.** objiciebant praesertim Deut. 24, 16: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Verum hisce continetur tantum praeceptum judicibus populi in judiciis utique humanis servandum. Ratio praecepti est, quia si excipias primum Adami peccatum, reliqua peccata sunt mere personalia, et praeter peccantem neminem sine hujus consensu inquinant. Quare peccante patre non ideo filius est reus peccati: puniri ergo nequit pro patris peccato. Quare verba illa non sunt ad rem.

2. Objiciebant Ez. 18, 2 ss. ubi v. 20 legimus: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Neque haec sunt ad rem, affirmatur enim tantum filios, utique innocentes, quales se putabant judaei, quorum querelis respondet propheta, non esse propter parentum peccata poenis, praesertim positivis, captivitate, bonorum temporalium ablatione, intempestiva morte puniendos: idque negatur de iis, quorum parentes nullo modo sunt capita aliorum, sicut Adamus fuit caput naturae: non vero negatur posse filios peccati patris participes, quales sumus nos *natura filii irae* Eph. 2, 3, puniri ablatione bonorum indebitorum. Cf. Palmieri th. 68.

375. **Corollarium.** Argumenta allata probant contra Zwinglium aliosque ex protestantibus, etiam *infantes parentum baptizatorum peccato originali esse obnoxios,* eosque propter parentes ab hac macula jam mundatos ab universali lege peccati originalis non esse exceptos. Neque verba Pauli 1. Cor. 7, 14: *Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt,* contrarium probant. Nemo enim ignorat, praedicatum *sancti* alia atque alia usurpari significatione, neque semper designare sanctitatem internam sed subinde externam tantum, quae cum peccato consistere possit; quo sensu etiam vir infidelis dicitur *sanctificari* per mulierem fidelem. Dicuntur ergo infantes fidelium sancti, quia utpote filii parentum Deo dicatorum eo ipso jam Deo sunt dicati, ad Deum speciali destinatione spectant proximeque sunt baptismo sanctificandi, sunt candidati fidei.

Articulus III.

De peccati originalis natura.

376. Vere scripsit Augustinus de moribus Eccl. l. 1 c. 22, »antiquo peccato nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.« Hinc alii in alias de ejus natura abiere sententiae. Potiores circa illam errores quibusdam propositionibus excludemus, atque ita prius determinabimus, quid non sit. Cf. Möhler Symbolik § 6. 8. 9; Scheeben § 202. Praetermittimus vero illorum errorem, qui contendunt, animas in priori quadam vita peccasse et in peccati poenam inseri corporibus. Hac enim in theoria peccatum originale, hereditarium, omnino negatur. Ea vero omnino adversatur doctrinae s. Pauli, qui Rom. 5, 12 docet, per *unum* hominem, non per multos peccatum in hunc introisse mundum; Esau et Jacobum, antequam nascerentur, nil egisse mali 9, 11. Cf. supra n. 279, ubi eandem alia ex causa refutavimus.

377. **Propositio I.** *Peccatum originale non consistit in forma quadam substantiali mala,* qua fit, ut peccatum non tam in anima exsistat, quam ipsa sit anima substantialiter corrupta. Hic error est Flacci Illyrici dicentis, hominem peccato Adami substantialiter fuisse corruptum eamque corruptionem in omnes derivari atque in eo consistere peccatum originale; unde ejus asseclae dicti sunt substantialistae. Verum hoc figmentum

1. refellitur doctrina Ecclesiae contra manichaeos sollicite defensa, quam ita enunciat s. Augustinus c. Julianum l. 1 c. 3: »Non resistimus manichaeis, nisi obtineamus, non esse mala orta nisi ex bonis: nec mala substantiam esse, sed substantiarum vitia creatarum.«

2. Refellitur doctrina de baptismatis efficacia, quo omnino deletur peccatum originis nullatenus mutata ipsa hominum natura:

3. Refellitur doctrina de incarnatione; certum enim est Verbum assumpsisse nostram naturam, non naturam substantialiter diversam: atqui profecto non assumpsit naturam substantialiter malam. Ergo natura nostra non est facta peccato originis substantialiter mala.

378. **Propositio II.** *Peccatum originale non consistit in poenis,* quae ex Adami peccato in ejus posteros derivatae sunt, quaeque metonymice dicuntur peccatum. Hic Zwinglii et Abaelardi error iis refellitur omnibus, quibus comprobavimus dogma catholicum, quae ostendunt, non solum transiisse miserias in Adami posteros, verum etiam *peccatum,* vi cujus constituuntur *peccatores* Rom. 5, 19, spiritualiter *mortui* 2. Cor. 5, 14, *filii irae* Eph. 2, 3, redemptione et reconciliatione indigi (n. 369). Fide deinde christiana edocemur. baptismo deleri peccatum originis, quapropter ipsi infantes jam olim baptizabántur; atqui baptismo non delentur sequelae poenaeque Adami peccato inductae.

379. **Propositio III.** *Peccatum originale non consistit in concupiscentia,* quae quamvis in regeneratis ut verum maneat peccatum, credentibus non imputetur. Ita censuit Lutherus et Jansenius, quorum tamen opinio adversatur dogmati catholico: nam **1.** baptismo peccatum originis aufertur, deletur, lavatur: atqui baptismo concupiscentia non tollitur. Ergo non ea est ipsum originis peccatum. Praeterea **2.** concupiscentia vel idcirco esset peccatum, quia effectus est peccati Adami, vel quia ad peccandum allicit, vel quia ipsa ad concupiscendum pronitas habitualem cum lege divina involvit pugnam atque adeo est peccatum. Atqui ea non est peccatum ob primam rationem, alioquin et mors esset peccatum; non propter alteram, quia quamdiu allicit et homo resistit, non est peccatum: quod praeclare nos docet s. Jacobus 1, 13: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.*

Quae in verba ad rem Augustinus adv. Julianum VI, 15 n. 47: »In his verbis partus a pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, h. e. ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum. Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat pariatque peccatum.«

Rom. 6, 12: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus;* Eccli. 18, 30: *Post concupiscentias tuas non eas,* quem in locum scribit Augustinus ib. V, 2 n. 11: »Frustra dictum est: *Post concupiscentias tuas non eas* (Eccli. 18, 30), si jam quisque reus est, quod tumultuantes et ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur, exercens adversus eas gloriosa certamina, si vivit in gratia;« de nuptiis et concup. I n. 15 (supra n. 329[6]) et saepius alibi. Quare Calvinus Instit. III, 3 § 10 fatetur, hoc esse discrimen inter ipsum et Augustinum, quod Augustinus concupiscentiae morbum appellare non audeat peccatum, »nisi cum opus vel assensus accedit; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate homo titillatur.« Acute notat s. Thomas l. 1. in ep. ad Rom. c. 8: »In eadem specie peccati gravius peccat fidelis quam infidelis secundum illud Hebr. 10, 29: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Si ergo primi motus (concupiscentiae) in infidelibus essent peccata mortalia, multo magis in fidelibus.«

E quibus liquet concupiscentiam neque propter tertiam rationem esse proprie et formaliter peccatum, quamdiu desit consensus. Quare Augustinus de perfect. just. n. 44 ait, „peccati nomen accepit (concupiscentia), quod ei consentire peccatum sit." Hinc damnatae Baji prop. 50: „Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto: *Non concupisces;*" 51: „Concupiscentia sive lex membrorum et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia;" 74. 75 et 3 Lutheri illis affines. Ergo ipsa concupiscentia non est peccatum originale.

380. **Propositio IV.** *Peccatum originale non consistit in dispositione ad inordinatam concupiscentiam,* quae dispositio Adae posteris ante justificationem peccato vertatur. Ita censuit Hermesius, secundum quem **a.** peccatum Adami nequit haberi pro peccato totius naturae humanae; quocirca **b.** illud *in quo omnes peccaverunt* Rom. 5, 12 sic est explicandum: in quo omnes ad peccandum facti sunt proni, propter illam scil. deordinationem, quae viget inter sensualitatem et rationem; quae discordia **c.** Deo displicet independenter ab Adami peccato, non tamen proprie dictum est peccatum; cujus **d.** propagatio etiam facile explicatur sola lege physica. Verum haec opinio praedamnata est a conc. tridentino sess. 5 can. 5: »Si quis . . . asserit (per gratiam quae in baptismo confertur) non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S.« Atqui baptismo non tollitur dispositio et pronitas ad concupiscendum vel peccandum; iterum damnata a Gregorio XVI. brevi d. 26. Sept. 1835 et in conc. coloniensi tit. V. cap. 16. Renovat enim Hermes sua doctrina errorem Lutheri, secundum quem peccatum originale consistit in concupiscentia; errorem Zwinglii, cui peccatum originale non est peccatum proprie, sed metonymice tantum; errorem Baji, cujus damnatae sunt prop. 46: »Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium;« et 47: »Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.«

381. *Notio genuina peccati originalis.* — Rejectis potioribus erroribus, jam eam de essentia et natura peccati originalis [1]) sententiam proponamus, quae communior dici potest inter theologos catholicos.

1. Praemittimus quae demonstrata supponimus, scil. **a.** auctos fuisse protoparentes a Deo donis plane indebitis [2]), quae essent super omnem eorum exigentiam. **b.** Voluisse Deum, ut haec dona a protoparentibus transirent vi generationis una cum natura ad eorum posteros; ideoque has praerogativas non fuisse personales, sed quasi naturales, i. e. naturae ipsi humanae concessas omnibusque hominibus ex Creatoris intentione communes (n. 358). **c.** Adamum peccando eas amisisse, qua amissione spoliavit, nudavit, vitiavit in se tamquam in radice humanam naturam. „Spoliavit, inquit Anselmus de conc. virg. et pecc. orig. c. 23, persona naturam bono justitiae in Adam, et natura egens facta, omnes personas, quas ipsas de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit." Thomas comp. theol. c. 195. Hinc **d.** homines modo nasci hisce donis privatos, atque propterea secundum corpus et animam in deterius mutatos, abnormes a praestantissimo archetypo primitivo, quod Deus condiderat, ideoque ipsi invisos. His praestitutis dicimus

2. hac privatione, nuditate, contineri partim peccatum originale, partim poenam ejusdem: privatione scil. gratiae sanctificantis quatenus est justificans et hominem formaliter convertens et bene disponens in finem supernaturalem contineri ipsum peccatum originale singulos inficiens; privatione integritatis, immortalitatis et felicitatis ejusdem poenam. Hinc peccatum originale definiri solet originalis justitiae carentia. Revera autem in privatione gratiae sanctificantis, quae omnibus Adami posteris secundum voluntatem Dei Conditoris inesse deberet, consistere peccatum originale [3]), probatur

a. ex effectu baptismi, qui in primis institutus est ad delendum peccatum originale, ut regeneratione sanetur vulnus generatione contractum.

---

[1]) Bene docet Palmieri initio c. 3 a. 2, duplicem dari posse definitionem peccati originalis, nempe definitionem peccati originalis reduplicative accepti, et sic definiri, peccatum quod nobis inest ab origine vel a primo parente derivatum, et sub hoc respectu de eo a. 2 egimus; vel definitionem peccati originalis formaliter tantum accepti h. e. secundum suam formam seu secundum suas notas, quibus a parte rei constituitur et propter quas ei praedicatum peccati competit; de hac nunc sumus solliciti.

[2]) In hypothesi, quod protoparentes caruissent donis indebitis, nullum quoque, etsi Adam peccasset, peccatum foret originale. Cf. s. Thomas de malo q. 4 a. 8; Scheeben Mysterien des Christenthums § 44.

[3]) Paratus erat canon (5) pro conc. vaticano (coll. lac. VII, 566): „Si quis dixerit peccatum originale formaliter esse ipsam concupiscentiam aut physicum seu substantialem naturae humanae morbum, et negaverit, privationem gratiae sanctificantis de ejus ratione esse, A. S.", quo tamen non statuitur, privationem gratiae esse adaequate ipsam essentiam peccati originalis.

Atqui baptismus hoc peccatum delet gratia, quam confert, ut docet concilium tridentinum sess. 5 can. 5, restituta stola innocentiae, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit (sess. 6 cap. 7). Ergo gratiae privatione peccati hujus macula continetur.

b. Ex doctrina ejusdem concilii, quod praeeunte concilio arausicano II. can. 2 diserte dicit (n. 357), peccatum ex Adamo in posteros transfusum mortem esse animae; anima vero moritur privatione gratiae sanctificantis, et vivificatur hujus infusione: sicut corpus moritur animae separatione et hujus infusione vivificatur;

c. ex consensu et auctoritate scholae, quae non dissentit ab Anselmi doctrina l. c. c. 27: „Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem." Idem acute videtur expressisse s. Augustinus l. 83 qq. q. 67 n. 4: „Ipse homo cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura." Hinc conqueritur, quia modo (nisi renascamur) tantum homines sumus.

d. Ex oppositione, quam Paulus Rom. 5, 15 ss. instituit inter peccatum, quo omnes ex Adamo infecti nascuntur, et gratiam atque justitiam, qua omnes in Christo regeniti justificantur; denique

e. ex analogia, nam ita se habet peccatum originatum (transfusum in homines) ad peccatum originans (i. e. peccatum Adami, quod causa est peccati originalis in hominibus), ut peccatum habituale et actuale; atqui habituale continetur modo in privatione gratiae sanctificantis peccato actuali inducta. Cf. s. Thomas 1. 2 q. 83 a. 3; Mazzella d. 5 a. 4.

3. Non quaelibet tamen carentia vel absentia est defectus, privatio sensu proprio, deformitas, vitium, nisi sit carentia perfectionis debitae; neque ea habet rationem maculae moralis et peccati, nisi sit culpabilis: nam etiam in statu naturae purae homines carerent gratia, neque propterea essent peccatores. Atqui uterque hic character competit carentiae gratiae, in qua modo nascimur. Ex intentione enim Dei creatoris omnes homines gratia praediti esse deberent (n. 358): quare ea carentia modo habet rationem verae privationis, deformitatis: eaque habet rationem culpae seu est culpabilis ex relatione et dependentia a voluntate Adami, quem Deus constituit caput generis seu familiae humanae et in cujus veluti manus posuit hujus sortes circa bona supernaturalia. Jam vero peccatum hujus capitis liberrime commissum causa fuit meritoria hujus privationis pro ipso omnibusque familiae membris; sicut modo privatio gratiae sanctificantis, qua continetur macula peccati habitualis,

rationem peccati habet, eo quod libere peccato actuali est inducta [1]). Hinc s. Paulus Rom. 5, 19 *per inobedientiam* unius hominis ait peccatores esse *constitutos* multos. Quod etiam Ecclesia docet et inculcat damnatione prop. 46 et 47 Baji (n. 380). Cf. s. Thoms 1. 2 q. 81 a. 1.

382. Sed *quomodo haec privatio* non nostra, sed voluntate Adae inducta *nobis imputari potest ad peccatum?* In hoc latet dogmatis difficultas et mysterium, quod nunquam clare explicabitur; ad illud nonnihil illustrandum minuendamque difficultatem prae oculis habeatur

a. doctrina s. Thomae [2]), peccatum originis gravissimum quidem esse in ratione damni, privamur enim et quidem omnes bonis maximis, indebitis tamen; minimum vero in ratione peccati, eo quod minimum habet de voluntario; non enim voluntarium est voluntate propria, sed voluntate Adami, capitis generis humani.

b. Peccatum originale non esse peccatum personale [3]), sed peccatum potius naturae: illius scil. naturae, quae in Adamo capite et patrefamilias totius generis humani divinitus constituto veluti recapitulata exsistens Dei incurrit offensam et cujus naturae Deo invisae reddimur participes generatione.

---

[1]) Bene Scheeben Mysterien § 45: „Beide Momente, die Verkehrtheit (quae continetur privatione gratiae justificantis) und die Verschuldung, fallen also bei der Erbsünde weit auseinander. Hebt man das eine hervor, so erscheint die Erbsünde als innerlich, betont man das andere, so erscheint sie als äusserlich. Aber nach der Natur der Sache und dem Sprachgebrauche der Kirche und der Theologie muss eben hauptsächlich das erste vorgekehrt, und daher das, was man gewöhnlich die Erbsünde zu nennen pflegt, als schlechtweg innerlich bezeichnet werden. Denn namentlich das lateinische peccatum (Fehltritt) drückt zunächst gerade die Verkehrtheit aus, die in der Sünde enthalten, durch die Verschuldung hervorgebracht wird, überdies will man ja auch mit Erbsünde gerade dasjenige bezeichnen, was von Adam auf seine Nachkommen, als an ihnen haftend, übergeht, was durch die origo aus Adam in ihnen hervorgebracht wird, und das ist eben die in dem Mangel der schuldigen Gerechtigkeit liegende Verkehrtheit.« Cf. etiam § 40 et Handbuch t. II § 202.

[2]) In 2. dist. 33 q. 2 a. 1 ad 2; in 3. dist. 1 q. 1 a. 2 ad 6; q. 5 de malo a. 1 ad 9. Genér III, 396 quaerit: »Quodnam peccatum majus sit, originalene, seu veniale proprium?« Et respondet cum pluribus theologis: „Veniale. Nam quid gravius simpliciter est agere contra Deum, ipsum quomodolibet offendendo, quam pati et permittere Dei odium ac inimicitiam seorsim ab omni actione mea. Atqui per veniale ago contra Deum et per originale patior dumtaxat Dei odium et inimicitiam.« Alias deinde pro suo asserto adducit rationes.

[3]) Dicimus non esse personale, quatenus non est patratum ab ea persona, cui inhaeret; quamvis personale dici possit, quatenus personae inhaeret et inest unicuique proprium, ut ait conc. tridentinum sess. 5 can. 3. »Sicut est quoddam bonum, inquit s. Thomas in 2. dist. 30 q. 1 a. 2, quod respicit naturam, et quoddam, quod respicit personam; ita etiam est quaedam culpa naturae et quaedam personae. Unde ad culpam personae requiritur voluntas personae, sicut patet in culpa actuali, quae per actum personae committitur; ad culpam vero naturae non requiritur nisi voluntas in natura illa. Sic ergo dicendum est, quod defectus illius originalis justitiae, quae homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit; et sicut illud

»Traxit ergo (homo quilibet) reatum, inquit ad rem Augustinus ep. 98 n. 1, quia unus erat cum illo, a quo traxit, quando quod traxit admissum est.« De civitate Dei XIII. 14: Deus creavit hominem rectum, naturarum auctor, non utique vitiorum: sed sponte depravatus justeque damnatus depravatos damnatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quae de illo facta est ante peccatnm. Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus; sed jam natura erat seminalis, ex qua propagaremur: qua scil. propter peccatum vitiata et vinculo mortis obstricta justeque damnata non alterius conditionis homo ex homine nasceretur.« Lege ejus serm. 204 c. 7. — Discrimen autem inter peccatum personae et peccatum naturae ita pulchre expressit Odo cameracensis de pecc. originali l. 2 (Migne 160, 1085): »Peccatum, quo peccavimus in Adam, mihi quidem naturale est, in Adam vero personale. In Adam gravius, levius in me; nam peccavi in eo non qui sum, sed quod sum. Peccavi in eo non ego, sed hoc quod sum ego; peccavi homo, non Odo; peccavi substantia, non persona; et quia substantia non est nisi in persona, peccatum substantiae est etiam personae, sed non personale. Peccatum vero personale est, quod facio ego qui sum, non hoc quod sum, quo pecco Odo, non homo; quod pecco persona non natura: sed quia persona non est sine natura, peccatum personae est etiam naturae, sed non naturale.« — Potest forte duplex hoc peccatum illustrari analogia duplicis debiti. Aliud enim contrahimus actibus propriis ut emptione, aliud in nos derivatur generatione i. e. hereditate, quia filii ideoque et heredes sumus parentum nostrorum, quorum debita nondum soluta in heredes transeunt.

c. Notetur propter hoc peccatum Adami homines privari bonis non naturalibus et debitis, sed tantum indebitis, quae Deus justissime potuisset Adamo innocentissimo, nulla etiam culpa praecedente, ejusque posteris denegare, quaeque gratiosissime ipsi tamquam capiti generis concesserat cum natura in filios tamquam familiae nobilitatem et praerogativas propaganda, si legem sancte servasset.

d. Denique memores simus infinitae justitiae Dei, qui certissime hoc peccatum nobis non imputaret, si ea imputatio vel umbram involveret injustitiae. Deus enim sine ullis praecedentibus meritis exhibet misericordiam, sed sine demerito neminem potest damnare. Absolvimus praeclaris verbis conc. coloniensis a. 1869 p. 1 tit. 4 c. 16: „Cum Dei bonitate et justitia non pugnare, quod bonis non debitis, eximia autem liberalitate nobis praeparatis, Adam praevaricatione nos privari permiserit, id quidem eo facilius intelligimus, quum etiam sine illis hominem condere Deus potuerit, et miseriae, quibuscum ob eandem praevaricationem nunc conflictamur, uberrima nobis, si volumus, meritorum seges exsistant. Am-

---

naturae donum fuit et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente; ita etiam privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio et vitium naturae, ad idem enim genus privatio et habitus referuntur; et in quolibet homine rationem culpae habat ex hoc, quod per voluntatem principii naturae, id est primi hominis, inductus est talis defectus.«

pliora etiam quam Adami abstulit culpa, Christi nobis contulit redemptio: unde canit Ecclesia; ‚O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem!'" Cf. Palmieri th. 74; Mazzella d. 5 a. 5.

383. Egregie s. Thomas dogma catholicum ita illustrat de malo q. 4 a. 1: »Aliquis homo singularis dupliciter potest considerari. Uno modo secundum quod est quaedam persona singularis; alio modo secundum quod est pars alicujus collegii: et utroque modo ad eum potest aliquis actus pertinere; pertinet enim ad eum, in quantum est singularis persona, ille actus, quem proprio arbitrio et per se ipsum facit; sed in quantum est pars collegii, potest ad eum pertinere actus alienus, quem per se ipsum non facit, nec proprio arbitrio: sed qui fit a toto collegio, vel a pluribus de collegio vel a principe collegii: sicut illud quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere... Hujusmodi enim collegium hominum reputatur quasi unus homo, ita quod diversi homines in diversis officiis constituti sunt quasi diversa membra unius corporis naturalis ... Sic ergo tota multitudo hominum a primo parente humanam naturam accipientium, quasi unum collegium, vel potius sicut unum corpus unius hominis, consideranda est; in qua quidem multitudine unusquisque homo, etiam ipse Adam, potest considerari vel quasi singularis persona, vel quasi aliquod membrum hujus multitudinis, quae per naturalem originem derivatur ab uno. Est autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerit divinitus quoddam supernaturale donum, scilicet originalis justitia, per quam ratio subdebatur Deo et inferiores vires rationi, et corpus animae. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini ut singulari personae tantum, sed ut cuidam principio totius humanae naturae, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amisit eo tenore, quo sibi datum fuerat, scilicet pro se et pro tota sua posteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus posteritatem consequitur: et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur humana natura: quae quidem traducitur non quidem secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem, scilicet secundum carnem, cui Deus animam infundit: et sic sicut anima divinitus infusa pertinet ad naturam humanam ab Adam derivatam propter carnem, cui conjungitur; ita et defectus praedictus pertinet ad animam propter carnem, quae ab Adam propagatur non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum seminalem rationem, id est non solum materialiter, sed sicut ab activo principio: sic enim accipit a patre naturam humanam. Si ergo consideratur iste defectus hoc modo per originem in istum hominem derivatus, secundum illud, quod iste homo est quaedam persona singularis, sic hujusmodi defectus non potest habere rationem culpae, ad cujus rationem requiritur, quod sit voluntaria; sed si consideretur iste homo generatus sicut quoddam membrum totius humanae naturae a primo parente propagatae, ac si omnes homines essent unus homo, sic habet rationem culpae propter voluntarium ejus principium, quod est actuale pecatum primi parentis: sicut si dicamus, quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpae, quia manus de necessitate movetur ab alio; si autem consideretur, ut est pars totius hominis, qui voluntate agit, sic habet rationem culpae, quia sic est voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis; ita hujusmodi defectus non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturae:

nec ad personam pertinet, nisi in quantum natura inficit personam. Et sicut ad unum peccatum faciendum diversae partes hominis adhibentur, scilicet voluntas, ratio, manus et oculus et hujusmodi, et tamen est unum solum pecatum propter unitatem principii, scilicet voluntatis, a quo peccati ratio ad omnes actus partium derivatur; ita et ratione principii in tota natura humana consideratur quasi unum peccatum originale.«

384. *Exceptioni satisfit.* — Quare si quis excipiat: De ratione peccati est esse voluntarium. Atqui peccatum originale nobis non est voluntarium. Nequit ergo habere rationem peccati: respondemus: D. Maj.: de ratione peccati est esse voluntarium voluntate vel personae vel naturae, conc.; esse voluntarium voluntate personae, subd. est de ratione peccati personalis, conc.; peccati naturae, rursus dist. ut sit voluntarium voluntate alicujus personae scil. primae, in qua tamquam in radice et capite natura seminaliter recapitulabatur, conc., omnium personarum, quas inficit, nego. Pariter dist. min.; peccatum originale non est nobis voluntarium voluntate personali, conc.: voluntate naturae i. e. voluntate naturae in Adamo tamquam in capite generis humani exsistentis et generatione in nos transfusae, nego. Dist. et consequens: ergo peccatum originale non habet rationem peccati a nobis commissi et personalis, conc.; peccati hereditarii, contracti et inficientis naturam, nego. — Alias difficultates contra peccatum originale solutas cf. apud s. Thomam c. gentes IV, 51, 52.

385. *Peccati originalis propagatio.* — Hinc quadamtenus explicatur transfusio peccati originalis. Cum enim hoc consistat in privatione gratiae sanctificantis, quam natura humana in protoparentibus veluti in suo stipite et radice exsistens peccato capitis amisit, natura hoc privata dono communicatur generatione, ideoque macula ab origine est infecta. Sicut scil. in statu naturae purae generatione propagata fuisset natura pura, in statu justitiae originalis natura hoc dono ornata, sic post amissionem natura praerogativa justitiae originalis privata.

Si vero excipias, animam immediate creari a Deo, illi ergo peccatum inesse non posse, haec notentur: **a.** animam quatenus est a Deo, auctore naturae, esse bonam, eamque **b.** infundi corpori, quocum coalescit in unam naturam humanam; sed **c.** pro exigentia corporis „per quandam collimitationem, ut inquit s. Thomae in 2. d. 30 q. 1 a. 2 ad 5, unius ad alterum: quia forma recipitur in materia secundum conditionem ipsius materiae: cum omne quod est in altero, sit in eo per modum recipientis: et ideo quia ex hoc ipso quod corpus illa virtute privatur, qua perfecte erat subjicibile animae, sequitur etiam quod anima illa virtute careat, qua perfecte corpus subditum regat: et talis defectus originalis justitiae culpa est naturae.“ Cf. lect. 3 in Rom. 5. Quod ita expressit s. Anselmus med. super Ps. 50 n. 14 (bibl. nova PP. ed. Mai t. 1): „Anima a te, Deus, creando infusa corpori taliter labefactato (per Adamum) maculata polluitur et foedatur, sicut in vase non sincero vinum infusum licet optimum inficitur et acescit.“ Forte ita etiam dixeris, animam infundi pro exigentia principii gignentis, quod ob libere abjectam

gratiam originalem naturam eo ornatam nequit amplius transfundere (n. 381 [1] c.). Quare d. anima primum incipit habere peccatum, cum infunditur corpori: tunc enim incipit esse homo filius Adami. Siquidem anima ut prius natura intelligitur creari a Deo, nihil habet cum Adamo commune ideoque non communicat ejus peccato; sed cum in corpore generato ex Adamo incipit habitare et cum ipso corpore unum suppositum facere, peccatum originis contrahit. Neque e. Deus est auctor maculae vel peccati, nam Deus non causat aliquid faciendo. Quod si intuitu peccati Adami et propter illud non infundit gratiam, tam parum est causa peccati ac cum intuitu peccati actualis non conservat ulterius gratiam sanctificantem in peccatore. Causa enim meritoria et moralis illa est, quae determinat ablationem vel non collationem gratiae. Hinc si anima uniretur ad unam constituendam naturam cum corpore non ex Adamo generatione orto, etsi gratia destituta non contraheret peccatum originale, quod ea carentia non determinaretur culpa praecedente capitis naturae, sed solo beneplacito Dei.

386. Hinc ad *difficultatem:* Peccatum consistit in carentia gratiae sanctificantis; atqui Deus est auctor hujus carentiae; ergo et auctor peccati: ita in forma respondemus: dist. maj.: Peccatum consistit in carentia gratiae sanctificantis quacunque, neg. maj.; in carentia, quae rationem habeat verae privationis quaeque sit culpabilis, conc. maj. (n. 381 [3]). Dist. min.: Deus est carentiae gratiae auctor moralis seu cui ea imputari possit, nego; est auctor seu causa physica, subd. per actionem physicam, nego; per omissionem infusionis, rursus dist.: motus propria voluntate, nego; ob transgressionem Adami, conc. min. Cf. Bellarminus de amiss. gratiae et statu pecc. V. 15.

387. Si quaeritur *quare justus non gignat justum,* ita respondet Augustinus de pecc. mer. et remiss. II. 9: »Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat, quod justus est, et non ex hoc, quod in membris ejus concupiscentialiter movetur et ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur. Ex hoc ergo gignit, quod adhuc vestustum trahit inter filios seculi: non ex hoc, quod in novitatem promovit inter filios Dei . . . Unde quisquis filius de hac parte nascitur vetusta et infirma, necesse est, ut etiam ipse vetustus sit et infirmus: idcirco oportet, ut etiam ipse in aliam generationem per remissionem peccati spiritu renovetur.« Et breviter serm. 294 n. 16: »Ideo de baptizato non justus nascitur, quia non eum generat, unde regeneratus est, sed unde generatus est . . . Justum baptizatum pone granum purgatum: non attendis, quia de grano purgato frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur?« — Thomas de malo q. 4 a. 6 ad 4: »Manifestum est quod homo baptizatus non generat secundum superiorem partem animae, sed secundum inferiores et secundum corpus, et ideo homo baptizatus non transfudit in prolem novitatem Christi, sed vestutatem Adae.« — Ideo ergo parentes justi non amplius derivant justitiam vi generationis in filios, quia in statu naturae reparatae justitia non est amplius praerogativa naturae adnexa, sed donum personale, quod quivis homo sibi acquirere debet; hinc sicut doctus non gignit doctum, dux ducem, medicus medicum, quia doctrina, peritia militaris etc. sunt praerogati-

vae personales, propriae, non bona familiae: ita neque justus gignit modo justum.

388. Si quaeritur, *quare Adamo* peccante transierit quidem peccatum, ipso autem *poenitentia acta veniam impetrante* poenitentiae fructus scil. *reconciliatio non ad nos pervenerit*; responderi debet, Adamum primo peccato dignitate capitis excidisse, neque qua peccator erat, parem ullo modo fuisse promerendo vel impetrando tantum bonum indebitum, quale est reconciliatio naturae humanae cum Deo offenso: cum ne innocens quidem potuisset nobis promerere justitiam originalem. Verum Deus misericordia motus ipsi substituit aliud digniusque caput, Christum Jesum, qui satisfactione condigna exhibita, reconciliaret humanum genus lapsum; quare nonnisi intuitu hujus satisfactionis futurae contulit Adamo poenitendi gratiam, qua se disponeret ad impetrandum illius satisfactionis fructum i. e. reconciliationem, quam modo singuli non assequuntur, Deo ita disponente, nisi regeneratione intuitu J. Christi, capitis ordinis restaurati; sicut generatione participes redduntur peccati Adami, capitis ordinis lapsi. Cf. Scheeben Mysterien § 47.

389. *Alia peccati originalis explicatio.* — Non desunt tamen theologi, qui peccatum originale paulo secus explicent. Secundum hos scil. peccatum originale analogia respondet peccato habituali. Atqui peccatum habituale (secundum ipsos) formaliter non continetur gratiae sanctificantis privatione, quae poenae potius habet rationem; sed aliud non est quam peccatum actuale physice licet praeteritum, in ordine tamen morali et imputationis perseverans, quia nondum retractatum vel saltem nondum remissum, ideoque ratio semper sufficiens immutati status et relationis Dei ad hominem, aversionis scil. et inimicitiae habitualis. Quare peccatum originale consistit in ipso peccato naturae humanae in Adamo ejusdem capite et principio exsistentis physice quidem praeterito, ipsi etiam Adamo, qua persona est singularis, sed nondum illis, qui generatione hujus naturae redduntur participes, remisso: quocirca ratio est perseverans, propter quam et posteri priventur donis illis indebitis, in Adamo ipsis quoque concessis, et debito sint obnoxii incurrendae irae atque inimicitiae divinae. Ita Pighius, Catharinus, Frassen, de Lugo de poenit disp. 7 s. 7; Salmeron disp. 46 in ep. ad Rom.; Toletus in ep. ad Rom. c. 5; Platelius, theolog. wirceburg. t. 4 disp. 3 c. 2 a. 3; Genér III, 391. 637. 647. 649. Imo Ripalda de ente supern. disp. ult. sect. 1 n. 4 vocat hanc sententiam recentiorum communiorem. Cf. n. 12. 159. Merito autem ea aliis videtur minus consona modo loquendi et sentiendi conc. tridentini, quod peccatum originale unicuique proprium, singulis inesse dicit mortemque animae; illud deinde non infusione gratiae per baptismum, sed sola non imputatione remitteretur. Neque quis sola peccati alterius imputatione peccator constituitur, sed ideo peccator judicatur, quia inest ei peccatum. Cf. Bellarminus V, 16; Kleutgen disp. 10; de Rubeis c. 58 ss.; Palmieri th. 73; inprimis vero can. paratum pro conc. vaticano supra n. 381[2] a.

390. **Scholion.** *Quaestiones reliquae.* — Plures quaestiones a theologis hac occasione institui solent, quas brevissime expediemus. Quaeritur

1. num requireretur positiva institutio divina, vi cujus Adam esset caput nostrum morale, atque ita ejus culpa omnibus imputari potuerit, et respondendum est affirmative. Cf. Suarez de op. sex dierum III, 21.

2. Quaeritur, num ad explicandam peccati originalis propagationem **a.** fuerit necessarium aliquod pactum Deum inter et Adamum, qui nomine totius generis consensum praebuerit. Respondemus negative, quia ejusmodi pactum gratis fingitur, neque necessarium est ad dogma explicandum, neque mysterii difficultatem tollit. — Neque **b.** ad pactum implicitum pro explicatione mysterii necessarium est recurrere, nisi eo nihil aliud intelligitur, quam quod in q. prima concessimus. — Neque **c.** fingenda est inclusio omnium nostrum voluntatum in voluntate Adami ut explicetur, quomodo eo peccante omnes in eo peccaverimus. Censemus enim sufficere ordinationem divinam, qua Deus voluit ut conservatio bonorum illorum indebitorum vel amissio pro nobis penderet a voluntate Adami. Quod si quaeritur hujus ordinationis divinae fundamentum, concedimus illud non fuisse mere extrinsecum et arbitrarium, sed intrinsecum et naturale. Ratio nimirum hujus dependentiae eo continetur, quod Adam erat caput et principium geneticum totius generis humani, quod totum seminaliter in ipso praecontinebatur. »Quomodo dictum est, quaerit Augustinus serm. 294 n. 15, de Adam: *in quo omnes peccaverunt?* ... quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes antequam nati essemus. Tamquam in parente, tamquam in radice ibi eramus.« Cf. Mazella d. 5 a. 5.

3. Quaeritur, revelatane fuerit Adamo haec oeconomia divina, vi cujus constitutum fuit caput generis humani ita, ut eo peccante omnes ipsius posteri incurrerent offensam Dei amitterentque justitiam originalem. Merito id cum Suarez ut probabilius censemus.

4. Quaeritur, quo sensu dicant patres, concupiscentia traduci peccatum. Resp. non eo sensu, ac si concupiscentia sit medium vel conditio necessaria tranfusionis peccati; ea enim etiam divino privilegio sopita peccatum tamen transfunderetur generatione naturali; sed ea loquendi ratione nil aliud significari videtur, quam peccatum transfundi generatione naturae lapsae propria infecta scil. vitio concupiscentiae, quae est signum ruinae et lapsus Adami et argumentum amissae justitiae originalis ideoque etiam carentiae ejusdem in prole (nisi de exceptione revelatione constet): vel ut acute notat Palmieri th. 77, significat simpliciter transfundi peccatum generatione naturali, commixtione maris et feminae, qua exsistente maxime nunc concupiscentia viget. Hinc gigni sine concupiscentia est patribus idem ac gigni sine ea commixtione i. e. sine opera viri.

5. Quaeritur, num Adamus salutem sit consecutus. Affirmative respondet Philippus de Harveng abbas Bonae Spei, qui integrum l. de salute primi hominis scripsit, atque ita concludit c. 27: Quod ergo doctores ecclesiastici, imo tota ut ait Augustinus, Ecclesia de illo sentit, debemus et nos sentire, unde nulla Scripturarum invenitur auctoritas dissentire. Denique encratitae, qui et Tatiani dicti sunt, haereticae pravitatis teste Augustino arguuntur, pro eo quod inter cetera, quae perverse et sentiunt et dicunt, saluti primi hominis contradicunt.«

Articulus IV.

De peccati originalis sequelis.

391. Vitanda sunt duo extrema in determinandis peccati originalis sequelis. Non licet eas exaggerare cum protestantibus adeo, ut affirmetur natura humana peccato originali prorsus corrupta et omnis boni incapax, quia tunc nec Dei justitia vindicari, nec explicari potest, quomodo homo lapsus gratia, dummodo ei cooperetur, possit reparari, atque salvari. Non licet vicissim sequelas peccati originalis ita extenuare, ut homo lapsus vix differat ab Adamo, qualis a Deo fuit conditus: quia tunc incarnationis et redemptionis necessitas in dubium vocabitur. Distinctione ergo facta inter ea, quae sunt certa et ad doctrinam spectant catholicam, ab iis, quae sunt controversa et dubia, de damnis humano generi originis peccato certo illatis haec statuimus:

1. in ordine theologico amissa gratia sanctificante hujus effectus formales amisimus, uti sunt filiatio adoptiva, supernaturalis venustas et similitudo cum Deo, jus ad hereditatem coelestem seu ad beatitudinem supernaturalem visione beatifica comprehensam; hinc infantes sine baptismo decedentes ea privantur damnationemque incurrunt.

2. In ordine ethico amisit homo integritatis donum, seu obnoxius factus est concupiscentiae, quae quandoque vocatur peccatum, non quasi ea proprie peccati habeat rationem, alioquin non maneret post baptismum, quo totum id quod peccati rationem habet tollitur; sed **a.** extrinseca denominatione, quia consectarium est veluti primarium peccati privationisque gratiae sanctificantis, et ad peccatum sollicitat (cf. n. 329[6]); **b.** secundum significationem, nam sicut vox ore prolata dicitur verbum, quia significat verbum mentis; ita Adami peccatum statim concupiscentia se prodidit et manifestavit: sicut enim illud quadam rebellione erga Deum consistebat, ita et concupiscentia in rebellione partis inferioris adversus rationis dominium continetur. Cf. s. Thomas 1. 2 q. 82 a. 3 et supra n. 331[1]. Imo **c.** dicitur concupiscentia τὸ materiale peccati originalis, non quasi sit materia seu subjectum peccati originalis; hoc enim inest animae, sed secundum quandam integrationem; sicut enim integritas exornabat, complebat justitiam originalem, et sicut actus externus, quamvis in se non habeat peccati rationem, actum tamen internum peccaminosum complet et integrat: ita concupiscentia complet et integrat quadamtenus peccatum originale seu illam totalem privationem, quae hominem deformem et exosum reddit in praesenti ordine.

Hoc sensu ignorantia etiam spectat ad τὸ materiale peccati originalis, ut docet s. Thomas de malo q. 3 a. 7: »In peccato originali est aliquid formale, scil. carentia originalis justitiae, quae pertinet ad voluntatem. Sicut

autem ex originali justitia, per quam voluntas Deo conjungebatur, fiebat quaedam perfectionis redundantia in alias vires, ita scil. quod ratione illustrata cognitione veritatis irascibilis et concupiscibilis sortirentur rectitudinem a ratione: ita subtracta originali justitia a voluntate deficit cognitio veritatis in intellectu et rectitudo in irascibili et concupiscibili. Et sic ignorantia et fomes sunt materialia in peccato originali, sicut conversio ad bonum commutabile in peccato actuali.« Cf. Scheeben § 197; Myst. § 46; Palmieri th. 75.

3. In ordine physico amisit homo alia dona praeternaturalia, quae humanam insigniter perficiebant naturam, uti sunt immortalitas, insignis felicitas, scientia exquisita vel saltem magna ad illam consequendam facilitas. Voluit enim esse sicut Deus: hinc amisit deificationem et redactus est ad conditionem naturae suae.

4. Incurrit humanum genus devictum seductoris captivitatem, ut docet conc. tridentinum sess. 5 can. 1 et sess. 6 cap. 1, solemniterque nunquam non professa est christiana antiquitas [1]) et universa Ecclesia adhibitis ante baptismum exorcismis; et ipsa insinuat s. Scriptura, sive cum daemonem vocat Jo. 12, 31; 14, 30; 16, 11 *principem hujus mundi;* cf. etiam Matth. 12, 29; Luc. 11, 21 ss.; sive cum toties dicimur nos redimi per Christum: eramus ergo captivi; nominatim cum Paulus Col. 1, 13 de Deo affirmat: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae,* quem dicit ib. 2, 15 in cruce *exspoliasse principatus et potestates.* Est quidem hoc dominium diaboli in humanum genus ex parte ipsius prorsus injustum, vera usurpatio, sed a Deo juste permissum in poenam a protoparentibus promeritam, et consistit partim in amissione tam excelsae conditionis filiorum Dei, quod morem gesserint tentatori, et in necessitate subeundi saltem ex parte damnum a daemone intentum et sua malitia et victoria de ipsis reportata illatum, nominatim mortem, unde de diabolo dicitur Hebr. 2, 14: *Qui mortis habebat imperium,* a qua ruina propriis conatibus et viribus nequeunt se eximere; partim in majore potestate homines ob amissum integritatis et impassibilitatis donum acriter tentandi atque multipliciter infestandi (cf. n. 425 ss.), ut eos, si fieri possit, totalis damnationis secum reddat consortes. Certum tamen est hoc dominium plurimum augeri et intendi peccatis actualibus, quibus homo demum verus fit diaboli servus et ipse *Deus hujus seculi* 2. Cor. 4, 4.

5. Centro autem perturbato dejectoque capite nil mirum, si et ordo cosmicus est turbatus, rerum visibilis universitas vanitati subjecta Rom.

---

[1]) Cf. Patrum effata apud Norisium in vindiciis august. 3 § 5 arg. 5; de ipsa servitute Scheeben § 205. Lapsus gravitatem pulchre depingit Prosper in carmine de ingratis c. 21 v. 888 ss. opusc. XXIV.

8, 20; Gen. 3, 18 et a primordiali conditione sua prope dimota. Merito ergo conc. tridentinum praeeunte arausicano II. can. 1 definivit sess. 5 can. 1, Adamum per praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius fuisse commutatum: non quidem secundum suam naturam philosophice spectatam, sed prae illo statu, in quo fuit ante peccatum auctus tot donis indebitis; merito etiam definivit sess. 6 cap. 1 praeeunte arausicano II. can. 13 et 25, liberum arbitrium fuisse attenuatum et inclinatum, scil. propter gratiae et virtutum infusarum amissionem, propter privationem gratiarum actualium, propter amissum integritatis donum et succrescentem membrorum rebellionem omnemque concupiscentiae aestum, propter daemonis captivitatem, quam incidit etc., quod schola expressit axiomate ‚hominem Adami peccato spoliatum fuisse gratuitis, vulneratum in naturalibus.' Cf. Thomas 1. 2 q. 85 a. 3.

392. *Errores de peccati originalis sequelis.* — Circa haec plus minusve nobiscum sentiunt non solum bajani et janseniani, sed et lutherani, qui tamen in describendis peccati originalis sequelis modum excedunt; quare tanendum est contra eos cum Ecclesia hominem per originis peccatum nullum emisisse bonum naturale proprie dictum, quod naturam constituit constitutamque consequitur; speciatim vero non amisisse liberum arbitrium; hinc conc. tridentinum sess. 6 can. 5 statuit: »Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum, A. S.« Si quam adversarii libertatem admittunt, ea consistit in immunitate tantum a coactione, non vero a necessitate. Hinc damnata ut haeretica prop. 3 Jansenii: »Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.« Et sane amissa libertate a necessitate, essentialiter mutata fuisset hominis natura.

393. *Augustinus vindicatur.* — Neque suffragatur Augustinus adversariorum figmento, cum affirmat, Adami peccato liberum periisse arbitrium. Loquitur enim (ut interim alia omittamus) non de arbitrio libero naturali sed historico, quale illud prodiit e manibus Dei, prout ipse clare se explicat scribens contra duas ep. pelag. l. 1 n. 5: »Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana indiget gratia dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Joan. 8, 36): utique liberi ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant.« Saepissime vero homini lapso sive sub gratia constituto sive respectu peccati libertatem immunitatemque a necessitate tribuit, ut videbimus disserentes de gratiae efficacia; imo data opera libertatem humanam adversus manichaeos tuetur, neque eam unquam negat adversus pelagianos; si quid negat, negat libertatis humanae ex sese (seclusa gratia) sufficientiam ad opera salutaria. Quod si videtur subinde a libertate solam excludere coactionem, notari debet, coactionis nomen triplici accipi sensu: vel enim **a.** accipitur sensu proprio; vel **b.** idem significat ac necessitas: et sane si latine

loqui velis, quod theologi scholae dicunt necessitare, dicere debebis cogere; vel **c.** sensu laxiori significat vim illatam, qua quis inducitur ad libere quidem eligendum, sed contra voluntatis inclinationem: quod adversatur libertatis perfectioni. Quare ex ejusmodi testimoniis non statim licet inferre, Augustinum negasse libertatis electionem immunem a necessitate. Etiamsi vero admisisset aliquam peccandi necessitatem, non propterea liceret inferre, eum negasse omnem libertatis indifferentiam atque docuisse hominem lapsum in nulla re vel in nullo peccato esse immunem a necessitate. Quo vero sensu videatur admittere peccandi necessitatem, videbimus in tr. de gratia. Cf. opusc. XVI, 44 ss. an.; Palmieri th. 80.

394. *Num natura fuerit infirmata.* — Hactenus de certis. Ut ad controversa veniamus, non desunt et numero multi et auctoritate graves theologi, qui concedant quidem, hominem peccato Adami nullum amisisse bonum naturale; sed innixi doctrinae concilii tridentini atque patrum de commutatione hominis in deterius, de ejusdem vulneratione in naturalibus, de captivitate diaboli, quam incurrit genus humanum lapsum, de morali hominis lapsi impotentia servandi legem naturalem et vitandi omnia peccata gravia, de necessitate redemptionis pro adultis ad evadendam damnationem positivam etc., contendunt, hominem secundum facultates naturales factum esse debiliorem, hinc inter hominem lapsum et hominem in statu naturae purae id esse discriminis, quod inter hominem aegrotum et sanum. Cf. argumenta pro hac sententia in Schmid qq. selectis q. 4. Zeitschr. für k. Theol. 1892 p. 505 ss. — Alii tamen, pariter auctores graves, censent, hominem peccato originali secundum naturam nullatenus fuisse laesum, cum spoliatus tantum fuerit indebitis; adeoque hominem lapsum, naturam si spectes, consideratione tantum, non re differre ab homine in statu naturae purae, sicut homo spoliatus non differt a nudo. Neque desunt pro hac assertione rationes. Eam **a.** suadet analogia cum peccato personali, quod in praesenti ordine per se non solet infirmare et laedere naturam in se ipsa: multo minus ergo id de peccato originali videtur affirmandum. Cf. verba Thomae n. 339. Ad haec **b.** tenendum est, nihil naturale peccato Adami fuisse amissum. Atqui quaedam sanitas et bona valetudo si non singulis, saltem naturae humanae in genere est debita, neque enim potuit Deus creare humanum genus aegrotum et infirmum, ideoque est naturalis; ergo universim non est amissa. Quod si **c.** semel concedatur, peccatum originis ipsam in se vitiasse naturam, jam deest fixa certaque norma determinandi damna peccati originalis atque defensio doctrinae catholicae adversus Bajum, Jansenium horumque asseclas longe difficilior redditur.

Neque obstant argumenta prioris sententiae. Miseriae enim omnes, quibus modo sumus obnoxii, sane sunt et merito dicuntur poenae, vulnera, morbi

etc., sed tantum prae statu felici, quo Adami praevaricatione excidimus, non prae statu naturae purae, in quo eaedem miseriae essent, rationemque haberent defectuum naturam sibi relictam sponte sua consequentium (cf. n. 351). Similiter axioma illud scholae hominem vulneratum esse in naturalibus, satis explicatur sola amissione donorum praeternaturalium integritatis, immortalitatis etc.; haec enim dona sanabant naturam a defectibus alioquin naturalibus, et naturam perficiebant perfectione quidem indebita, sed tamen inter limites ordinis naturalis, cum ea non elevent naturam ad ordinem supernaturalem. Prae natura ergo sic aucta, mundata a defectibus etc. erat amissio horum donorum vera vulneratio, vi cujus redacta est natura ad conditionem naturae purae, qui status comparate ad priorem tot indebitis praerogativis ornatum certe lugendus est. Quare vulneratus fuit in naturalibus non philosophice, sed historice spectatis, indebita perfectione auctis, spoliatus gratuitis i. e. supernaturalibus. Verbo si restringimus damnum ad amissionem bonorum supernaturalium et praeternaturalium tantum, satisfit decretis conciliorum et patrum effatis de damnis illatis peccato originali. Quare ergo hoc absque necessitate adeo augere et reddere difficillimam apologiam justitiae divinae? Cf. quae notavimus n. 351[3].

Nonnulli tamen, ut aliquid priori concedant sententiae, tuentur hominem Adami praevaricatione factum esse saltem extrinsecus debiliorem seu auctam esse ipsi difficultatem bene agendi ob graviores daemonis tentationes, quibus Adami praevaricatione factus est obnoxius; incidit enim, ut diximus, humanum genus in daemonis captivitatem. Haec tamen concessio non arridet Suarez de pecc. orig. d. 9 s. 5, 6; proleg. de gratia c. 8 s. et quidem merito. Si enim Deus in statu originali potuit permittere insidias daemonis, et in statu praesenti reparato tentationes et vexationes gravissimas, quare non etiam in statu naturae purae suppeditatis idoneis auxiliis ad resistendum? Cf. Scheeben § 197, praesertim n. 230. 381.

395. Praeferenda videtur sententia, quam secundo loco proposuimus. Quare notetur corollarium, quod ita enunciat Palmieri th. 78 n. 5: „Itaque Adamus peccans amisit quidem nobis bona illa, quae ipsi, ut capiti naturae collata fuerunt propaganda in posteros, quae sunt gratuita: at bona naturalia non amisit. Hinc capacitas Dei ut finis naturalis non est amissa propter ejus peccatum a posteris. Ipse quidem actu peccans, quando quidem et contra legem naturalem peccavit, aversus est quoque a fine naturali; at peccatum ejus non imputatur nobis, nisi quatenus caput nostrum in ordine morali propagandorum donorum supernaturalium constitutus erat; ideoque aversio a fine naturali fuit ejus propria, nec transit ad posteros.“ Hinc homines vi peccati Adami excluduntur quidem a visione beatifica, sed non addicuntur poenis positivis (sensus) inferni, ut patebit ex dicendis de infantibus sine baptismo decedentibus. Quod si tamen damnantur ad ignem inferni, poena haec erit peccatorum personalium; privantur amore paterno, quo Deus prosequebatur humanum

genus in Adamo, non vero omni providentia; mediis supernaturalibus carent ad hereditatem sibi in protoparentibus destinatam consequendam, non tamen omnibus destituuntur auxiliis ad vitam degendam humanam. Quare nec improbabile est, quod Deus, si noluisset reparare genus humanum, daturus fuisset media sufficientia homini lapso ad cavenda peccata saltem gravia [1]).

396. **Scholion practicum.** Duplex concionis argumentum, cui praesens caput occasionem praebet, suggeremus:

I. Saepe nos quaedam quasi amaritudo adversus protoparentes subit, quod adeo male suas obierint partes in paradiso, cum ageretur de causa totius generis atque ideo nos tanto affecerint damno: imo subrepit forte et praesumptio, quod nos futuri fuissemus Deo fideliores. Pro nostra humiliatione et eruditione instituamus comparationem inter nos et protoparentes. Similes enim illis sumus in elevatione, lapsu, reparatione.

1. Aucti quidem sunt protoparentes praerogativis insignibus (n. 326 ss.): sed non est cur illis invideamus. Quamvis non simus conditi sicut illi in gratia, tamen vix nati **a.** regeniti sumus, ideoque aucti ut illi gratia sanctificante cum omnibus ejus consectariis (n. 340). Etsi vero destituimur donis praeternaturalibus, quibus illi fuere ornati (n. 329 ss.), Deus eorum defectum supplet, nam **b.** contra concupiscentiam adjuvat nos multiplici gratia, ut virtus in infirmitate perficiatur 2. Cor. 12, 9, eaque reddatur occasio ferax multorum meritorum. Morti **c.** abstulit stimulum multumque suae amaritudinis spe gloriosae resurrectionis Jo. 3, 16; 6, 44; 11, 25 etc., adeo ut veri fideles cum Paulo dicere possint: *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo, mihi enim vivere Christus est et mori lucrum* Phil. 1, 21. 22; et *pretiosa* sit *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* Ps. 115, 15. Ignorantiae **d.** succurrit fide, qua magis illuminamur et plura scimus in ordine salutis ipso Adamo. Miserias vero hujus vitae **e.** ita Deus allevat, ut inter illas experiri liceat pacem, quam mundus neque cognoscit, neque dare potest, et dicere: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* 2. Cor. 7, 4; suaque gratia altioris felicitatis praelibationem concedit, ut jam omnis felicitas temporalis desipiat, *beati* sint *pauperes spiritu, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* Matth. 5, 3 ss.; ut innumeri sponte sua fugiant bona terrena, honores, gloriam, emissis votis paupertatis, castitatis, obedientiae, omniaque quae mundus pollicetur existiment detrimentum, arbitrentur ut stercora ut Christum lucrifaciant Phil. 3, 8. Collocavit et nos **f.** in paradiso i. e. in Ecclesia, quae merito confertur paradiso α. propter arborum ubertatem pulchritudinemque florum, qui sunt sancti, et speciatim β. propter arborem verae vitae, quae est eucharistia, et γ. propter gratiarum abundantiam; nam et in ipsa est uberrimus gratiarum fluvius, qui dividitur in septem capita i. e. fluit per septem sacramentorum canales, vel si vis in quatuor capita (Gen. 3, 10), quatenus gratia et purgat, et illuminat, et roborat, et solatur; et δ. propter familiarem

---

[1]) Conjecturas probabiles de providentia divina circa genus lapsum, si illud Deus restaurare noluisset, cf. apud Suarez de gratia, proleg. 4 c. 9 n. 12; Jos. Ragusa de Incarn. q. 1 a. 3 § 6; Lessium de Incarn. q. 1 a. 3 n. 57. Conjecturas vero de providentia erga homines Adamo non peccante cf. Géner 3, 164 ss.

conversationem cum Deo, qua liberius quam Adamo nobis licet conversari cum Christo in sanctissimo altaris sacramento, quo cumulatissime adimpletur promissio divina Lev. 26, 12: *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi mihi erunt populus.* Est elevatio nostra aemula elevationis protoparentum.

2. Neque lapsus noster est dissimilis. Consideremus tentationem, consensum, sequelas. Sicut **a.** Deus praecepto tentavit Adami fidelitatem: ita ut nos probet, plura Deus praecipit permittitque tentationem. Sicut **b.** nec paradisus, nec gratiarum copia, nec praerogativae tutos a tentatione et lapsu rediderunt protoparentes, ita quamdiu vivimus, securos esse non licet. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat* 1 Cor. 10, 12; *Vigilate et orate* Matth. 26, 41; *cum metu et tremore vestram salutem operamini* Phil. 2, 12. Serpens **c.** Evam simplicem, nihil mali suspicantem aggressa est, ita qua hora, qua occasione, quo loco et modo non putamus, tentatio venit nosque aggreditur: vere enim quae Christus dixit de morte, furis aemula, de tentatione licet repetere. Serpens **d.** Evam non est aggressa cum strepitu, sed blande et placide, ita et tentatio se insinuat. Serpens **e.** non statim ad transgressionem mandati divini provocat, sed dubium movet: *Nequaquam morte moriemini,* specie boni decipit: *Eritis sicut dii* Gen. 3, 4. 5: ita et daemon dubia movet, num quid sit adeo malum, noxium, prohibitum etc., ut dici solet, specie magni boni illicit. Sequitur jam consensus et peccatum per hos veluti gradus: colloquium cum seductore; *vidit,* deliberatio, delectatio morosa; *tulit,* exponit se periculo: *comedit,* consentit; *dedit* viro suo (Gen. 3, 6), scandalum quo vel alii in peccatum trahuntur. Peccati sequelae sunt: pudor, stimuli conscientiae; se abscondunt, nituntur suum peccatum celare; reprehensi culpam in alium rejiciunt. Ita forte et nos egimus. Experti conscientiae angores, ausi sumus peccatum celare, forte etiam in confessione, culpam rejecimus non in nostram socordiam, sed in socium, tentationis vehementiam, naturae indolem.

3. Consideremus reparationem. Sicut **a.** Deus praevenit protoparentes eosque quasi invitos ad agnitionem sui peccati adduxit: ita et gratia sua nos respexit, misertus est nostri, aperuit oculos mentis nostrae, gratiam compunctionis infudit. Spem veniae **b.** illis fecit promittendo mulieris semen, quod contereret serpentis caput sanaretque vulnus illatum: ita erigitur peccator in fiduciam obtinendae veniae per J. Christum, qui nos redemit, ejusque ss. matrem, quae est peccatorum refugium. Adam **c.** in poenam incurrit laborem, sudorem, mortem: *In laboribus comedes . . . in sudore . . . vesceris pane, donec revertaris in terram* Gen. 3, 17 ss., quibus triplex adumbratur conditio consequendae a nobis veniae et curandae salutis: fletus poenitentiae seu dolor de peccatis; labor certaminis adversus concupiscentiam, quae spinas et tribulos jugiter germinat, nam *regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud* Matth. 11, 12; et demum perseverantia ad mortem usque, *qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* ib. 24, 13.

397. **II.** Aliud concionis argumentum praebet consideratio peccati Adami: **1.** quam grave malum illud fuerit collige **a.** ex ejus sequelarum, quas recensuimus n. 391, intensione seu gravitate; **b.** ex earum extensione, inficiunt enim humanum genus qua late patet, **c.** ex infectionis duratione, durabit enim usque ad seculi consummationem: hinc conjice **d.** quam magnum fuerit beneficium redemptoris promissio et missio.

2. Jam converte attentionem ad tua peccata, quae **a.** non minoris ruinae in anima tua causae sunt: imo **b.** majoris, quatenus peccatum Adami excludebat quidem posteros a visione beatifica, non tamen addicebat flammis aeternis, quas incurris peccato quovis gravi; attendas nominatim **c.** peccato actuali magis nos daemonis incidere captivitatem quam peccato originali et concupiscentiae plerumque intendi vigorem, hinc experientia teste constat eos, qui sunt Deo infideles, 'ab ipso tradi in passiones ignominiae Rom. 1, 26; unde **d.** liquet quanta sit erga nos gratia, si ex tristissima ruina, e qua Deus nos primum reparavit baptismo, novo et majori beneficio, quia ob peccata actualia longe indigniores, poenitentia salvat et eripit. Quo salutis desiderio tantam medicinam jam exoptare, qua alacritate eam adhibere, qua gratitudine amplecti, qua cautione salutem ea obtentam custodire et fovere nos oportet?

Sectio III.

De Angelis.

398. Omnia, quae ad angelos, tertium ex operibus divinis (n. 264), spectant, commode ad quatuor capita revocantur:

1. de angelorum in genere exsistentia et natura;

2. de eorum primitivo statu et quorundam lapsu;

3. speciatim de angelis bonis et

4. de angelis malis.

Caput I.

De angelorum exsistentia et natura.

399. **I.** *Angelos exsistere* ex revelatione ita est evidens, ut coecus sit, qui id in dubium vocare velit. Quare rationalistae, qui post Becker hanc persuasionem accensent incultioris aetatis opinionibus, eam solum pro arbitrio absque ulla probabilitatis specie rejiciunt; neque enim pro ea neganda afferre possunt argumentum ex Scripturis, quae ad omnem paginam angelorum testantur exsistentiam, neque ex ratione, quae eam potius postulat. Sane aliis omissis

1. facto ipso constat voluisse Deum divitias gloriae perfectionisque suae manifestare productione variorum generum specierumque, quarum aliae aliis sine fine sint perfectiores, quaeque miram quandam et continuam constituant scalam. Jam vero exsistunt substantiae corporeae, exsistunt naturae mixtae corpore et spiritu: exsistere autem possunt substantiae mere spirituales, ut patet ex animabus a corpore separatis, quae prae ceteris Dei similitudinem, quam ipse in creando adumbrare voluit, prae se ferunt. Ergo admodum est probabile, ejusmodi exsistere substantias, quae sint puri spiritus quasque angelos dicimus.

2. Nisi exsisterent puri spiritus, praevaleret in operibus Dei materia, quae duplici modo exsisteret, pura et spiritui admixta, dum spiritualis natura, quae est longe praestantior, exsisteret tantum corpori admixta, nullatenus pura. Quamobrem animarum immortalitas facile in dubium vocari posset, si nulli exsisterent spiritus seorsum a corpore.

3. Spirituum exsistentia confirmatur populorum omnium in ea admittenda conspiratione. Cf. s. Thomas 1. p. q. 50 a. 1; c. gentes II, 91 cum comment. Ferrariensis; Staudenmaier III § 60; Hettinger II disp. 3. Errores de angelis fuse recenset Genér III, 52 ss.

399. **II.** *Angelos a Deo esse creatos,* non vero emanatione ex Dei prodiisse substantia, Ecclesia contra gnosticos, manichaeos, priscillianistas semper tenuit, ut patet ex synodis braccarensi can. 5; lateranensi et vaticana n. 235. Quapropter Justinianus imperator decrevit novella 132: »E quovis loco expellendos esse eos omnes, qui non profitentur angelos esse Dei creaturam.« Sane id probant argumenta, quibus comprobavimus thes. 119; probat vel ipsum angelorum nomen, quo exhibentur servi Dei et ab eo pendentes; nominatim Ps. 148, 2, ubi David provocans omnia ad Dei laudem dicit: *Laudate eum omnes angeli ejus,* col. v. 5: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt;* et similiter Dan. 3, 57 s.: *Benedicite omnia opera Domini Domino;* primo autem loco recensentur angeli: *Benedicite angeli Domini Domino.* Spectant ergo et ipsi ad Dei opera. Quocirca Theodoretus in Gen. q. 2: »Angelos, archangelos, et si quid aliud est incorporeum, ss. Trinitate excepta, naturam habere creatam, divina Scriptura nos edocet.« Et prolatis nonnullis Scripturae effatis prosequitur: »Sed de his plura loqui supervacaneum existimo, cum hujus doctrinae plena sit divinitus inspirata Scriptura universa.« Quare hallucinatur Hobbes asserens, Scripturae auctoritate non damnari eum, qui angelorum per Deum creationem negaret.

400. Quaeritur num Moyses creationis angelorum faciat mentionem. Non desunt, qui contendant, eam tradi Gen. 1, 1 vel 3, cum designentur sub nomine *coeli* vel *lucis.* Alii eam a Moyse referri negant; imo data opera praetermissam affirmant, quod, ut inquit Cyrillus l. 2 c. Julian., »incorporeorum notitia exquisitior fuerit, quam ut tardiora hebraeorum ingenia illam caperent.« Melius forte dicitur, Moysen illam implicite significare exhibendo Deum auctorem vel universitatis rerum, ad quam et ipsi spectant, vel coeli cujus ipsi dicuntur exercitus. Cf. Petavius de op. sex dierum I, 2.

401. **III.** Quod *tempus crectionis angelorum* attinet, **a.** non una eademque fuit hac de re veterum sententia. Verum tamen **b.** non videtur, patres plerosque putasse, angelos diu jam ante visibilem rerum universitatem exstitisse, cum ex iis non desint, qui id negent, ex aliorum autem verbis id unum sequatur, angelos exstitisse jam ante absolutum sex dierum opificium, non vero diu ante creatam primam omnium materiam. Neque **c.** ulla exstant Scripturae effata, quibus angeli ante illud principium, cujus Moyses Gen. 1, 1 meminit, producti probentur; ad rem enim non sunt Job. 38, 7; 40, 10. 14; ad Tit. 1, 2, ut ex sola patet lectione. Quamvis autem **d.** merito sententia negans angelorum creationem diu praecessisse materiae mundanae productionem innitatur concilii lateranensis verbis, quod docet, Deum »simul ab

initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam:« non tamen propterea ea definita deque fide tenenda censeri potest, ut graves statuunt theologi, et confirmat s. Thomas suffragio suo, qui postquam dixit 1. p. q. 61 a. 3, probabile non esse, Deum creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas produxisse, subjicit »quamvis contrarium non sit reputandum erroneum.« Et revera etsi expositio de simultaneitate temporis, sit magis naturalis et obvia, potest tamen vox simul etiam reddi: sine exceptione, ut Ps. 13, 3, vel aequaliter, ut Eccli. 18, 1 i. e, ex aequali intentione; nam interprete eodem s. Thoma in comment. ad hoc decr. opusc. V. al. VIII., edita est haec fidei definitiv contra Origenis ejusque asseclarum opinionem, secundum quam Deus non ex principali intentione creavit creaturas corporales, quasi bonum esset eas esse, sed consequenter solum ad puniendum creaturarum spiritualium peccatum.

402. Quare ad summum ut theologice certum tuemur, *angelorum creationem non praecessisse* (saltem diu) *primam mundanae materiae creationem.* Cui sententiae subscribunt post conc. lateranense unanimes theologi teste Suario de angelis I, 3 n. 15, secundum quem contrarium esset nunc temerarium [1]). Clare enim concilium, etsi illud simul non accipitur significatione temporali, eidem temporis initio assignat creationem naturae et angelicae et mundanae: sunt ergo coaevae. Favent etiam Scripturae Gen. 1, 1 (n. 239 [4]); Prov. 8, 22; Jo. 17, 5; Eph. 1, 4 (n. 265 [3]) etc., e quibus liquet, velut synonyma haberi, exstitisse aliquid ante primam mundanae materiae productionem et illud esse aeternum. Quare Epiphanius haer. 65 n. 5: »Illud evidenter, inquit, divinus sermo declarat, neque post sidera (cf. Job. 38, 7) productos angelos, neque ante coelum et terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse, quoniam *in principio creavit Deus coelum et terram,* ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.« Et sane angelorum chori non constituunt ordinem a rerum universitate prorsus separatum, sed ad eam ipsi quoque spectant. Probabile ergo non est, eorum creationem prolixo admodum temporis intervallo a mundi creatione fuisse sejunctam.

403. **Thesis CXXXVI.** ***Angeli sunt praediti intelligendi, volendi agendique virtute humana praestantiori.***

Demonstratio p. I. Assertio thesi enunciata demonstratione non indiget: ea enim sponte sua consequitur ex indubia doctrina et communi persuasione, angelos praestantiores esse hominibus. Ps. 8, 6: *Minuisti eum paulo minus ab angelis;* 2. Reg. 14, 20: *Tu Domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Cf. etiam Ps. 77, 25; Job. 4, 18; Gal. 1, 8 s.; Hebr. 1, 4 ss. Quare passim vocantur a patribus νοῦς. A Dionysio Areopagita de div. nominibus c. 4 § 22 ita describitur angelus: „Certe angelus est imago Dei et arcani luminis declaratio (φανέρωσις), speculum purum, clarissimum, integrum, immaculatum, incontaminatum, totam in se recipiens (si dictu

---

[1]) Jam Hugo a s. Victore q. 3 in 2. ad Tim. scribit: »Fere omnes doctores dicunt, creatos angelos non ante, sed cum mundo ... Mihi autem priorum (patrum graecorum) sententia videtur potior salva reverentia secretorum. Hoc dico nihil temere asserendo.«

fas est) pulchritudinem boniformis Deiformitatis (τῆς ἀγαθοτύπου Θεοδείας) liquidoque (quoad fieri potest) in semetipso resplendere faciens secretissimi illius silentii bonitatem."

404. Quamvis certum sit, intelligendi vim angelicam praecellere humanae sive **a.** ratione actualitatis, semper enim circa aliqua saltem objecta in actu est, sive **b.** ratione amplitudinis, sive **c.** ratione perspicaciae ab errore remotae, discursu non indigentis, unico intuitu plurima complectentis suumque objectum connaturale comprehendentis: difficile tamen est, illius sive definire ambitum sive modum explicare. Quare negative potius quam positive quaedam de ea statuemus.

1. Tenendum est *angelos non cognoscere certo humani cordis secreta:* »convenit enim inter christianos, inquit Petavius l. c. I, 7, liberas cogitationes angelorum aut hominum, quas arcanas apud se continere nec ullis indiciis prodere voluerint, a solo conditore Deo, nec ab ullo altero posse naturaliter cognosci.« Et revera **a.** in divinis literis cognitio secretorum cordis uni Deo ut propria reservatur. Cf. 1. Paral. 28, 9; 3. Reg. 8, 39, ubi Salomon in sua oratione ad Deum dicit: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum;* Jer. 17, 9 s.: *Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes;* Joan. 1, 47; 2, 24 s.; 8, 7; Matth. 9, 4; Hebr. 4, 12; 1. Cor. 14, 24 s. etc. Patres vero **b.** passim ex eo, quod Christus cordium novisset secreta, ejus inferunt divinitatem. Cf. Cassianus coll. VII, 15 cum annot. Gazaei. Ipsa quoque **c.** dignitas naturae rationalis videtur exigere, ne omnia ejus consilia et decreta sint velut in propatulo et omnium cognitioni, ipsa vel invita, exposita.

2. *Angeli nequeunt vi proprii intellectus praescire futura libera;* nam **a.** et horum cognitio in divinis literis uni adscribitur Deo, ac nota exhibetur divinitatis. Is. 42, 22 s.: *Annunciate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos* etc.; 44, 6 ss.; Dan. 2, 28 s. etc. Ad haec **b.** si non possunt per se cognoscere actus aliorum liberos praesentes, multo minus futuros nondum exsistentes, quorum exsistentia pendet a libera Dei voluntate vel permissione, naturaliter cognoscent. Cf. Staudenmaier § 60.

3. Tenendum etiam est *angelos lumine naturali plura fidei nostrae mysteria assequi non posse* (cf. t. I n. 488 s.), sed solum Deo revelante, a quo non omnia eodem didicerunt tempore; quaedam ipsis adhuc occulta videntur, ut dies judicii Marc. 13, 32 (n. 161); quaedam prius obscurius indicata, clarius deinde perspexerunt, postquam scil. adimpleta sunt: ut colligitur ex Eph. 3, 8 ss.: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo, qui omnia creavit: ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* etc.: quocirca plures patres non verentur affirmare, angelos per apostolos, seu per Ecclesiam plura didicisse mysteria [1]). Cf. Scheeben § 135, 139, quem cf. § 140 de eorum voluntate; Katholik 1880. II, 1 ss. 356 ss.

---

[1]) Cf. Hieronymum, Theodoretum, Hervaeum, et praesertim Thomam in h. l. et in 2. dist. 11 q. 2 a. 4; Chrysostomum hom. 1 in Joan. n. 2;

405. **Scholion.** *De locutione angelica.* — Cum loqui nil aliud sit quam manifestare alteri suas ideas actusque internos, idque certe angeli possint (constituunt enim quandam societatem): evidens est, esse quandam locutionem angelicam. Qualis vero ea sit, non ita certo constat. Alii censent idearum manifestationem fieri per solum loquentis consensum sine ulla efficientia, alii per quaedam signa spiritualia alteri a loquente impressa; alii per productionem ideae loquentis in alterius intellectu. Prior sententia videtur praeferenda; hinc locutio angelica eo videtur contineri, quod angelus loquens exhibeat suum conceptum per modum objecti ordinetque ad alterum, ut hic illum intueri possit et ad videndum determinetur: nam citra loquentis consensum ejus actus interni latent alios. Quare bene statuit s. Thomas 1. p. q. 107 a. 2, »angelum loqui angelo nihil aliud est quam conceptum suum ordinare ad hoc, ut ei innotescat per propriam voluntatem.« Hinc angelus loqui nequit cum altero, quin sit in eadem sphaera activitatis; sed ita cum eo potest loqui, ut alii etsi praesentes, eum non audiant. Deus vero angelis loquitur eos illuminando. Cf. Becanus tr. 3 de angelis c. 1 q. 14.

406. **Demonstratio p. II.** Ex eodem principio, quo supra sumus usi, sequitur, angelos virtute agendi humana praestantiori esse praeditos; quod confirmatur praeterea ex ipsis eorundem nominibus: quidam enim dicuntur virtutes, potestates, principatus, dominationes. De ipsa assertione nulla est difficultas, quae mox oritur, si eam virtutem accuratius determinare nitimur. „Quid possint per naturam, scribit Augustinus de Trin. III, 18, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile" etc.

1. Certum tamen videtur *angelos carere creandi potestate* (cf. n. 245);

2. *Nihil virtute propria facere posse, quod sit contra vel supra vel praeter vires legesque universi;* hoc enim illius tantum est proprium, qui ab his est exemptus quique legum est auctor et dominus. Atqui vel ipsi angeli pars sunt universi. Hujus igitur subjiciuntur legibus. Ergo angeli miracula proprie dicta patrare nequeunt. Cf. s. Thomas 1 q. 110 a. 4; 114 a. 4.

3. Tamen cum angeli nobis sint multo perspicaciores, leges viresque naturae quam accuratissime cognoscant atque majori excellant agendi virtute et celeritate, effectus producere possunt qui sint quidem supra vires nostras, praeter et supra ordinem naturae nobis notae, ac propterea miri, et si vis miracula secundum quid et quoad nos: nullatenus tamen miracula simpliciter. Quocirca patres effectus miros, qui inter gentiles subinde contingebant, diabolicae adscribebant sollertiae et virtuti. Ceterum in hisce semper prae oculis habeantur aurea s. Augustini verba n. 87 allata.

407. **Thesis CXXXVII.** ***Angeli sunt spiritus puri, a quovis omnino corpore soluti.***

---

hom. 7 in Ephes. n. 1; Augustinum de Gen. ad lit. V, 19 n. 38; Rupertum tuit. l. 13 in Matth.; de victoria Verbi l, 1 c. 29. Singularis est Origenis opinio hom. 23 in Luc. Mig. 13, 1862.

Declaratio. Plures negarunt angelos esse spiritus puros, neque diffitemur aliquos etiam ex patribus adscripsisse ipsis corpus. »Plane ex duplici angelos esse substantia, inquit Fulgentius de Trin. c. 9, asserunt magni et docti viri, i. e. ex spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent, approbantes hoc ex illo loco psalmi, ubi dicit: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem*(Ps. 103, 4). Corpus ergo aethereum i. e. igneum eos dicunt habere: angelos vero malos i. e. daemones corpus aëreum.« Huc referri possunt plures ex iis, qui putarunt, angelos cum filiabus hominum Gen. 6 2 peccasse. Dico plures, non omnes; poterant enim forte opinari nonnulli, angelos per corpora tantum assumpta peccasse, vel corpori fuisse junctos post suum e coelo lapsum. Medio aevo adhuc angelis corpus aliquod tribuunt Rupertus tuit. de trinit. I, 11 (Mig. 167, 208); de Spir. sancto IX, 21; de victoria Verbi I, 26. 28; Honorius augustod. l. 12 qq. q. 11 (Mig. 172, 1183) et l. 8 qq. c. 3; etiam Sixtus sen., Cajetanus, Bannez. Alii dubii haeserunt, ut adhuc s. Bernardus in Cant. serm. 5; de consid. V, 4; vel saltem hujus dubii seu controversiae suo aevo vigentis mentionem faciunt (cf. Palmieri th. 18 n. 9); alii vero ita de angelis disserunt, ut incertum sit, quid hac de re senserint. — Angelos carere corpore seu esse spiritus puros, non est de fide: sententia tamen ita in scholis christianis recepta et definitioni lateranensi conformis, ut temerarium foret, id in dubium revocare. Quod tamen daemones attinet, scribit s. Thomas etsi eos corpora habere negat, q. 16 de malo a. 1: »Respondeo dicendum, quod sive daemones habeant corpora sibi naturaliter unita, sive non habeant, hoc non multum refert ad fidei christianae doctrinam. Dicit enim Augustinus (de civ. Dei XXI. 10): »Sunt quaedam sua etiam daemonibus corpora, sicut doctis homnibus visum est, ex isto aëre crasso atque humido, cujus impulsus vento flante sentitur.« Si tamen quisquam nulla habere daemones corpora assereret, non est laborandum de hac re aut operosa inquisitione aut contentiosa disputatione certandum.« — Spiritus autem purus est spiritus (n. 64), qui per se est natura completa, nec actu nec destinatione ordinatus, ut cum corpore in unam coalescat naturam. Hinc neque materiae, cum de angelis sermo est, mentio fieri potest. Quod si tamen nonnulli theologi materiae angelicae mentionem faciunt, cum de angelis loquuntur: materiae nomine intelligunt quidquid est quomodocunque in potentia, et forma tunc dicitur omnis actus (cf. s. Thomas quodl. 3 a. 20), vel quod fere in idem recidit, angelorum substantia, quatenus formarum accidentalium, quibus informetur, capax est analogice ac materia corporalis, quae formarum corporalium est subjectum. Cf. Scheeben § 136.

408. **Demonstratio. 1.** Probatur thesis silentio Scripturae, quae neque diserte corporum meminit angelicorum, neque aequivalenter eos vocans animas. Quare angelis adscribere corpus est praeter s. Scripturam. Neve quis provocet ad angelorum apparitiones, cum inde sequeretur, Deum etiam, qui apparuit forma visibili, habere corpus, vel angelos esse homines, apparuerunt enim in forma humana.

2. Scriptura, quae animas quidem, nunquam vero homines, qui compositi sunt ex anima et corpore, vocat spiritus, angelos appellat simpliciter spiritus, neque unquam loquitur de spiritibus angelorum, sicut lo-

quitur de spiritu hominis: significat ergo eos esse simplices, constare substantia spirituali. Dum vero eos nunquam appellat animas, significat angelos non sicut animas humanas ad unionem cum corpore destinari, ideoque naturas esse pure spirituales. Accedit

3. doctrina conc. lateranensis cap. 1 ‚Firmiter': Deum „sua omnipotenti virtute utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam." Unde sequitur **a.** naturam angelicam esse spiritualem, **b.** nil habere admixtum corporei, cum hoc distinguatur a natura humana; ita **c.** unica absolvi substantia, sicut anima humana, quae etsi destinata ad unionem cum corpore, in sua tamen substantia est immaterialis et spiritualis. Hinc

4. schola unanimis admisit angelos esse puros spiritus. Neque desunt

5. patres, qui idem doceant. Fatemur quidem, ex solis appositis, quae patres angelis frequenter tribuunt, cum eos vocant incorporeos, invisibiles, immateriales, spirituales etc., non statim inferri posse, angelos secundum eorum sententiam esse spiritus: ratione tamen contextus aliorumque appositorum, quibuscum conjunguntur, manifesta saepe est patrum mens de perfecta spiritualitate angelorum. Ita Damascenus definit F. O. II, 3 angelum „substantiam intelligentem materiae atque corporis expertem;" Cassiodorus vero de anima c. 2 inde probat animam non esse angelum, „quia carni sociabilis est."

6. Denique idem suadet conjectura illa, qua ostendimus, angelorum exsistentiam esse secundum rationem n. 398. Cf. Mazzella d. 2 a. 2.

409. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Haud pauca sunt, quae contra angelorum spiritualitatem solent excipi. Dilata interim quaestione, qua ratione inferni igne daemones, si puri sunt spiritus, cruciari possint: provocant nonnulli **1.** ad verba Christi Luc. 20, 35: *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; neque enim ultra mori poterunt: aequales enim angelis sunt, et filii Dei, cum sint filii rescurrectionis.* Quibus profecto non affirmatur aequalitas omnimoda inter homines redivivos et angelos, sed tantum secundum quid. Comparantur scil. justi in resurrectione angelis ratione immortalitatis et incorruptionis, quae excludit usum necessitatemque nuptiarum; nam nuptiae institutae sunt ad reparanda mortis damna, ne pereat genus humanum. Post resurrectionem ergo, sublata morte, cessabit nuptiarum necessitas et hinc etiam usus.

2. Excipiunt adversarii, spiritus nequam odorari odorem, eo fugari Tob. 6, 8; 8, 3; allici signis sensibilibus, ut factum narratur in praestigiis magorum etc. Sed haec et alia similia non necessario exigunt corpus in daemonibus, cum ad ea explicanda sufficiat tueri accessum vel recessum daemonum signis sensibilibus alligari propter hominem, qui corpore constat, aut ejusmodi ritibus hominem disponi, ut facilius vel difficilius influxui diabolico sit obnoxius; aut Deum iis uti ad humiliandam superbiam spiritualis nequitiae, quae cedere his vilibus elementis cogitur. Quae vero leguntur de alligatione

vel religatione daemonis Tob. 8, 3; Apoc. 20, 2 difficultatem non habent, facile enim possunt explicari de alligatione etc. non materiali, sed virtuali.

3. Provocant ad patres, qui angelis corpora adscribunt. Verum **a.** his alii opponi possunt, qui nostram omnino tueantur sententiam. Unde ad summum **b.** sequitur, hanc quaestionem ex sola patrum auctoritate certo dirimi non posse. Plura vero **c.** patrum effata quae opponi solent, satis commode ita explicari possunt, ut nostrae non adversentur sententiae. Subinde enim patres id materiale vel corporeum dicunt, quod loco definitur, vel in potentia est ad varias formas, vel non omnimoda gaudet simplicitate; quo sensu omnia comparate ad Deum corpora appellant. Quod si **d.** angelos vocant ignem, aetherem etc., ejusmodi vocabula accipiunt sensu translato, sicut modo nomen spiritus de angelis sensu translato adhibetur. Nam α. vix credibile est, patres tam crasse de angelis cogitasse, quos alioquin immortales, incorruptibiles dicunt; praesertim cum eos β. alibi intelligentes affirment, νοῦς mentes, utique subsistentes, appellent, et γ. hominibus praestantiores esse doceant. Occasionem δ. huic loquendi modo praebuisse videntur verba Ps. 103, 4: *Qui facis angelos spiritus* i. e. ventorum instar celeres agilesque: *et ministros tuos ignem urentem* i. e. tam subtiles, fervidos, puros, lucentes, ignitos, omnia penetrantes ac si essent flamma ignis. Idcirco scil. eos libenter ignem appellant, quod ignis symbolo aptissime angelorum praerogativae adumbrentur, ut notat vulgatus Dionysius docens de coel. hier. c. 15: »Significare formam igneam coelestium intelligentiarum maximam cum Deo conformitatem: sancti siquidem theologi superessentialem et quae formari nequit essentiam in igne describunt, velut qui multas quodammodo visibiles divinae proprietatis imagines praeseferat.« Et recensitis pluribus ignis proprietatibus prosequitur: »Quod cum theologi perspectum habeant, coelestes essentias ex igne formant (i. e. sub ignis forma, symbolo concipiunt), declarantes earum divinam similitudinem et quantum licet imitationem.« Quare ε. ad omnem aequivocationem tollendam eos vocant ignem immaterialem, ut Gregorius naz or. 38 n. 9, et post eum Damascenus l. c. Si autem **e.** aliqui patres revera corpus tribuunt angelis, non statim inferre licet eos censuisse corpus esse de essentia angelorum; loquuntur enim forte de corpore ab angelis sponte assumpto vel in poenam peccati ipsis ut pati possint superaddito, de corpore proinde poenali, non naturali. Quod si illud essent opinati, propter argumenta n. praecedenti allata facile deseri possunt.

410. Ceterum plures veterum in hanc sententiam erroneam inciderunt ob minus accuratam versionem alexandrinam Gen. 6, 2, quae ita habet: Ἰδόντες δὲ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, dum vulgata ita vertit: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Verum locutionem hebraicam b^e^ne 'Elohim hic non designare angelos, patet **a.** quia laqach semper adhibetur de ineundo matrimonio, de ducenda uxore, non de copula illicita transeunte; nemo autem contendet angelos vere duxisse uxores atque matrimonium iniisse, *angeli enim neque nubent, neque nubentur* Matth. 22, 30. **b.** Hisce nuptiis invaluit universalis corruptio, ideoque inducta fuit poena universalis, in primis sane in hujus corruptionis auctores; atqui puniti sunt homines: ergo b^e^ne 'Elohim sunt homines. **c.** Eatenus tantum recurrendum esset ad angelos, ad substantias, quae ad humanam nullatenus spectant societatem, quatenus hic textus de hominibus nullo modo

posset intelligi: hoc vero plane inepte affirmatur. Ergo voce b^e^ne 'Elohim, qua certissime non solum angeli proprie dicti designantur, sed et homines saltem justi et pii eodem jure quo illi designari possunt, homines intelligi debent, cum id flagitet subjecta materia. Ad haec **d.** cum angeli certe non fuerint boni, sed mali i. e. daemones: quis sibi persuadebit daemones designari nomine filiorum Dei. Quocirca **e.** versiones omnes verba illa reddunt vel *filii Dei,* vel *filii principum* seu *potentum* etc.; imo et *filii Dei* in nonnullis codicibus versionis alexandrinae teste Augustino de civ. Dei XV, 23 legebatur; et certo iidem LXX interpretes v. 4 eandem vocem b^e^ne 'Elohim reddunt οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ [1]). Hinc jam plures patres angelorum peccatum cum filiabus hominum refellunt ut fabulam, absurdidatem, insaniam etc. Ita Chrysostomus hom. 21 in Genesim n. 2; Theodoretus haer. fabul V, 7 et q. 47 in Gen.; et ex hoc Photius q. 255 ad Amphyl.; Cyrillus alex. adv. Julianum l. 9; contra anthropomorph. c. 17; Glaphyrorum in Gen, l. 2 n. 2; Serenus apud Cassianum collat. 8 c. 21; Philastrius haer. 108 al. 59; Augustinus de civ. Dei XV, 23 et l. 1 qq. in Heptateuchum: Basilius seleuc. or. 6. Quare mirum hoc somnium pluribus protestantibus, maxime rasionalistis, arrisisse.

411. *De angelorum numero et ordinibus.* — Quod *angelorum numerum* attinet, constat ex divinis literis, eum esse admodum magnum. Nam ita legimus Dan. 7, 10: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Cf. etiam 4. Reg. 6, 15 ss.; Hebr. 12, 22; Apoc. 5, 11. Omnes autem perfectissimam quandam constituere societatem, dubium esse nequit, cum exhibeantur quasi Dei aula et exercitus. Quod etiam colligitur ex iis, quae patres passim, frequentius vero theologi disputant variis de angelorum ordinibus. »Diversitas vero ordinum, inquit s. Thomas 1. p. q. 108 a. 2, secundum diversa officia et actus consideratur: sicut patet quod in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus. Nam alius est ordo judicantium et alius pugnantium et alius laborantium in agris et sic de aliis.« — Quod ordinum numerum attinet, notamus:

1. Communem jam esse theologorum doctrinam de novem angelorum ordinibus; ea enim **a.** innititur divinis literis, in quibus occurrit mentio angelorum passim, archangelorum 1. Thes. 4, 15, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum, virtutum Col. 1, 16. Eph. 1, 21, cherubim Gen. 3, 24, Ex. 15, 28, et seraphim Is. 6, 2. Haec autem nomina non esse synonyma, satis ex ipsis locis eruitur, et certum est ex constanti patrum traditione, qui id universim ut exploratum habent, quamvis de uno alterove dubitent nomine. Ergo cum spiritus coelestes novem distinctis nominibus designentur, eaque non sint synonyma, satis innuitur, angelos in novem classes seu ordines distingui. Quo argumento jam Gregorius M. utitur hom. 34 in Evang. Ex patribus vero **b.** plurimi, etiam vetusti, modo 6 vel 7, modo 8 et etiam 9 angelorum ordines recensent sive gradu, sive munere, sive alia quadam ratione distinctos. Omnes novem ordines primum forte recensentur in liturgia hierosolymitana apud Cyrillum hieros. in catechesi mystag. 5 n. 6 (cf. opusc. VII,

---

[1]) Cf. Reinke Beiträge zur Erklärung des A. T. t. 5 sect. 5 et Scholz, Keilschrift und die Genesis, notat etiam in antiquis inscriptionibus hac locutione designari viros pios et religiosos.

126 s.). Praeter Cyrillum seu potius liturgiam vetustissimam ecclesiae hierosol. alii scriptores ecclesiastici jam a sec. IV. omnes novem angelorum ordines numerant, ut constit. apostolicae VII, 35; VIII, 12 recensent octo ordines, omissis dominationibus, quarum loco legimus αἰῶνας καὶ στρατιάς (infra tamen cum his et dominationes nominantur); Athanasius ep. 2 ad Serap. n. 4, ubi quidem thronos omittit; Ambrosius apol. proph. David n. 20: Chrysostomus hom. 4 in Gen. n. 5; Pseudo-Chrysostomus hom. in Ev. sec. Luc. in Drachma (Mig. 61, 781); Hieronymus apol. c. Ruf. l. 2 n. 12; auctor commentarii in psalmos 33 n. 21; 112 n. 12, qui alias Hieronymo adscribi solebat; Basilius seleuc. or. 39; Pseudo-Ignatius ep. (interpolata) ad Trallianos n. 5, qui tamen αἰώνων μεγαλότητας addit; et aliis posterioribus omissis Isidorus Etymol. VII, 5; sent. I, 10; de ord. creat. c. 2. Quare haec sententia operibus, quae sub Dionysii Areop. nomine circumferuntur, in acceptis referri non debet, quamvis post illa celebrior facta sit. Unanimi etiam consensione **c.** eam recepit illustravitque schola universa.

2. Nimii tamen sunt, qui hanc sententiam fidei accensent dogmatibus. Nam etsi plures patres eam tradunt, et communi consensu complectuntur scholae theologi, non ut fidei doctrinam eam solent proponere: nec ulla hac de re exstat Ecclesiae definitio vel monumentum authenticum, quo ea credenda vel tenenda comprobetur; ex veteribus autem non desunt, qui vel de angelicorum ordinum numero dubii haereant, vel diserte affirment, certi hac de re nil definiri posse. Ita Augustinus Enchir. n. 58, ita Chrysostomus: »Sunt enim, inquit hom. 4 de incompreh. n. 2, sine dubio et aliae virtutes, quarum ne nomina quidem novimus. Perpendite insanam haereticorum arrogantiam. Servorum ne appellationes quidem scimus, et illi Domini substantiam curiose inquirunt. Sunt enim angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus et potestates. Sed non soli isti sunt coetus in coelis, verum infinitae gentes, tribus innumerae, quas nulla explicare potest oratio. Et unde constat, plures iis alias esse virtutes, quarum ne vocabula quidem novimus? Nimirum qui illa dixit Paulus et hoc asseveravit alterum, cum sic de Christo loquitur: *Sedere ipsum fecit supra omnem principatum et potestatem et virtutem et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro* (Eph. 1, 21). Videtis aliqua illic esse aliquando cognoscenda, quae nunc ignota sunt?« Cf. hom. 5 n. 4; hom. 3 in Eph. 1, 21. Similia habent Theodoretus, Oecumenius et Theophylactus in h. l. Ipse Dionysius (seu quicunque alius auctor), cujus auctoritate prae ceteris ea sententia innititur, scribit l. c. c. 6 n. 1: »Quantae quidem sint et quales supercoelestium essentiarum dispositiones, et quo pacto earundem sacri ordines initientur, solum exacte nosse censeo divinum illum, a quo consecrantur, principatum etc.« Hinc etiam nostra aetate Kaulen KL. IV, 870 in numerum septenarium ordinum angelicorum propendet. Cf. etiam Origenes de princ. I, 5; t. 1 in Jo. n. 34.

3. Minori etiam certitudine fruitur altera theologorum scholae doctrina *de tribus angelorum hierarchiis.* Hierarchiae nomine intelligitur sacer principatus, cujus finis est promotio creaturae rationalis in Deum. Cum ergo Deus angelis utatur ad homines resque creatas regendos et in finem adducendos, secundum analogiam hierarchiae ecclesiasticae poterit concipi hierarchia angelica. Prout autem alii ex angelis considerantur in his inferioribus imme-

diate operari et ad homines mitti, alii Deo proprius assistere, rarius et nonnisi a Deo immediate mitti, alii velut medii per superiores mitti et inferiores mittere, ratio aliqua est, ut statuamus triplicem hierarchiam, nisi forte alicui aliud distinctionis fundamentum arrideat.

4. Quae vero singulos spectant ordines praetermittimus, sunt enim plane incerta meraeque conjecturae, ut ostendit Becanus opusc. 14 c. 1 ss. Cf. si lubet ex patribus Bernardus de consid. V, 4 et in Cant. serm. 19; ex theologis Palmieri th. 24. Non desunt, qui putent eam distinctionem factam esse post confirmationem bonorum angelorum in gratia, ut Petrus pictav. Sentent. l. 2 c. 5, cui opinioni favere videtur etiam Magister sententiarum l. 2 d. 9. Praeferenda est s. Thomae sententia statuentis l. c. a. 4 ordines esse in angelis „completive secundum dona gratuita, dispositive autem secundum dona naturalia.“ De quaestione num angeli differant specie cf. Mazzella d. 2 a. 2.

Caput II.

De Angelorum conditione primitiva et plurium lapsu.

411. **I.** Tenendum in primis est, *angelos ad supernaturalem ordinem divina gratia fuisse evectos*, quod hisce rationibus comprobatur:

1. Angeli in Scripturis et frequenter a patribus dicuntur sancti, coelestes, angeli lucis, amici Dei, filii Dei etc. non secus atque homines justi. Atqui hisce praedicatis designatur modo semper praerogativa non naturalis, sed ex gratia profecta. Ergo et angeli gratia potiuntur ideoque ad ordinem evecti sunt supernaturalem.

2. Angeli etiam vident Deum facie ad faciem: *angeli enim eorum* (parvulorum) *in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* Matth. 18, 20; sunt cives regni coelorum, participes ejus beatitudinis, quae nobis est destinata: unde et unam cum justis hominibus constituunt Ecclesiam triumphantem sub Christo capite Hebr. 12, 22; Eph. 1, 10 ss. Atqui visio beatifica et beatitudo justis reservata est omni creaturae indebita et supernaturalis. Cf. th. 247. Ergo ad finem ordinemque supernaturalem fuerunt evecti.

3. Idem colligitur ex eorum prae hominibus praestantia n. 403.

4. Consentiunt patres vel aequivalenter vel diserte; aequivalenter, cum affirmant, homines fore angelorum consortes, in eorum locum substitui, unam cum illis constituere Ecclesiam sub Christo capite, naturam humanam angelicae praecellere ratione tantum incarnationis etc.

Diserte id docent Damascenus de F. O. V, 3: „Per Verbum omnes angeli creati sunt et Spiritu sanctificante consummationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine splendoris gratiae essent participes;“ et Fulgentius ad Trasim. II, 3: „Non alia gratia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet.“ Quae non sunt intelligenda de gratia actuali tantum, sed de habituali et actuali simul: eoque magis quod gratia actualis in praesenti ordine inservit tota habituali,

ad haec scil. vel primum inducendam, vel conservandam, vel augendam. Neque enim ex gr. sola gratia actuali homo perfecte reparatur vel surgit, nisi etiam infundatur gratia justificationis. Hanc ergo s. doctor simul cum actuali gratiae nomine complectitur.

5. Idem colligitur ex damnatis Baji prop. 1: „Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia; 3: Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia.“ prop. 4. 5. Controversia autem olim inter theologos fuit, utrum angeli gratiam acceperint post praeviam dispositionem congruam ad illam, an ipso creationis momento, quae posterior sententia est praeferenda. Cf. Scheeben § 181.

413. **II.** Tenendum est *plures angelos e supernaturali statu,* in quo conditi a Deo fuerunt, *proprio excidisse peccato.*

Huic asserto omnes illi adversantur, qui daemonum exsistentiam negant vel saltem in dubium revocant, qui quidem ad quatuor revocari possunt classes. Sunt qui vel **1.** exsistentiam daemonum exegeticis impugnent argumentis, eo usque temeritatis progredientes, ut negent in divinis literis mentionem fieri daemonum, quales illos credunt judaei et christiani. Sed cum nimis evidens sit in Scriptura veros commemorari daemones, idcirco **2.** alii potius quam eorum admittant exsistentiam, narrationis evangelicae sinceritatem de Christi doctrina originali et propria relate ad daemones in suspicionem vocant. Cum autem et haec assertio sit nimis audax et temeraria, contendunt alii **3.** totam de daemonibus doctrinam ex orientalium profluxisse opinionibus, et accommodatione quadam in ipsum judaicae, postmodum christianae doctrinae corpus receptam fuisse. Alii vero **4.** statuunt, doctrinam de daemonibus sanae adversari philosophiae. Cf. Wiest instit. theol. IV § 276. Sed angelorum lapsus et daemonum existentia dogma est catholicum, quod docet concilium lateranense IV. cap. 1: »Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.«

414. **1.** Asserti veritatem nunquam non aperte professa est universa antiquitas, ut ex. gr. s. Leo ep. 15 ad Turribium c. 6: „Fides vera, quae est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam; quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est, et in veritate non stetit (Joan. 8, 44), non in contrariam transit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhaerere, descivit.“ Quae Gennadius recepit inter eccles. dogmata c. 60. Cf. conc. bracarense a. 561 can. 7. In Africa episcopi ante suam consecrationem inter alia interrogabantur, crederentne quod „diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus?“

2. Angelorum lapsum tradunt ss. Scripsurae Joan. 8, 44; Luc. 10, 18: *Videbam satanam,* inquit Christus, *sicut fulgur de coelo cadentem;* 2. Petr.

2, 4: *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari;* ep. Judae v. 6: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum,* dignitatem, originalem praecellentiam, *sed dereliquerunt suum domicilium* i. e. meritorie, quapropter coacti sunt deserere coelum (Apoc. 12, 7 s.), *in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine,* in loco caliginoso, *reservavit.*

3. Colligitur haec veritas ex analogia dogmatum. Evidens enim est ex revelatione malorum spirituum seu daemonum exsistentia; evidens pariter est ex eadem et sana ratione, Deum non esse auctorem malae voluntatis (th. 99), sed quidquid creat esse bonum et bonum valde, neque eum quemquam nisi propter peccatum damnare. Si ergo exsistunt daemones iique admodum mali et in poenali statu, nil aliud reliquum est, quam quod quondam creati boni atque in statu laetiori, culpa propria inde exciderint. Cf. Augustinus de gen. ad lit. XI, 13 ss.

415. Alias quaestiones, quas theologi, fuse subinde, agitare solent, quo scil. peccato ceciderint angeli, et quot numero, et ex quo ordine, praetermittimus, quod neque tanti sunt momenti, neque certum habent exitum. Cf. varias patrum opiniones apud Petavium III, 2 s. Sufficiant nobis quae scribit Origenes in praef. de princ. n. 6: »De diabolo et angelis ejus contariisque virtutibus ecclesiastica praedicatio docuit, quoniam sunt quidem haec: quae autem sint aut quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus et apostata effectus quam plurimos angelorum secum declinare persuaserit, qui et nunc usque angeli ipsius vocantur.« Theologorum conjecturas cf. in commentariis ad s. Thomae 1. q. 63. 64. Satis tamen probabile est, quod angeli duce Lucifero, qui forte omnium angelorum fuit princeps, lapsi sint superbia, non quatenus est peccatum generale, sed speciale complectens explicitam subjectionis negationem et rebellionem, independentiae et autonomiae appetitum ambitionemque dominii in universitatem rerum, ut scil. omnia sibi subessent; vel, ut nonnullis placet, consistens in eo, quod revelato ipsis incarnationis mysterio, inique tulerint naturam humanam a Verbo esse assumendam detrectaverintque futuro Deo homini exhibere reverentiam. Cf. Palmieri th. 60.

416. **III.** *Deus angelis libere praevaricantibus nullum fecit reparationis ac poenitentiae locum.* Quod colligitur **1.** tum ex s. Scripturae silentio: nullibi enim ejusmodi reparationis fit mentio; tum ex testimoniis sat disertis numero 414[2] allatis. Idem **2.** clare docent patres, qui rationes simul redeunt, quare Deus, qui humani generis lapsi sit misertus, angelis peccantibus non pepercerit.

Primam reddit s. Athanasius de incarn. Verbi n. 6: »Indignum enim erat bonitate Dei, ut quae ab ipso facta erant, corrumperentur fraude et calliditate diaboli, qua homines circumvenerat. Tum minime omnium decebat, divinum in hominibus artificium obliterari, sive ipsorum socordia, sive astu et illusione daemonum« etc., quod n. 10 haud incongrua illustrat similitudine. »Quocirco revera maxime consentaneum erat bonitati Dei magnum illud opus.

Nam si rex aliquis aedificium vel urben, cujus conditor fuisset ipse, incolarum negligentia a latronibus oppugnatam, neutiquam negligit, sed tamquam opus suum tuetur ac liberat, non tam ad habitatorum ignaviam, quam ad id, quod se dignum est respectum habens: multo magis optimi Patris Verbum Deus in corruptelam prolabens hominum a se procreatum genus non contempsit.« — Ratio altera est Gregorii M. »Angelorum spiritus, scribit ille Mor. IX, 50, idcirco irremissibiliter peccarunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo seipso minor esset, accepit.« — Cui rationi ex minori hominis stabilitate deductae tertiam adjicit Alcuinus quaerenti, cur summi angeli peccatum insanabile fuerit et hominis sanabile, respondens in Gen. q. 4: »Angelus sui sceleris inventor fuit, homo vero alterius fraude seductus.« Et priorem rationem approbans ait: »Quanto sublimior angelus in gloria, tanto major in ruina; homo vero quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam.« — Denique nec illa ratio praetermittenda est, quod non omnes angeli perierunt; qui vero ceciderunt, propria culpa sunt lapsi; homines vero omnes propter unius delictum, hinc plurimi absque propria culpa personali condemnati sunt. Quare horum causa prae angelorum causa melior seu potius veniae est propinquior. Et sane peccatum angelorum longe gravius fuit undequaque peccatis hominum: fuit enim peccatum merae malitiae, formalis rebellionis, tota voluntatis energia et intensione commissum. Cf. Thomassinus de inc. II, 11; Scheeben Mysterien § 41 s.

3. Denique colligitur haec veritas ex damnatione Origenis, contra quem semper assertum fuit, angelis lapsis nullam esse spem reparationis. Ita inter alios scribit Sulpicius Severus dial. 1 n. 7: „Cum ab episcopis excerpta in libris illius (Origenis) multa legerentur, quae contra catholicam fidem scripta constaret, locus ille vel maxime parabat invidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus Jesus, sicut pro redemptione hominis in carne venisset, et crucem pro hominis salute perpessus mortem pro hominis aeternitate gustasset, ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret.“ Verum quidem est, patres in Origene maxime damnasse, quod negarit aeternitatem poenarum admiseritque alternantes vices lapsus et reparationis: sed ex eorum disserendi ratione liquet, nullam semel lapsis relictam fuisse reparationis spem, ideoque ipsorum neminem reparatum seu veniam esse consecutum.

Genér tamen III, 99 statuit: »Daemones fuerunt physice capaces poenitentiae: imo ex verosimili argumento ad eam a summo Creatore invitati sunt per supercoelestem gratiam sufficientem. Favent Basilius in Is. c. 14; Cyrillus hieros. cat. 2; Nyssenus l. 1 philos. c. 3; Hieronymus in Ephes. 1; Bernardus serm. 17 in cantica.« In annot. subj citat pro hac opinione Grandin de angelis p. 64 a. 3, Scotum, Quiros disp. 74 n. 10 et Salmeron in Petri 2 disp. 3 p. m. 125 ss., quem in primis commendat, qui de ea egregrie disputet. Primum quidem membrum hujus assertionis vi-

detur posse defendi, non vero alterum. Nam vel haec gratia angelis lapsis oblata fuit ex meritis Christi: et hoc adversatur universae antiquitati, quae respuit opinionem, Christum esse mortuum pro daemonibus (cf. Stentrup praelect. de Verbo incarn. p. 2 thes. 29), et mirum, quod ne unus ea sit usus; vel ea fuit prorsus gratuita, nullius mediatoris cujusdam meritis impetrata, et hoc repugnat iis, quae de incarnationis consilio patres tam copiose disputant. Cf. infra th. 142 p. 5. — Quae spectant praesentem daemonum conditionem expendemus in tr. de Deo Consummatore, ubi de inferno agemus.

Caput III.

De angelis bonis.

417. Dilatis iis, quae angelorum beatitudinem coelestem spectant, ad tractatum de Deo omnium consummatore, de eorum ad Deum relatione sufficiat dixisse, eos Deo frui, Deum laudare eique ad omnem nutum promptissime obsequi. Et revera Deum iis in administranda rerum universitate saepe uti, patet ex universa s. Scriptura. Ad invicem vero uniuntur habitu mutuae caritatis, quae etiam benefica est. Quare frequens est scholae assertum, angelos inferiores a superioribus illuminari, quod ita s. Thomas explicat 1. p. q. 106 a. 1 ad 1: „Rationes divinorum operum, quae in Deo cognoscuntur sicut in causa, omnes quidem Deus in seipso cognoscit, quia seipsum comprehendit; aliorum vero Deum videntium tanto unusquisque in Deo plures rationes cognoscit, quanto eum perfectius videt. Unde superior angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit quam inferior, et de his eum illuminat." De eorum ad homines relatione sit

418. **Thesis CXXXVIII.** ***Angeli 1. in hominum deputantur custodiam, adeo ut 2. singulis praesto sint fidelibus; imo 3. hominum sit nullus, qui eorum tutela omnino privetur; neque 4. improbabile sit, regnis, provinciis ecclesiisque suos designari angelos.***

Demonstratio p. I. Fidei dogma est, angelos in hominum custodiam deputari. Quod Paulus Hebr. 1, 14 clarissime tradit: *Nonne omnes* (angeli) *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* et unanimiter patres docent. Origenes inter ea, de quibus nulla in Ecclesia est controversia, etiam hoc memorat de princ. praef. n. 10: „Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione positum, esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam."

Hilarius passim idem tradit, et inter alia scribit in Matth. 18 n. 5: »Angeli praesunt pusillorum fidelium orationibus. Praeesse angelos absoluta auctoritas est.« Cf. in Ps. 137. — Augustinus vero, ut evincat angelos quoque a nobis esse diligendos, hanc reddit rationem de doctr. christ. I, 30: »Si vel cui praebendum est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte proximus dicitur, manifestum est, hoc praecepto, quo tenemur

diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est.« Ceterum hoc est adeo evidens ex universa revelatione, ut forte nemo refragetur, nisi qui ipsam angelorum negaverit exsistentiam. Et sane si daemones homines tentare possunt, quare non poterunt boni angeli eos juvare?

419. **Demonstratio p. II.** Certum est, singulos fideles saltem suos habere angelos custodes. Quod eruunt patres haud immerito ex Matth. 18, 10: *Videte, ne contemantis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est;* ex quibus liquet, judaeorum pusillis suos adfuisse angelos, qui eorum gererent curam et sollicitudinem; nec ratio est, cur illos adultos deseruerint. Atqui profecto privilegia vel praerogativae synagogae transierunt ad Ecclesiam. Quare tenendum omnino est, Ecclesiae membra angelorum frui custodia.

»Adest unicuique nostrum, inquit Origenes hom. 20 in Num., etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris.« Et hom. 1 in Ez. (ab Hieronymo versa): »Qui (Christus) distribuit eos custodes credentium nomini suo: tu heri sub daemonio eras, hodie sub angelo.« Citato autem Matth. 18, 10 prosequitur: »Obsequuntur saluti tuae angeli, concessi sunt ad ministerium Filii Dei, et dicunt inter se: Si ille descendit et descendit in corpus, si mortali indutus est carne et sustinuit crucem et pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eja omnes angeli descendamus e coelo etc.« Cf. hom. 23 in Luc. ut adv. Celsum VIII n. 34. — Athanasius in Ps. 90, 11 citatis variis Scripturae effatis subdit: »Ex omni parte igitur ediscimus, quod universorum Deus eos, qui credunt in ipsum, per angelos custodiat.« — Basilius l. 3 c. Eunom. n. 1: »Quod autem unicuique fidelium adsit angelus tamquam paedagogus aliquis et pastor vitam gubernans nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: *Ne contemnatis unum ex his pusillis, quoniam angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (Matth. 18, 10); et Psalmista dicit: *Castrametibatur angelus Domini in circuitu timentium ipsum* (Ps 33, 8); et *Angelus, qui eruit me a juventute mea* (Gen. 48, 16), et cetera id genus.« — Idem eruit Chrysostomus ex Act 12, 15 hom. 26 in h. l. n. 5. Refert enim s. Lucas, fideles audientes a puella, Petrum quem Herodes in carcerem conjecerat, stare ante januam, noluisse id credere, sed respondisse: *Angelus ejus est.* Indubium ergo illis erat, fidelium saltem quemlibet suum habere angelum, sane in ejus deputatum commodum et custodiam, quod insinuatur pronomine adjecto *ejus,* dicitur enim *angelus ejus.* — Quare Primasius statuit in Hebr. 1, 14: »Generaliter autem, sicut doctores dicunt, unicuique fidelium ab ortu nativitatis vel potius a tempore baptimatis datur a Deo angelus ad sui custodiam et qui suadeat bona agere.«

420. **Demonstratio p. III.** Communis est theologorum sententia, singulis hominibus suos adesse angelos custodes: nam sine ulla limitatione pronunciat Hieronymus in Matth. 18, 10: „Magna dignitas

animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum;" Theodoretus q. 3 in Gen.: „Christus Dominus dixit (Matth. 18, 10) singulos homines subesse singulorum angelorum procurationi;" et Isidorus hisp. l. 1 sentent. c. 10: „Omnes homines angelos habere probatur loquente Domino in Evangelio: *Amen dico vobis, quia angeli eoram semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Unde et Petrus in Actibus apostolorum, cum pulsaret januam, dixerunt intus apostoli: *Non est Petrus, sed angelus ejus est* (12, 15)." Et merito quidem id tuentur theologi, si enim daemon omnes et singulos homines tentare potest, conveniens est, ut nullus destituatur angelica tutela.

421. **Demonstratio p. IV.** Plures quoque patres docent, singulis regnis, provinciis, ecclesiis, praeesse angelos, hisce innixi Scripturae effatis: Dan. 10, 13, ubi Gabriel Danieli refert: *Princeps autem regni persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum et ego remansi ibi juxta regem persarum;* v. 21: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester;* Zach. 1, 12: *Respondit angelus Domini et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es;* Deut. 32, 8 sec. LXX; Act. 16, 9.

Ita Theodoretus in Dan. 10, 13: »His igitur docemur singulis angelis uniuscujusque nostrum curam creditam esse ut custodiant, tueantur et a pravi daemonis nos liberent insidiis. Archangelis vero illud munus est impositum, ut gentium sint praefecti, sicut b. Moyses docet (Deut. 32, 8), cujus dictis item b. Daniel consentit, cum dicit ipse regni persarum principem et rursus paulo post principem graecorum, Michaelem quoque principem Israelis vocat.« Cf. haer. fab. V, 7. — Non clausit, inquit Augustinus in Ps. 88 serm. 1 n. 3, Deus fontem bonitatis suae etiam in alienigenas gentes, quas sub angelis constituerat, portionem sibi faciens populum Dei.« — Ambrosius in Ps. 118 serm. 1 n. 8: »Quanto magis, si quis allevet mentis oculos et consideret, plena esse angelorum omnia, aëra, terras, mare, ecclesias, quibus angeli praesunt (mittit enim Dominus angelos suos ad defensionem eorum, qui heredes futuri sunt promissorum coelestium), concepto potest renunciare peccato?... Plenus est enim mundus sanctarum virtutum, quia plenus est laqueis.« — Basilius l. c.: »Quod sint angeli quidem, qui gentibus integris praepositi sunt, docet nos per canticum Moyses (Deut. 32, 8)... et sapiens Daniel (10, 12) etc.« — Gregorius naz. or. 42 n. 9: »Nec mihi dubium est, quin alii aliarum ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joannes me docet.«

422. Non desunt, qui affirment, unicuique adesse duos angelos, alterum bonum, malum alterum, ut Hermas pastor l. 2 mandato 6; Origenes hom. 12 in Lucam, ubi ita scribit: »Unicuique duo assistunt angeli; alter justitiae, alter iniquitatis . . . Quomodo ergo per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor et in singulis dispares esse provinciis, ut sint et boni, sint et mali.« Cf. Gregorius nyss. l. de vita Moysis; Serenus abbas apud Cassianum collat. VIII, 17; XIII, 12; Christianus Druthmarus in Matth. 18, 10 (Mig. 106, 1409): »Ex hoc loco et ex aliis invenimus, quod unus-

quisque homo duos angelos habet sibi deputatos a die ortus usque ad diem mortis suae, bonum et malum;« Bandinus l. 2 sentent. dist. 11; Hildebertus cenom. tr. theol. c. 22; Hugo a s. Victore de sacr. l. 1 p. 5 c. 31; cf. Huetium in Origenianis l. 2 q. 5. — Imo s. Augustinus l. 83 qq. q. 79 statuit: Unaquaeque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi praepositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur.« Ita ante ipsum Origenes etiam hom. 14 n. 2 in Num. aliique, quos cf. in annot. subjecta Mig. 12, 680. Ceterum Origenes plura de angelis singularia et abnormia a doctrina catholica habet ut ex. gr. hom. 13 el 35 in Luc. Cf. Scheeben § 182.

423. **Scholion.** *Exceptioni ocurritur.* — Graviter falluntur, qui hujus ecclesiasticae doctrinae originem ex platonicis derivant commentis. Negari quidem non potest plura de angelo custode praeclare dicta apud illos reperiri, ut apud Apulejum de Deo Socratis II, 237 ed. bip. et Epictetum, qui ita habet apud Arrianum diss. l. 1 c. 14: »Tutorem unicuique assignavit Deus singulorum genium et huic ipsum custodiendum tradidit, et quidem ejusmodi, qui neque dormiat, neque falli possit. Nam cui tandem alteri praestantiori ac sollicitiori custodi unumquemque nostrum committeret? Itaque quando januas occluseritis et tenebras intus induxeritis, mementote uti nunquam vos solos esse dicatis, non enim estis, Deus intus est et genius vester.« Propterea tamen non licet inferre, patres hanc doctrinam a philosophis mutuatos esse. Sane nullus unquam patrum eam e philosorum placitis probat, verum omnes illam proponunt tamquam divinitus traditam confirmantque Scripturae effatis. Quare potius dicendum est gentilium doctrinam de angelorum tutela quasdam continere reliquias revelationis divinae generi humano in patriarchis vel populo judaico factae, unde ad alios derivata est populos: idcirco autem prae aliis doctrinae capitibus melius fuisse conservatam, quod admodum rationi se commendarit. Praeclara vero dicta, quae apud platonicos praesertim post Christum florentes reperiuntur, forte ab ipsis christianis esse hausta. Cf. Petavius II, 7.

424. **Scholion practicum.** Per se patet ea, quae diximus de angelis bonis, facile in concionem posse converti. Exponantur scil. factum custodiae angelicae, illius scopus atque fructus ex ea colligendus.

1. Ad probandum factum angelorum custodiae sufficiunt **a.** testimonia s. Scripturae et patrum, quae n. 418 ss. adduximus, et quae eo ferre ordine proponi possunt, quem in thesi secuti sumus. Addatur **b.** duplex congruentiae ratio: una petita ex Verbi incarnatione. Si enim angeli merito stupent Verbi humanitatem ad nos usque descendentis, ut nobis succurret, provocabuntur et ipsi in nostrae salutis curam, cum futuri simus ipsorum in beatitudine sodales. Cf. praeclara Origenis verba n. 419. Accedit et altera ex daemonum infestatione derivata. Nam si daemones nullum non movent lapidem in nostram perniciem: quid putabimus, angelos bonos fore adeo socordes et tepidos, ut non sint de nobis solliciti ex zelo gloriae Dei et ex caritate erga nos et ex aversione contra daemones. Cf. verba Ambrosii n. 421.

2. Demonstrato facto inquirere licet in finem, quem Deus in mittendis angelis ad nostram custodiam intendat. Ostendere nobis vult, quantum **a.** ipsi cordi sit nostra salus, cum praeter tot alia media et angelos incitet, ut de nostra solliciti sint salute, quo iterum pateat: *Diligentibus Deum omnia coo-*

perantur in bonum Rom. 8, 28. Manifestatur **b.** angelorum custodia sanctorum communio vitalisque nexus, qui intercedit inter creaturas rationales, vi cujus omnes unum constituunt regnum in laudem et gloriam Dei omnium supremi Domini. Declaratur **c.** summa naturae humanae dignitas, cum in ejus custodia occupentur vel angeli.

3. Multiplex fructus ex angelorum custodia colligi debet. Triplex **a.** suggeritur a s. Bernando in serm. in Ps. 90, ex quo lectiones derivatae sunt secundi Nocturni in festo ss. angelorum custodum: „reverentia pro praesentia, devotio pro benevolentia, fiducia pro custodia. Caute ambu'a, ut videlicet cui adsunt angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo angelo tuo reverentiam habe“ etc. **b.** Stimulus sit haec fides, ut tuae salutis agas curam. Si enim angēli de sua salute securi, de tua tamen adeo sunt solliciti, tibi in primis pro te est vigilandum. Hinc **c.** debes et aliis esse angelus custos: si enim angeli alterius etsi naturae zelo exardescunt nostrae salutis, et nos sollicitos esse oportet confratrum, membrorum in eodem corpore Christi mystico, filiorum spiritualium, imo quantum fieri potest omnium, quibuscum in eadem convivimus societate. Cf. Gregorius M. hom. 6 in Ev. n. 6 opusc. VI ser. II. Quanto magis vero **d.** cavendum est omne scandalum: *angeli* enim *eorum,* quibuscum conversamur, *in coelis semper vident faciem Patris, qui in coelis est* (Matth. 18, 10), ideoque facile possunt vindictam Dei in scandali auctores provocare.

Caput IV.

De angelis malis seu de infestatione daemoniaca.

425. *Daemonum ad homines relatio.* — De angelis malis jam aliqua diximus c. 2. Inter se constituunt quandam velut societatem et regnum sub quodam principe. Hinc saepe fit mentio *principis* daemoniorum ejusque regni Matth. 12, 24 ss. etc., ipse dicitur *homicida, mendax et pater mendacii* Jo. 8, 44; *draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem* Apoc. 12, 9; *princeps hujus mundi* Jo. 12, 31: imo *Deus hujus seculi* 2. Cor. 4, 4. Nititur autem haec societas communi odio et invidia, et oborta inde conspiratione adversus genus humanum; quo pacto et haeretici alioquin maxime inter se divisi communi consilio conspirant in Ecclesiae perniciem; necnon et ordinatione divina, qua in poenam daemones subjiciuntur Lucifero, quem in rebellione ducem sunt secuti. Cf. Scheeben § 193 ss.

426. Nonnulla de eorum ad humanum genus relatione dicenda supersunt, quae tota cum sit polemica, voce generica infestationis designatur: cujus nomine intelliguntur omnes daemonum conatus viribus suis utentium ad mala moralia vel saltem physica in mundo promovenda. Ideo autem tanto conatu hominem impugnare nituntur, ut illum vel sibi socium addant in suo adversus Deum bello, vel saltem ut suum odium, quod in Deum exserere nequeunt, exserant in ejus imaginem et vicarium in terris

visibilem, qui destinatus est ad occupandas sedes ab ipsis amissas, et cujus natura electa fuit in unionem hypostaticam a Verbo assumendam. Triplex infestationis distinguitur species: tentatio scil., obsessio et magia. Antequam de singulis disseramus, in primis monendum est, daemones absque Dei permissione nihil contra homines posse: quod passim patres eorum occasione inculcant, quae narrantur in Jobi historia cc. 1. 2 et Matth. 8, 29 ss. de daemonibus rogantibus, ut de obsessis pulsi porcorum gregem ingredi permitterentur. Rationem aliquam hujus permissionis reddit s. Thomas 1. p. q. 64 a. 4: „Angeli secundum suam naturam medii sunt inter Deum et homines. Habet autem hoc divinae providentiae ratio, quod inferiorum bonum per superiora procuretur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur per divinam providentiam: uno modo directe, dum scil. aliquis inducitur ad bonum et retrahitur a malo, et hoc decenter fit per angelos bonos; alio modo indirecte, dum scil. aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarii. Et hanc procurationem boni humani conveniens fuit per angelos malos fieri, ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent.“

427. Quod attinet *tentationes*, patet illas non quidem semper, saepe tamen teste Scriptura e diaboli oriri suggestione. Cum tentationibus cohaerent multiplicis generis persecutiones, quas commovit diabolus in ipsum Christum, caput Ecclesiae Joan. 13, 2; commovet in ejus ministros Luc. 22, 31 s., membra Apoc. 2, 10 universumque Christi corpus Matth. 16, 18; cohaerent et illusiones admodum periculosae. Illudit autem hominibus vel patratis signis et prodigiis ita stupendis, ut etiam electi possent induci in errorem Matth. 24, 24; vel se tranfigurans in angelum lucis 2. Cor. 11, 14 falsisque revelationibus decipiens homines male credulos 2. Paralip. 18, 18 ss. Cf. s. Thomas 1. q. 114; Amort: De revelationibus, visionibus et apparationibus privatis regulae tutae ex Scriptura, conciliis, ss. patribus aliisque optimis auctoribus collectae explicatae atque exemplis illustratae.

428. *De obsessione.* — Succedit altera infestationis species scil. obsessio, cujus nomine intelligitur potestas daemonis ad nocendum homini cum actuali vel habituali vexatione tum negativa tum positiva conjuncta. Habet ea diversos gradus, quorum primus dicitur circumsessio, quando scil. daemon hominis corpus nondum invasit, ipsum tamen extrinsecus quasi obsidet, omni ex parte vexat et in actionibus communibus, praecipue spiritualibus, impedit gravibusque tentationibus vexat. Gradus secundus dicitur presse obsessio, si daemon corpus jam inhabitat, vires physicas et psychicas sibi vindicat et usurpat, iisque tamquam suis magis minusve utitur, adeo ut in tali homine grave oriatur actionum dissidium. Tertius dicitur possessio, qui obsessionis modo descriptae intensior est gradus, atque tunc obtinet, cum daemon hominem ita occupat, ut fere omnis hominis ipsius cesset actio, quae tamen conditio plerumque non

est diuturna. Obsessionem diabolicam omnes, ut per se patet, ii negant, qui daemonum infitiantur exsistentiam; verum etiam ex iis, qui hanc concedunt, alii **a.** negant ejus possibilitatem; vel **b.** eam divinitus permitti non posse contendunt; vel **c.** factum non admittunt; vel denique **d.** facto admisso usque ad Christi mortem, ex Redemptoris de daemone victoria inferunt, obsessionem penitus modo cessasse. Contra quos totidem statuemus propositiones.

429. **Thesis CXXXIX.** ***De obsessione daemoniaca tenenda sunt: 1. eam esse possibilem, 2. cum divina sapientia providentiaque posse conciliari, eam 3. quondam obtinuisse atque 4. post Christi quoque tempora adhuc obtinere.***

Demonstratio p. I. *Obsessio daemoniaca est possibilis.* — Spiritus enim generatim agere possunt in corpus, ut patet ex anima illud informante; et vel ipsa elementa maxime subtilia, ut aër, lux, magnetismus etc. mire corpus afficiunt et phaenomena plane stupenda in eo producunt. Cum ergo daemon polleat virtute agendi magnaque sagacitate et experientia circa leges viresque naturae; nulla probabilis reddi potest ratio, quare ipse immediate vel saltem mediantibus naturae viribus producere phaenomena non possit obsessionis propria.

430. **Demonstratio p. II.** *Non adversatur divinae providentiae obsessionis permissio.* Etenim non repugnat divinae providentiae permissio morborum, tentationum, illusionum, persecutionum, seductionum etc., quae saepe multo plus corporibus animisque nocent, quam obsessio, atque teste Scriptura persaepe a daemone excitantur; imo si Deus incolumi sua sapientia et sanctitate permittit peccata, non adversabitur providentiae divinae permissio obsessionis daemoniacae, quae non est peccatum, ac plerumque re vix differt a quibusdam morbis.

Rationes autem, propter quas Deus permittit ejusmodi obsessiones, recenset Bonaventura in 2. dist. 8 p. 2 a. 1 q. 1: »Permittit autem hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem (cf. Joan. 9, 3), sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correctionem (cf. 1. Cor. 5, 3 ss), sive ad nostram eruditionem. Sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt Dei judicia; hoc tamen planum est, quod non sint injusta, et ideo non permittit talia sine causa.«

431. **Demonstratio p. III.** *Obsessionis factum tempore Christi negari nequit,* quin non solum inspiratio, sed etiam omnis fides historica evangelistarum in dubium vocetur. Et sane saepissime

1. mentio fit obsessorum a daemone Matth. 4, 24: *Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos et paralyticos, et curavit eos;* 8, 16; Luc. 8, 2. 27 etc., quibus in locis satis accurate obsessi distinguuntur ab aegrotis:

quibus tamen merito accensentur, quia obsessio est verum malum etiam physicum non secus atque epilepsia aliique morbi.

2. Diserte affirmatur Christum ejecisse daemonia Marc. 1, 34: *Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum:* Luc. 11, 14; morbos vero ejici non satis apte dicitur.

3. Christus alloquitur daemones, interrogat de nomine, increpat atque ut exeant praecipit; quae agendi ratio evidenter supponit daemonis in obsesso praesentiam: dedecuisset enim Christi gravitatem et veracitatem haec simulare tantum atque ita populum in falsa confirmare opinione. Luc. 8, 30: *Interrogavit autem illum Jesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intraverant daemonia multa in eum;* Marc. 9, 24: *Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.* Daemones vero exhibentur loquentes, clamantes, rogantes Christum etc. Matth. 8, 31 s.: *Daemones rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos* etc.

4. Denique aliis omissis Christus apostolis tradit potestatem ejiciendi daemones distinctam a charismate sanandi morbos, Matth. 10, 1: *Et convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem;* Marc. 16, 17. Quae cum non semel atque iterum, sed toties narrentur ab evangelistis, nisi sint vera, actum est de evangeliorum authentia.

432. Neve excipiatur, supposita narrationis evangelicae veritate, sequeretur exstitisse tempore Christi turbam obsessorum ingentem, qualis nunquam ante vel post ipsum exstitit, quod plane gratis affirmatur. Respondemus enim, ex evangeliis sequi quidem Christi tempore exstitisse plures obsessos, non tamen tantam multitudinem, quam forte sibi fingunt adversarii; neque deesse rationes admodum probabiles, quare id Deus permiserit. Idcirco scil. hoc permisit, ut vel ipsi daemones Christi imperio obsessorum corporibus expulsi testes fierent adventus Messiae; ut visibili daemonis expulsione clare demonstraretur, jam advenisse tempus, quo ejiceretur princeps hujus mundi, dissolvereutur ejus opera, redimeretur ex ejus servitute genus humanum. Cf. Alb. a Bulsano Instit. tbeol. II c. 3 a 7.

433. **Demonstratio p. IV.** *Post Christi mortem obsessio locum adhuc habet.* — Etsi enim devictus fuit morte Christi diabolus, nondum tamen penitus fracta est ejus potestas (cf. 1. Cor. 15, 21 ss.), et ideo permittitur non solum homines tentare, excitare tempestatem contra Ecclesiam, sed etiam subinde obsidere homines. Cujus facti argumentum est ipse exorcistarum ordo, qui a remotissima aetate in Ecclesia semper fuit; testes sunt, quotquot patres contra ethnicos scripserunt atque nominis crucisque Cbristi virtutem laudibus extulerunt, et tot conciliorum

decreta de energumenis edita. Cf. tom. I n. 92; et diss. daemon vel invitus testis divinae originis relig. christ. opusc. t. I et XI, 128 ss.

434. Sicut absolute negare obsessionis atque generatim infestationis daemonicae facta „procedit ex radice infidelitatis sive incredulitatis, quia non credunt esse daemones, nisi in aestimatione vulgi," ut docet s. Thomas in 4. d. 34 q. 1. a. 3: ita neque facile quis a daemone obsessus credendus est. Prae oculis habeantur verba ritualis romani tit. de exorcizandis obsessis: „In primis ne facile credat (exorcista) aliquem a daemone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis daemonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere, et id genus alia, quae cum plurima concurrunt, majora sunt indicia" etc.

435. *De magia.* — Tertium infestationis genus est magia. Nomine magi in genere is designatur, qui mira et insolita ceterorum hominum facultatem superantia efficere potest, et quidem vel ope notitiae virium naturalium, quae aliis sunt occultae, vel ope artis et dexteritatis, vel ope daemonis. Quod si primum obtinet, magia dicitur naturalis; si alterum, artificialis; si tertium, magia appellatur nigra. Alii hujus magiae possibilitatem vel factum simpliciter negant; alii concessa ejus possibilitate factum post Christi mortem infitiantur, vel saltem in dubium vocant; alii factum vel absolute vel inter certos tantum limites concedunt.

436. **Thesis CXL.** ***Distinctione facta inter crimen, factum et artem magiae, concedimus crimen et etiam factum magicum esse possibile, atque subinde contigisse vel contigere: sed magiae artem non putamus esse admittendam.***

Demonstratio. 1. Ut magiae crimen committatur, sufficit impius hominis conatus ope daemonis mira patrandi. Atqui tam mala voluntas atque conatus profecto est plane possibilis sive effectus sequatur, sive non sequatur. Possibile ergo est magiae crimen. Ejus vero non solam possibilitatem abstractam, sed factum testantur leges ab ipso Deo, deinde ab Ecclesia in magiam statutae, quae superfluae sunt, si neque reale, neque possibile est ipsum crimen.

2. Facta etiam seu eventus magici nequeunt revocari in dubium: imo Suarez statuit de virt. et statu relig. III l. 2 c. 14: „Haec assertio (dari magiam) est tam certa, ut sine errore in fide negari non possit." Nomine facti magici designamus quemlibet effectum ab homine ope daemonis productum. Fatemur quidem, nimia saepe peccatum fuisse credulitate; fatemur etiam, difficile saepe esse, effectum magicum ab effectu dicernere mere naturali: quocirca ultro approbamus Lucii Ferraris regulam in prompta bibl. sub v. superstitio n. 59, in dubio scil. factum aliquod tamdiu habendum esse naturale, quamdiu non probetur contra-

rium. Cum tamen facta magica esse possibilia negari nequeat, et tot facta a testibus fide dignis referantur, quae alio modo explicari vix possint, factorum magicorum exsistentiam in dubium vocare non licet; eoque minus quod sacrae literae sat clare ejusmodi factorum testantur exsistentiam, ut 2. Thess. 2, 9: *Cujus* (iniqui i. e. antichristi) *est adventus secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus;* Matth. 24, 24 : *Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Clarius etiam patres testantur, ejusmodi facta locum habere, atque insuper explicant, quomodo daemones possint patrare opera stupenda. Cf. Tertullianus Apol. c. 22 s.; Min. Felix in Octavio n. 26 s.; Augustinus de divinatione daemonum; Eusebius praepar. ev. II, 4 s. Cf. Baltus Réponse à l'histoire des Oracles de Fontenelle; e Suite de la Réponse à l'histoire des oracles p. 1 c. 14.

3. Ars vero magica non videtur tam facile admittenda. Hujus enim nomine intelligimus facultatem positis quibusdam signis effectus miros daemonis ope certo et constanter producendi. Atqui vix probabitur Deum daemonibus, qui sine ipsius permissione nil possunt (n. 426) semper permissurum, ut pro lubitu homines infestent atque omnibus impiorum conatibus in hominum damnum inserviant et obsequantur, quotiescunque scil. magis vel sagis certa determinataque adhibere libuerit signa. Haec deinde ars quandam daemonis supponit omnipraesentiam, liberrimum in res creatas dominium atque in promisso servando fidelitatem. Atqui haec supponi quidem gratis possunt, probari vero nequeunt. Ergo ars magica non videtur admittenda.

437. **Scholion.** *Ad facta magica revocari possunt plura phaenomena somnambulismi magnetici et artificialis, in primo vero spiritismi.*

I. Illius phaenomena magis singularia haec sunt: Intuitio clara rerum etiam occultarum vel maxime distantium oculis clausis; cognitio cogitationum; sensuum commutatio, qua v. gr. visus transfertur ad occiput vel epigastrium, auditus ad pedes etc.; elevatio facultatum intellectualium, adeo ut vel rudes calleant veritates metaphysicas subtilissimas, idiomata ignota; visio medica, vi cujus rudes accurate cognoscunt et dignoscunt aliorum morbos una cum remediis contra eosdem adhibendis; sensationum et affectionum communicatio, qua persona somnambula et magnetizata in se experitur aliarum personarum etiam maxime distantium affectiones, dummodo cum illis aliquo modo jungatur mediante re ad eas spectante, ut per capillos etc.; futurorum praevisio; exstasis, in qua audiuntur concentus plane miri, et angelorum animarumque locum habent apparitiones. — Phaenomena vero magis singularia spiritismi sunt vel phaenomena mechanica, cum corpora sponte sua miris modis moventur et circumaguntur etiam per aëra; vel luminosa, cum miri videntur splendores; vel acustica, cum omnis generis audiuntur soni; vel physiologica in corporibus; vel significativa, cum ad quaestiones propositas

pulsibus seu percussionibus certo numero editis responsa redduntur; aut cum manus personae, quae medium dicitur, virtute invisibili ducitur super alphabeti literas, e quibus responsionis coalescant verba; eut cum manus medii impellitur ad ea scribenda; aut si instrumentum aliquod inanime virtute invisibili motum eadem scribit. Praecipuum autem phaenomenon est evocatio spiritum, angelorum scil. et animaaum hominum defunctorum: qui spiritus comparent atque personam assumunt sanctorum, b. Mariae V., imo ipsius Christi, atque ad quaestiones propositas respondent ac pro auditorum ratione modo haeresim calvinianam, modo doctrinam catholicam, et si vis ipsam romani pontificis infallibilitatem tradunt plerumque tamen rationalismum purum putidumque naturalismum depraedicant. Cf. Perrone de virt. religionis p. 2 s. 2; Civilità cattolica 1864 ser. V t. 11 et 1885 ser. XII t. 9 pag. 544 ss.; Wieser Zeitschr. für kath. Theol. Oeniponti 1880 pag. 662 ss.; 1881 p. 85 ss.; Hagemann Spiritismus und seine Literatur in Handweiser 1880 Nr. 263; 1885 Nr. 376 s.; Schneider der neuere Geisterglaube, Paderbonae 1882; Gutberlet Der Spiritismus, Coloniae 1882 etc.

438. **II.** De plurimum saltem phaenomenorum veritate historica satis constat, etsi recentiori aetate ea magis iterum in dubium vocatur, mediorum quorundam famosorum fraude palam detecta. Confirmatur enim **a.** innumerorum hominum testimonio omnis nationis, conditionis, aetatis, professionis religiosae; **b.** a doctis etiam, a viris in ecclesiastica dignitate constitutis, quorum maximi intererat fraudes, mendacia, praestigias detegere; a testibus insuper **c.** qui illa facta prius negaverant atque irriserant. Confirmantur **d.** phaenomena saltem somnambulismi magnetici authentica relatione a deputatione facultatis medicae parisiensis post examen data opera et diligentissime per quinquennium (1826—1831) institutum edita. Neque **e.** fraus vel mendacium semper videtur possibile, cum facta sint publica, notoria, frequentia, quae ubique locorum in multorum contingant conspectu.

439. **III.** Si vero inquiratur horum phaenomenorum causa, statuimus

1. ea non posse proficisci tamquam a causa adaequata vel principali a fluido materiali, quodcunque demum fingatur; cum plura non solum attingant ordinem spiritualem, verum etiam manifesto prodant causam intelligentem et liberam, ut responsa ad quaestiones data. Neque eorum causa physica et immediata esse potest voluntas personae sive magnetizatae sive magnetizantis: quia hominis non est agere solo nutu atque producere effectus adeo miros, qui excedunt certo facultatem atque vires utriusque sat notas. Quod si sola voluntas alterutrius sufficeret ad ejusmodi producendos effectus, cur iidem non obstante conatu voluntatis saepe deficiunt? cur etiam effectus ab eo, qui intendebatur, contrarius locum habet? cur non semper pro lubitu hos producere potest effectus?

2. Neque horum effectuum causa physica et mediata esse potest voluntas humana, scil. mediantibus viribus, quae ejus subsunt nutui. Nam non potest homo alteri communicare, quo ipse prorsus caret, ut est notitia linguarum vel rerum, quas ipse penitus ignorat. Deinde tam is, qui magnetizat, quam is, qui magnetizatur, bene sibi conscius est, se non producere suis viribus hos effectus,

sed tantum se ponere conditiones quasdam, quae per se nullam habent proportionem ad illos effectus, quibus positis illi saepe quidem, non tamen semper, imo subinde etiam contrarii, sequuntur. Neque probabile est homini in sua natura praesto esse vires ad nutum ad tam mira phaenomena, quarum sibi maxima hominum pars per tot secula, imo annorum millia ne conscia quidem fuit. Quare poterit quidem homo esse causa mediata et moralis, praeter quam alia causa immediata, physica, intelligens, hominum nutui saepe obsequens est statuenda.

3. Haec causa neque Deus est, neque angeli boni sunt, ut patet. Credibile enim non est bonos angelos hominibus in rebus curiosis, inutilibus, puerilibus, indecoris etc. ad nutum servire, pravas inspirare doctrinas vel etiam aperte docere, aliorumque pravorum effectuum esse auctores.

4. Quare nil reliquum est, quam ut concludamus, horum phaenomenorum si non omnium, multorum certe, *daemonem esse causam.* Neque enim **a.** causa alia cum ulla probabilitatis specie assignari potest; daemon vero **b.** plane sufficiens et par est (posita Dei permissione) ejusmodi producendis phaenomenis, et Christus **c.** praedixit venturos esse pseudochristos et pseudoprophetas, qui daturi sint signa magna et prodigia ad decipiendos vel ipsos electos Matth. 24, 24, utique ope daemonis, ut colligitur ex 2. Thess. 2, 9 (n. 436[2]); et **d.** ipse effectus respondens hisce phaenomenis, contemptus religionis christianae, ejusmodi causam prodit. Auctoritate etiam patrum **e.** constat, olim similia contigisse phaenomena, quae adscribere solebant daemoni.

Ita ex gr. scribit jam Tertullianus Apol. c. 23 n. 92: »Porro si et magi phantasmata edunt, et jam defunctorum infamant animas (quando scil. animae virorum celebrium ad nutum sagae nefariae excitantur vel excitari simulantur), si pueros in eloquium oraculi elidunt (incantant, ut corruant velut caduci, in quo dein statu plura praesagire solebant), si multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt, si et somnia immittunt, habentes semel invitatorum angelorum et daemonum assistentem sibi potestatem, per quos et caprae et mensae divinare consuerunt: quanto magis ea potestas de suo abitrio et pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienae praetat negotiationi?« Cf. alia patrum testimonia in diss. cit. opusc. t. I. et XI, 128 ss. an. Factum mirum iisque simile, quae nostra contingunt aetate, refert Am. Marcellinus rerum gestarum XXIX, 1. Cf. Thomas c. gentes III, 104.

Et sicut **f.** olim daemones ejusmodi operantes praestigias a christianis adjurati nequitiam suam sunt fassi, ita nec modo desunt ejusmodi exempla. „Non semel enim spiritus illi, qui magis boni et graves videbantur, quique se doctrinae orthodoxae propugnatores exhibebant, postea a Deo ipso compulsi fateri debuere, se fuisse deceptores atque ad fallendum compositos sermones suos intexuisse, ut auditoribus dominarentur atque hos ad malum inducerent. Alii vero, qui pariter se finxerunt hactenus sanctos, deinde ex contactu objectorum sacrorum aut aquae lustralis aspersione patefecerunt, quinam reipsa essent, mendaces nempe

ac deceptores." Ita Perrone c. 6 prop. 4 n. 784. Quibus omnibus expensis non temere affirmatur, somnambulismum magneticum et spiritismum, si secundum potiora eorundem spectentur phaenomena, instaurationem esse superstitionis et magiae paganae, quae praesertim ante Christi adventum religionisque christianae per orbem propagationem viguit et modo invalescente iterum incredulitate et multorum a Deo apostasia reviviscere incipit, forma quidem nonnihil immutata et ad urbanitatem quandam redacta. Digna poena, ut qui prae superbia Deo, cui servire regnare est, obsequi nolint, mancipia fiant atque ludibrium daemonum.

Tractatus VII.

De Deo incarnato.

440. „Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo praeterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum: et imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum et curam ejus egit (Luc. 10, 30 ss.)." Haec, quae parabolam referre videntur, paucis adumbrant, quae disputatione praecedente fuse demonstravimus quaeque in hac atque in sequenti dicemus. Homo enim ille, si patrum [1]) audimus interpretationem, non est alius atque Adamus, qui ex felicissima conditione, qua in paradiso fruebatur, redactus est in miserum praesentis vitae statum incidens in daemonis insidias, quo lapsu donis supernaturalibus spoliatus atque ablatis donis praeternaturalibus multiplici affectus fuit vulnere (n. 301 ss.). Lapsum genus humanum neque lex, neque prophetae erigere valuerunt. Quod cum videret unigenitus Dei Filius, misericordia motus est, atque appropians i. e. accedens, descendens assumptione naturae humanae, qua semetipsum exinanivit, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut

---

[1]) Speciminis gratia sint haec, quae jam Origenes ex commentario cujusdam presbyteri hom. 34 in Lucam refert: »Ajebat quidam de presbyteris volens parabolam interpretari, hominem qui descendit esse Adam: Jerusalem, paradisum; Jericho, mundum; latrones, contrarias fortitudines; sacerdotem, legem; levitam, prophetas; samaritem, Christum; vulnera vero inobedientiam; animal, corpus Domini; pandochium, id est, stabulum, quod universos volentes introire suscipiat, Ecclesiam interpretari. Porro duos denarios, Patrem et Filium intelligi; stabularium Ecclesiae praesidem, cui dispensatio credita est. De eo vero, quod samarites reversurum se esse promittit, secundum Salvatoris figurabat adventum.« Cf. praeclaram parabolae expositionem apud Wiseman Abhandl. über verschiedene Gegenst. I, 3, 1.8 ss., Regensburg 1854.

homo, summa sollicitudine nostri gessit curam, vulnera sanavit, ablata bona supernaturalia restituit atque ita Adami reparavit ruinam.

441. *Disputationis partitio.* — Lapsum humani generis consideravimus, consideremus modo ejus reparationem per Verbi incarnationem. Universa autem doctrina de incarnatione [1]) ad duo apte revocari potest capita, ad Christologiam scil. et ad soteriologiam; quorum illud Verbum incarnatum in se, personam boni samaritani seu Redemptoris, alterum ejus opus in hominum salutem susceptum seu ipsam redemptionem contemplatur. Doctrina vero de Christo apte iterum sex in capita dispescitur, quorum quatuor ex incarnationis analysi sponte sua eruuntur, alia duo complementi instar ad uberiorem tanti mysterii inseruntur illustrationem. Considerare enim possumus

1. personam divinam, quae visibilem assumpsit naturam;
2. naturam, quam unigenitus Dei Filius assumpsit;
3. unionis rationem personam assumentem inter naturamque assumptam;
4. ea quae unionem sponte sua consequuntur. Expendemus insuper
5. incarnationis convenientiam, necessitatem, possibilitatem, atque
6. quaecunque spectant ad b. Mariam V., ex qua carnem sumpsit Verbum. Incipiemus tamen a capite quinto, cum illud introductionis instar sit ad priora plenius et melius intelligenda.

PARS I.

Christologia.

Caput I.

De incarnationis convenientia, necessitate et possibilitate.

442. **Thesis CXLI.** ***Incarnationis mysterium undique est conveniens.***

Demonstratio. „Si quis diligenter, inquit ad rem s. Thomas c. gentes IV, 54, et pie incarnationis mysteria consideret, inveniet tantam sapientiae profunditatem, quod omnem humanam cognitionem excedat,

[1]) De variis incarnationis nominibus cf. Petavium de incarnatione II, 1. Inter haec apud veteres frequens est oeconomiae (latine dispensatio) appellatio, cujus multiplex est acceptio. Adhibetur enim 1. de Deo ad oppositionem τῆς μοναρχίας unitatis, atque ita refertur ad Trinitatem personarumque ad invicem relationem et ordinem Significat 2. providam rei alicujus administrationem ac gestionem, hinc etiam omnia, quae Deus in nostram ordinavit salutem; vel 3. illam agendi rationem, qua quis se aliis accommodat, de suo jure decedit, seque demittit atque in alterius utilitatem agit, quod alioquin facere non deberet: quo duplici sensu aptissime incarnatio oeconomia dicitur. Denique 4. oeconomia subinde designat humanam Christi naturam quatenus distinguitur a divina; hinc doctrina de Christo solet quandoque distingui in theologiam et oeconomiam.

secundum illud Apostoli, *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (1. Cor. 1, 25); unde fit, ut pie consideranti semper magis ac magis admirabiles rationes hujusmodi mysterii manifestentur." Cum autem has congruentiae rationes patres saepissime fidelium considerationi proponant diligenterque evolvant, cumque plurimum lucis ex iis redundet in universam de Christo redemptionisque opere doctrinam, non inutile erit in iis investigandis exponendisque accuratius aliquantulum immorari.

443. **I.** *Incarnationem divinae bonitati fuisse consentaneam*

1. ea consideratione suadetur, qua utitur s. Thomas 3. p. q. 1 a. 1, de ratione scil. boni esse, aliis se communicare. Cum ergo Deus infinita sua bonitate permotus ita profuderit suas divitias, ut creatione hominem fecerit sui capacem, elevatione filium adoptivum, glorificatione sui possessorem: alienum ab eo censeri non debet, si suprema omnium sui communicatione, unione scil. hypostatica, ita se communicarit naturae humanae, ut persona eadem Deus simul esset et homo. Quam considerationem sublimiter evolvit Scheeben Mysterien § 55 ostendens, incarnationem cum suis consectariis splendidam esse manifestationem processus trinitarii interni ac velut ad extra protensionem.

2. Id Deo admodum est conveniens, quo quam splendidissime ipsius manifestantur perfectiones. Sed quamvis coeli enarrent gloriam Dei (Ps. 118, 2), revelatione patriarchis facta humanitas Dei illustrior apparuerit: summo splendore hoc mysterio divinae refulgent perfectiones.

a. Elucet enim in eo Dei omnipotentia; nam incarnatio, ut notat Thomassinus de incarn. I, 1 § 4, »coacervatio quaedam est impossibilium. Quid enim ex hominum non de trivio imperitorum, sed de lyceo, sed de academia philosophorum judicio magis impossibile, quam Deum hominem fieri, aeternum nasci, immortalem mori, incommutabilem pati, mortuum reviviscere, virginem matremque eandem esse? . . . Haec argumenta sunt multo admirabiliora, quam vel coelos fabricare, vel illuminare sidera, vel fundare terram; haec enim omnia quasi ludibundus effundit, haud magno sane nisu et pronissimo naturae tum suae tum creatae ingenio.« Et n. 7: »Si omnipotentia Dei daemones frangat, homines restauret, fidem et stuporem extorqueat, minus id quidem mirum est; quis enim inexsuperabili potestati aut certare aut obstrepere audeat? At potentius vincet, si sua se potestate exuat et vincat tamen: si infirmitate se succingat, et perinde vincat. Etenim ut argumentatur Apostolus 1. Cor. 1, 25 s., si infirmum Dei potentius sit hominibus et daemonibus, tum demum Deus ineffabiliter omnipotens est: si humilitate regnet, si exinanitione repleat, si paupertate opulentet; si morte vitam spiret, si cruce mortem subigat; si stultitia sapientiam domet, si per ludibria admirationem cieat, si per imperitos philosophiam expugnet: tum demum ineffabiliter omnipotens erit. At haec omnia per incarnationem praestitit.« Quare more suo audacter scribit Tertullianus de carne Christi c. 5: »Natus est Dei Filius: non pudet, quia pudendum est; et mortuus est Dei Filius: prorsus credibile est, quia ineptum est; et sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile.« Cf. pul-

cherrimus rhythmus Alani ab Insulis Mig. 210, 577; Lessius, qui de div. perf. XII, 5 egregie mirabilia incarnationis expendit.

b. Refulget in hoc mysterio bonitas, quam in eo contemplandam sistunt Scripturae Joan. 3, 16: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* 1 ep. 4, 9: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum;* Rom. 5, 8 s.: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Consideretur scil. quid, quibus, quomodo datum sit, quanta nimirum Dei effusione et conjunctione cum hominibus: sine horum meritis, cum magnis suis expensis 1 Petr. 1, 18 s. Tantam Filii bonitatem admirans s. Bernardus scribit de dilig. Deo c. 5 n. 15: »Non tam facile refectus sum, quam factus . . . *Dixit et facta sunt* (Ps. 148, 5). At vero, qui me tantum et semel dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna, *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi* (Ps. 115, 12)? In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem quid sum ego ad Deum?« Et serm. 1 in Epiph. belle dicit: »Quanto minorem se fecit in humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate; et quanto pro me vilior, tanto mihi carior est«. Serm. 11 in Cant. n. 7. — Et s. Ambrosius de Jac. et b. vita I. 6: »Tantum fuit Domino studium tuae salutis, ut propemodum de suo (Filio) periclitaretur, dum te (servum fugitivum) lucraretur«. Cf. in Lucam l. 2 n. 41.

c. Refulget in mysterio incarnationis summa Dei justitia, quod noluit peccatum relinquere impunitum, quod exegit tantam victimam, quod in liberando non egit pro lubitu, non usus est sola potestate, sed justitia. Quam justitiam et aequitatem in redemptione servatam duplici modo exponunt patres, et quidem vel ita cum Bernardo ep. 190 ad Innocentium II. c. 6 n. 15: »Venit princeps hujus mundi, et in Salvatore non invenit quidquam: et cum nihilominus innocenti manus injecit, justissime quos tenebat, amisit: quando is, qui morti nihil debebat, accepta mortis injuria, jure illum, qui obnoxius erat, et mortis debito et diaboli solvit dominio.« — Ita et Theodoretus or. 10 de provid.: »Divina lex peccatores morti tradidit: tu vero (diabolum alloquitur) etiam peccati expertem mortis vinculis tradidisti: cumque unum injuste ceperis, omnibus simul subditis juste spoliaris.« Leo M. serm. 22 c. 4 opusc. XIV, 69. — Vel ita cum Joanne Damasceno de F. O. III, 1 et 18 n. 82: »Homo quippe factus est (Dei Filius), ut quod victum fuerat, vinceret. Haud enim ejus imbecillitatis erat ille, qui omnia potest, quin omnipotenti sua virtute hominem ex tyranni dominatu eripere valeret. Verum tyrannus querelae occasionem habuisset, si postquam hominem ipse vicerat, illata vi a Deo spoliatus esset. Quocirca Deus pro sua misericordia et erga homines benevolentia homo fit, quo simile similis opera instauret.«

d. Mirantur patres in sacramento incarnationis Dei sapientiam, quae modum excogitavit, ut misericordia et veritas in cruce obviaverint sibi, justitia et pax osculatae sint (Ps. 84, 11); praesertim vero mirantur modum, quo diabolus fuit deceptus, captus, atque idcirco juste spoliatus captivis, quos ante in suam redegerat potestatem. Ita ex. gr. Gregorius M. disputat hom. 25

in Ev. n. 8: »In hamo esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo (Leviathan i. e. diabolum) Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius unigenitum Filium incarnatum misit, in quo et caro passibilis videri posset et divinitas impassibilis videri non posset. Cumque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit . . . Quasi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo esca carnis patuit, quam devorator appeteret; et divinitas passionis tempore latuit, quae necaret. In hamo ejus incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quae ad se devoratorem duceret; ibi divinitas, quae perforaret; ibi aperta infirmitas, quae provocaret; ibi occulta virtus, quae raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit, unde momordit. Et quos jure tenebat mortales, perdidit, quia eum, in quo jus non habuit, morte appetere immortalem praesumpsit « Gemina patrum effata cf. opusc. XI, 209 a. Elucet etiam Dei sapientia, quod nihil excogitare potuit efficacius Verbi incarnatione ad excitandum hominum studium illudque impensum omnis virtutis, amoris ferventissimi erga Deum usque ad profusionem sanguinis, caritatis erga proximum usque ad immolationem sui, zeli apostolici pro salute animarum, humilitatis, mortificationis etc. Cf. Petavius II, 5; Thomassinus I, 7 ss.

444. **II.** Supposito incarnationis decreto, conveniens fuit, *ut* ex tribus personis divinis *Filius incarnaretur,* cujus congruentiae plures rationes proponuntur a patribus, quas paucis complectitur s. Bonaventura Brevil. IV, 2: „Mediatoris est esse medium inter hominem et Deum, ad reducendum hominem ad divinam cognitionem, ad divinam conformitatem et ad divinam filiationem. Nullum autem magis decet esse medium, quam personam, quae producit et producitur, quae est media trium personarum; nullumque magis decet reducere hominem ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo se Pater declarat, quod est unibile carni, sicut et verbum voci; nullumque etiam magis decet reducere ad divinam conformitatem quam eum, qui est imago Patris; nullum magis decet ad filiationem adoptivam reducere quam Filium naturalem; ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis, quam ipsum Filium Dei."

Cf. Thomas 3. p. q. 3 a 8; c. gentes IV, 42 J. Damascenus de Trin. n. 1 ad quaestionem: »Qua de causa Filius homo factus est, non Pater, nec Spiritus,« aliam rationem reddit: »Pater est Pater, non Filius: Filius est Filius et non Pater: Spiritus s. est Spiritus et non Pater, nec Filius. Proprietas enim dimoveri non potest: aut quomodo esset proprietas, si dimoveretur vel recideret? Eapropter Filius Dei etiam Filius hominis fit, qui ex s. Virgine incarnatus est, nec tamen a filiali proprietate discessit.« Quam rationem probat Anselmus de fide Trinit. c. 5; cur Deus homo l. 2 c. 9. Cf. pulcherrime disserentem s. Bernardum serm. 1 in adv. Dom.; Scheeben loc. c.

445. **Scholion.** Plura a theologis quaeruntur: **1.** Num natura divina, quae tribus personis est communis, potuerit incarnari: quod merito plures negant (adversus Scotum, Richardum, Durandum, Suarez etc.): quia natura divina, quatenus consideratur praecisione facta a tribus personis in quibus subsistit, nullam habet propriam subsistentiam, secundum quam

solum possibilis est Dei incarnatio; si vero consideratur ut subsistens et identificata cum tribus personis, relabimur in sequentem quaestionem.

2. Quaeritur, num tres personae potuerint assumere unam eandemque naturam humanam vel angelicam. Negat Anselmus l. 2 cur Deus homo c. 9 et de fide Trin. c. 4 (cum Scoto); affirmat Thomas 3 p. q. 3 a 6 cum pluribus scholae theologis, adeo ut de Lugo de incarn. d. 12 s. 6 sententiam affirmantem dicat communem (ipse tamen in sententiam negantem propendet); judicium suspendit Petavius III, 1 § 6 s. Negans sententia videtur praeferenda ex ratione, quam innuimus n. 201.

3. Quaeritur, num singulae personae divinae potuerint assumere naturam cieatam. Videtur id esse cum s. Thoma affirmandum. Etsi enim conveniens fuit ut potius Filius incarnaretur, quam alia persona: ratio possibilitatis incarnationis non est filiatio sed infinita perfectio divinae personalitatis. Haec autem ex aequo convenit tribus personis: nulla ergo videtur esse ratio, quare Pater et Spiritus s. non potuerint καθ' ὑπόστασιν uniri naturae alicui creatae.

4. Quaeritur, num una eademque persona divina duas pluresve potuerit assumere naturas. Affirmative respondet Thomas l. c. a. 7. Cf. Becanus p. 3 theol. scholast. c. 4. Ratio videtur, quod perfectio personalitatis divinae, qua potest praeter naturam propriam aliam assumptam sustentare, non exhauritur una natura humana.

5. Quaeritur, num persona divina potuerit assumere naturam irrationalem? respondet Thomas in 3 dist. 2 q. 1 a. 1 qcl. 1: »Loquendo de potentia absoluta Deus potest assumere quamcunque creaturam vult. Unde secundum hoc non est una creatura magis assumptibilis quam altera. Loquendo autem de potentia ordinata, illam creaturam assumere potest, quam congruit eum assumere ex ordine suae sapientiae. Unde illa creatura dicitur assumptibilis, in qua hujusmodi congruitas invenitur. Invenitur autem in humana natura congruitas prae aliis quantum ad tria, quae in assumptione requiruntur. Primo quantum ad similitudinem unibilium . . . Secundo quantum ad terminum assumptionis: terminatur enim assumptio ad unitatem personae, personalitas autem non reperitur in irrationalibus naturis . . . Tertio quantum ad finem assumptionis. Si enim perfectio universi dicatur assumptionis finis praecipuus, ut quidam dicunt, nulla natura particularis assumi potuisset, per quam universum ita perfici posset sicut per assumptionem humanae naturae, tum quia homo est ultima creaturarum . . . tum etiam quia in homine quodammodo omnes naturae confluunt . . . unde homine unito, quodammodo omnis creatura unita est. Si vero finis assumptionis ponatur liberatio a peccato, sic etiam sola humana natura congrue assumi potuit, quia in creatura irrationali peccatum non erat etc.«

6. Quaeritur, num solius personae divinae sit aliam naturam hypostatice assumere. Affirmative est absque dubio respondendum, si natura assumenda est rationalis. Tuentur enim patres solius Dei esse illabi, immeare spiritum creatum eumque replere. Atqui in hypostatica unione hypostasis naturam aliam assumens ei illabi eamque replere debet, ut eam sibi tamquam propriam asserere possit. Minus certa res, si agitur de assumenda tantum substantia materiali. Cf. Scheeben Handb. l. 5 n. 462.

7. Quaeritur utrum **unica** statuenda sit incarnatio, an admitti possit, Verbum aliam forte naturam alicubi hypostatice assumpsisse. Statuenda est prorsus unica assumptio hypostatica naturae creatae. Nam non solum altum de alia quadam incarnatione silentium in antiquitate universa christiana; verum etiam ita extollitur incarnationis excellentia, vi cujus Christus est omnium caput et dominus, *qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia* Eph. 4, 10, ut omnis alterius incarnationis necessitas, convenientia, scopus et fructus excludatur. Cf. Katholik 1886. II, 449.

446. **III.** Lapsi sunt angeli, lapsi sunt homines omnes in Adamo: jam vero si Deus non utrorumque, sed alterutrorum tantum misereri decrevit, *conveniens fuit, ut potius genus repararet humanum,* quam angelos redimeret. Hujus convenientiae rationes cf. n. 416.

447. **IV.** Praeclaras vero rationes reddunt patres, quare *Dei Filius,* volens suo piissimo adventu consecrare mundum, *naturam elegerit assumpseritque humanam;* imo in iis indagandis sunt plane sagaces et in iis declarandis diserti.

1. Voluit scil. nostram induere naturam »ut quod victum fuerat vinceret« scil. daemonem, ut supra docentem audivimus Damascenum (n. 443[c]).

2. Huic affinis est ratio Theophanis, cognomento Κεραμεύς hom. 3: »Serpens non modo letale venenum habet, sed etiam pharmacum letalis propulsandi veneni vi praeditum, quod ex serpentum carnibus medici ad remedium conficiunt. Sic ex Adami natura mortali proprium corpus Dei sibi Verbum elaboravit, quod et mortem e medio tollere posset.«

3. Voluit nostram assumere naturam, ut veluti bonus medicus nobiscum infirmaretur; »nam medicus, inquit Petrus Chrysologus serm. 50, qui non fert infirmitatem, curare nescit: et qui cum infirmo non fuerit infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem;« ut redderetur nobis plane familiaris secundum illud Pauli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (1 Cor. 9, 22). — Quare Tertullianus adv. Marcionem II, 27: »Deum non potuisse, inquit, humanos congressus inire, nisi humanos sensus et affectus suscepisset, per quos vim majestatis suae intolerabilem utique humanae mediocritati humilitate temperaret sibi quidem indigna, homini autem necessaria, et ideo jam Deo digna: quia nihil tam dignum Deo, quam salus hominis.« — Quod pulchre Chrysostomus ex Moysis facto illustrat, qui rediens ad filios Israel post colloquium cum Domino, suam velabat faciem, quod illi ipsius faciei splendorem ferre non possent. »Si enim, inquit hom. 1 de prophet. obscurit. n. 6 (Mig. 56, 171), servi gloriam, quae illi postea obvenit, cernere non potuere judaei, quo pacto nudam postea divinitatem videre potuissent?« — »Quia homo, inquit s. Thomas in op. 15 de humanitate Chr. a. 1, per peccatum corruit in infirmitatem, ignorantiam et malitiam, per quae ineptus factus est ad virtutem divinam imitandam, ad veritatem cognoscendam et ad bonitatem diligendam: ideo Deus homo factus est, per quod se tradidit homini imitabilem, cognoscibilem et amabilem.« — Quam Verbi attemperationem Augustinus saepe extollit atque miratur et praeclare illustrat similitudine scribens tr. 98 in Joan. n. 6: »Nam et in ipsis, quae sumimus, alimentis, usque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse

lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem: sicut etiam fecit mater ipsa Sapientia, quae cum sit in excelsis angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14).« Et iterum in Ps. 33 enarr. 2 n. 6: »Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1). Ecce cibus sempiternus: sed manducant angeli, manducant supernae virtutes, manducant coelestes spiritus, et manducantes saginantur, et integrum manet, quod eos satiat et laetificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret et ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans: sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per humilitatem mamillae et lactis succum de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Ibid. v. 14). Videte ergo humilitatem: quia panem angelorum manducavit homo, ut scriptum est: *Panem coeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo* (Psal. 77, 24): id est, Verbum illud, quo pascuntur angeli, sempiternum, quod est aequale Patri, manducavit homo: quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo.* Saginantur illo angeli: *sed semetipsum exinanivit,* ut manducaret panem angelorum homo, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo; humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philipp 2, 6—8): ut jam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini novum sacrificium.« — Et Augustini premens vestigia Bernardus in Cant. serm. 35 n. 3: »Erat illi (Adamo innocenti) sors et societas cum plebe angelorum et cum omni militia coelestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis foenum. Inde est, quod panis angelorum factus est foenum positum in praesepio, appositum nobis tamquam jumentis. *Verbum quippe caro factum est;* et juxta prophetam, *omnes caro foenum* (Is. 40, 6).« Cf. Scheeben die Mysterien § 54; Stentrup th. 134.

4. In primis voluit Verbum homo fieri, ut exemplo nobis praeiret. »Itaque Filius Dei, inquit ad rem Augustinus de agone christ. c. 11, hominem (i. e. singularem humanam naturam) assumpsit, et in illo humana perpessus est. Haec medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quae superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quae avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quae iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? Quae impietas sanari potest, si caritate Filii Dei non sanatur? Postremo quae timiditas sanari potest, si resurrectione corporis Christi Domini non sanatur? Erigat spem suam genus humanum, et recognoscat naturam suam, videat quantum locum habeat in operibus Dei . . . Quem dignatur imitari vitiosa jactantia, ut ad virtutem percipiendam possit adduci, si erubescit imitari eum, de quo dictum est, antequam nasceretur, quod Filius Altissimi vocabitur (Luc. 1, 32)? . . . O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem!« Et tract. 25 n. 16 in Joan. scribit: »Ut ergo causa omnium morborum curaretur i. e. superbia, descendit et humilis

factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. *Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.*" Quam rationem ab exemplo derivatam urget Lactantius div. instit. IV, 23 inter alia scribens: »Vides ergo, quanto perfectior sit mortalis doctor, quia dux mortali esse potest, quam immortalis? quia patientiam docere non potest, qui passionibus subjectus esse non potest.« Huic et praecedenti rationi suffragantur verba Pauli Hebr. 2, 14 ss.

5. Non solum excitamur incarnationis mysterio ad fugam peccati, quod tanto remedio fuit sanandum, omnisque virtutis exercitium, sed ad tolerantiam malorum, quibus abundat praesens vita et quae incarnatione nobilitata pretioque plane inexstimabili superfusa fuere. Speciatim incarnatione promovetur fides; quis enim tanto magistro caro facto libenter non se subjiciet; fovetur spes, si enim Deus *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Accenditur amor et fervor (n. 443[b]); de quo fructu piissima sunt s. Bernardi verba serm. 29 de div. n. 2: »Sane, inquit, ad affectuosum . . . cordis amorem plurimum valet incarnationis Christi cogitatio, sed et totius dispensationis, quam gessit in carne, et maxime passionis. Videns enim Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne, ut durissimi cordis sit, quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare: si, inquit, invitum coëgero, asinum habebo, non hominem: quandoquidem non libens veniet, nec spontaneus ... Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, si forte convertatur et vivat. Et comminatus est acerbiora, quae excogitari possunt . . . Cum autem nec sic homo revocaretur, ait: Non solum timidus, sed etiam cupidus est: promittam ei quod potissimum desiderabile videatur . . . Promisit itaque vitam aeternam: promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, 9). Videns autem quod nihil proficeret: Unum, inquit, restat adhuc. Inest homini non solum timor et cupiditas, sed et amor, nec quidquam in eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in carne, et tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet caritatem, qua majorem nemo habet, ut animam suam daret pro nobis. Quisquis sane nec ob hoc quidem converti voluerit, nonne merito audiet: *Quid debui facere tibi, et non feci* (Is. 5, 4)?« Cf. Augustinus de catechiz. rud. c. 4; Ivo carnot. s. 6 et 15 (Migne 162, 562 s.).

6. Singularis est ratio, quam Cyrillus hierosol. paucis innuit cat. XII, n. 15: »Relinquentes homines Deum fabricaverunt humanae formae idola. Cum igitur humanae formae figmentum Deus mendaciter adoraretur, Deus vere homo factus est, ut solveret mendacium«. — Quam rationem paulo secus sed forte melius proponit s. Thomas in opusc. 3 seu declarat. quorund. art. c. graecos etc. c. 5: »Deinde quod homo habens intellectum et affectum ad corporalia depressum, ad ea quae supra se sunt de facili elevari non poterat. Facile autem est homini cuilibet, ut alium hominem diligat et cognoscat: sed considerare divinam altitudinem et in eam ferri per debitum amoris effectum non est omnium hominum, sed eorum, qui per Dei auxilium cum magno studio et labore a corporalibus ad spiritualia sublevantur. Ut ergo omnibus pateret via ad Deum, voluit Deus homo fieri, ut etiam parvuli Deum cognoscere et amare possent et paulatim proficerent ad perfectum.« Hinc Christus se ipsum dixit viam Jo. 14, 6 et patres eum exhibent ut viam ad Patrem.

7. Denique aliis praetermissis eximiam rationem reddit Lessius de div.

perf. XII, 4: »Fuit iste modus congruentissimus perfectioni totius universi ... quia homine assumpto, totum universum quodammodo assumptum et divinitati connexum est. Nam in homine quodammodo est tota rerum universitas, quatenus in eo sunt omnes rerum gradus (cf. n. 288). Unde et μικρόκοσμος dictus est a philosophis. Itaque omnes rerum gradus in illo assumpti. Tum quia totum universum accepit caput et rectorem sibi congruentem, nempe homogeneum ac ejusdem naturae, sive natura corporea spectetur sive incorporea. Tum quia sic universo additus est supremus gradus communionis divinae. Cum enim antea solum constaret gradu naturae et gratiae, accessit gradus unionis hypostaticae, qui omnium est excellentissimus.« Hinc intelligitur, quam miro modo incarnationis mysterio omnia in Deum, universorum finem et apicem, revocentur. Omnia enim vergere debent in hominis utilitatem (n. 264[2]), homines (saltem regeniti) membrorum instar revocantur ad Christum caput; Christus ipse in gloriam est Patris. Quae praeclarissime expressit Paulus illis verbis: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei* (1. Cor. 3, 22). Cf. s. Thomas in expos. symb. n. 14 op. VI, et supra 445[5].

448. **V.** *Verbum, naturam humanam,* qua indui voluit, *assumpsit ex b. Maria V.*, cujus consilii plures reddunt patres rationes. Voluit Verbum teste Augustino ep. 3 de femina nasci

1. quod partus ex femina validum est argumentum, se vere nostram induisse naturam. Si enim non obstante ejus ex virgine nativitate multi de veritate carnis assumptae dubitarunt: nonne cum majori veri specie illam in dubium vocassent, si carnem secum coelitus detulisset?

2. „D. J. Christus, inquit Augustinus de agone christ. c. 22, qui venerat ad homines liberandos, in quibus et mares et feminae pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem suscepit, nec feminam, quia de femina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur." Ita ex Maximus taurinensis h. 15: „Nascitur Christus ex femina, ut sicut Adam decipientem per Evam diabolum non potuit praecavere, ita diabolus adventantem per Mariam Deum non deprehenderet esse praesentem. Parturit ergo femina salutem mundi, ut quae exstiterat fomes iniquitatis, fieret ministra justitiae, et per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum. Atque ut ostenderet Creator humani generis utriusque sexus curam se habere et utrumque velle salvare, vir nascitur et procedit ex femina, quatenus adverteremus nullam esse apud Deum inter virum et feminam in percipienda salute distantiam [1])."

---

[1]) Quare pulchre auctor carminis adv. Marcionem l. 1 c. 4:
Sponsa virum necuit, genuit sed sponsa leonem:
Virgo viro nocuit, sed vir de virgine vicit etc.

3. Idcirco de femina voluit nasci, ut nobis secundum omnia similis fieret, excepto peccato; ut vere esset ex genere nostro atque ita aptissimus mediator, qui sanguinis vinculo conjunctus cum humano genere damnationi obnoxio causam nostram in se susciperet, atque satisfactione oblata nos secundum carnem fratres Patri coelesti, utpote innocentissimus dignissimusque, reconciliaret.“ Cf. Thomas 3. p. q. 31 a. 4.

449. **Scholion.** *Incarnatio Deum non dedecet.* — Gentiles et increduli, ex haereticis vero omnes, qui infitiantur veritatem corporis seu naturae humanae a Verbo assumptae, hoc duplici praesertim offenduntur fidei articulo, quo Verbum incarnatum natumque ex Virgine profitemur. Putant enim carnis vilitatem partumque ex muliere quam maxime dedecere Dei majestatem. Quapropter patres in suis contra veritatis christianae adversarios libris nulli parcunt diligentiae, ut rationibus atque analogiis maculam omnem ab hisce excludant mysteriis. Saepe apud illos recurrit similitudo, qua s. Augustinus utitur de fide et symb. n. 10, ex radiis solis deprompta: »Debent igitur intueri, qui hoc putant (manichaei), solis hujus radios, quem certe non tamquam creaturam Dei laudant, sed tamquam Deum adorant, per cloacarum foetores et quaecunque horribilia usquequaque diffundi, et in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior: quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de femineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cum regit corpus atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur. Quod si animae maculas illi vitare vellent, haec mendacia potius et sacrilegia formidarent.« — Rufinus alia non minus egregia comparatione utitur. »Si quis, inquit in symb. ap. 12, videat parvulum in profundo coeni necari, et ipse, cum sit vir magnus et potens, extremum, ut ita dixerim, ingrediatur coenum, ut parvulum liberet morientem, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti: an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro?« Quae comparatio fusius instituitur in actis s. Sebastiani M. c. 13 (Mig. 17, 1040 s.). Scite vero Tertullianus c. Marc. III, 10: »Si ad certum spectamus, nulla substantia digna est, quam Deus induat. Quodcunque induerit, ipse dignum facit.« Cf. in primis Gregorius nyss. or. catech. cc. 9. 15. 16. 27. 28.

450. **VI.** *Neque tempori*, quo hoc peractum est mysterium, *sua deest congruentia.* Si enim a patribus quaerimus, quare tam sero Verbum venerit, respondent, Dominum voluisse, ut humanum genus tot seculorum experientia disceret morbi magnitudinem et gravitatem, propriam infirmitatem, miseriam et impotentiam: ut velut filius prodigus, qui ipsius gerebat personam, eo avidius expeteret remedium, eo gratius acceptaret beneficium eoque cupidius acciperet reconciliationis gratiam. Quod ita expressit s. Bonaventura: Brevil. IV, 4: »Nullus quaerit medicum, nisi recognoscat morbum; nullus quaerit doctorem, nisi recognoscat se ignorantem; nullus quaerit adjutorem, nisi recognoscat se impotentem. Quia igitur homo in principio sui lapsus adhuc su-

perbiebat de scientia et virtute, ideo praemisit Deus tempus legis naturae, in quo convinceretur de ignorantia. Et post, cognita ignorantia, sed permanente superbia de virtute . . . addidit legem praeceptis moralibus erudientem et caeremonialibus aggravantem, ut habita scientia et cognita impotentia confugeret homo ad divinam misericordiam et gratiam postulandam, quae data est nobis in adventu Christi. Et ideo post legem naturae et Scripturae subsequi debuit incarnatio Verbi.« — Addit s. Augustinus tr. 31 in Joan. n. 5: »Primo per multam seriem temporum et annorum praedicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat praedicendus, semper tenendus. Quanto major judex veniebat, tanto praeconum series longior praecedebat.« Cf. de praedest. SS. c. 9 col. Retract. II, 31 opusc. XXXVI, 54 ss.; s. Leo, qui serm. 3 in nativ. Dom. egregie hac de re disserit; s. Thomas 3. p. q. 1 a. 5 ss.; auctor ep. ad Diognetum c. 9 opusc. XV; Rob. Pullus sentent. l. 3 c. 1. Argumenta quae contra incarnationis convenientiam excogitari possunt, subtiliter proponit solvitque Thomas c. gentes IV, 53 ss. Cf. Thomassinus in opere de adventu Christi, Hettinger II, 3 disp. 24.

451. **Thesis CXLII.** ***Unigeniti incarnatio 1. neque absolute fuit necessaria; neque 2. necessaria fuit in hypothesi sive creationis, sive 3. lapsus humani generis, sive 4. reparationis ejusdem: necessaria tantum fuit 5. in hypothesi, quod Deus noluerit humanum reparare genus citra exhibitam sibi satisfactionem condignam.***

Demonstratio p. I. *Incarnatio Filii Dei absolute non fuit necessaria.* Hoc tenendum est contra Wicleffum Trialogi l. 3 c. 245 aliosque. Sane.

1. incarnatio praesupponit creationem. Atqui creatio Deo fuit libera, ut ostendimus th. 120. Ergo dici nequit incarnatio absolute necessaria.

2. Incarnatio fructus est caritatis, gratiae et misericordiae erga humanum genus lapsum, si divinis credimus literis; caritatis vero, gratiae et misericordiae decreta non necessitate reguntur, sed libere eduntur. Praeterea

3. fides docet Filium Dei ‚propter nos nostramque salutem‘ esse incarnatum, et ita quidem, si sensum interrogamus catholicum, ut hominum necessitas eum ad id impulerit. Quod si incarnatio est absolute necessaria, non propter nos, sed propter semetipsum Deus factus est homo: sicut nec propter nos nostramque salutem Pater ab aeterno genuit Filium.

452. **Demonstratio p. II.** Multiplici distincta hypothesi tenendum est, *incarnationem in hypothesi creationis non fuisse necessariam.* Quod statuimus contra Raimundum Lullum, de quo cf. Vasquez in 3. p. d. 1 c. 2, Malebranche, secundum quem Deus liber quidem fuit in decernenda creatione: ea tamen decreta debuit ex amore suae infinitae perfectionis illum eligere mundum, quo sua gloria perfectissime manifestaretur. Ejusmodi est mundus ille, cujus fastigium est incarnatio. Quoad conclusionem nec Leibnitius dissentit. Verum in hypothesi creationis incarnationem non fuisse necessariam probatur

1. Quia opinio contraria inititur systemati, quod Optimismus dicitur, et tam philosophice quam theologice est falsum (n. 257).

2. Quomodocunque demum incarnatio spectatur, quamvis stupenda plane sit divinae gloriae manifestatio, semper tamen est quaedam etiam

Dei demissio et exinanitio et exaltatio indebita creaturae in Deum. Atqui sat humiliter cogitant de Deo, qui defendunt, eum debere, quo creatura sua sit perfecta opusque se dignum, exinaniri et hypostatica unione naturam complecti humanam, nec alio modo posse condigne suam manifestare gloriam. Quare

3. viri illi eruditi, a quibus dissentimus, dum nimis sunt solliciti de opere manuum Dei, obliviscuntur divinae majestatis, nec ejus ut par est rationem habent; quam tantum abest, ut extollant, ut deprimant potius, cum secundum ipsos Deus ne creare quidem possit, quin se demittat, exinaniat atque cum creatura sua in unam coalescat personam. Quantum vero resplendet Dei misericordia, independentia, a creaturis distantia, adeoque majestas et simul amor, si in hypothesi creationis nulla actus necessitate, sola caritate motus naturam assumit humanam?

453. **Demonstratio p. III.** *Neque necessaria est incarnatio in hypothesi lapsus generis humani.* Quod suaderi primum potest analogia: si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, nec parcere debuit humano generi lapso ideoque nec illud incarnatione reparare. Ad haec, exaltatio in illum statum, e quo lapsus est homo, plane indebita fuit (cf. thes. 133); ergo a fortiori restitutio in eundem erit indebita. Quocirca passim in divinis literis humani generis reparatio et reconciliatio per incarnationem caritati, misericordiae, gratiae divinae adscribuntur Rom. 3, 25; Eph. 2, 4 ss.; Tit. 2, 11; 3, 4. Hinc Augustinus de nat. et gr. n. 5: »Universa massa poenas debet et si omnibus damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur . . . Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis?«

454. **Demonstratio p. IV.** *Neque absolute necessaria fuit incarnatio in hypothesi, quod Deus voluerit humanum genus lapsum reparare.* Contrarium placuit s. Anselmo [1]) in l. cur Deus homo, recentiori aetate Tournelio et Dieringer. Verum propositio, quam enunciavimus, si Valentiam audimus in 3. p. d. 1 q. 1 p. 4, „sententia est certissima et communis omnium theologorum, quam defendit d. Thomas 3 p. q. 1 a. 2 (et q. 46 a. 2 ad 3);“ secundum Suarez de inc. d. 4 s. 2 ita certa, „ut negari non possit sine temeritate et fidei incommodo;“ et secundum Lugo de inc. d. 2 s. 1 n. 6 opposita opinio „ad errorem accedit.“ Et merito quidem, cum ea sine ratione sufficienti divinae sapientiae et potentiae limites ponat. Quare passim a patribus reprobatur.

Speciminis gratia sint Athanasii verba or. 2 c. arian. n. 68: »Sine ullo ejus (Filii) adventu poterat Deus tantummodo dicere atque ita solvere

---

[1]) Cf. in primis Stentrup, qui data opera id ostendit in Zeitschr. für k. Theol. 1892 p. 653 contra Dörholt Die Lehre von per Genugthuung Christi sect. 2, nisus enim est iste theologus s. Anselmi verba in benigniorem interpretari sensum. Cf. etiam Kleutgen II. n. 409; Schwane Kirchenlex. 1, 896.

maledictionem. Verum attendere oportet, quid sit hominibus utile, non autem, quid in omnibus possit Deus.« Augustinus de agone christ. n. 12: »Sunt autem, inquit, stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur ex femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur! Quibus dicimus: Poterat omnino! Sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret.« Et Bernardus ep. 190 c. 8 n. 19: »Ratio hujus facti fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios modos nostrae redemptionis, justificationis, liberationis? . . . Alias autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gratiam, quid congruentiae ad sapientiam, quid decori ad gloriam, quid commodi ad salutem penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii inscrutabilis altitudo;« et aliis omissis Alexander III in instruct. fid. ad Soldanum Iconii (Mig. 207, 1047): »Alium siquidem redemptionis modum poterat Dominus procurasse, sed nullus suae benignitati nostraeque saluti congruentior occurrebat.« Cf. Kleutgen instit. p. 1 l. 1 q. 3 c. 3 a. 9.

455. **Demonstratio p. V.** *Necessaria fuit incarnatio in hypothesi, quod Deus sine condigna satisfactione sibi exhibita noluit humanum reparare genus.* Cujus ratio ita paucis poterit enunciari: Ut satisfactio sit condigna, hoc est, offensae adaequata compensatio, opus est, ut persona satisfaciens sit dignitatis aequalis cum persona offensa, vel certe ut non tanta sit inter eas distantia, quae nulla operum excellentia possit exaequari. Sicut enim injuriae gravitatem in primis personae offensae gradu dimetimur, ita satisfactionis valorem personae satisfacientis aestimamus dignitate. Quod si hoc merito in qualibet satisfactione condigna postulatur, a fortiori exigi poterit in satisfactione vicaria, si subjectum reconciliandum infinitatem quandam habet, ut natura humana in indefinitum multiplicabilis, et si unica satisfactione sint delendae culpae prope innumerae promerendaque innumera gratiae dona. Atqui Deum inter et creaturam quamlibet distantia est infinita. Nulla ergo pura creatura condigne poterit pro humani generis peccatis satisfacere Deo. Quare ut ejusmodi satisfactio condigna sit possibilis, necessaria est personae divinae incarnatio. Persona enim divina incarnata secundum eam naturam, quam assumpsit, poterit satisfacere, quod secundum naturam divinam non potest; et quia infinitae est majestatis, in satisfactiones secundum naturam assumptam exhibitas infinita redundabit dignitas, valor atque pretium, quo carent actiones cujuscunque creaturae.

Ad rem Ambrosius in Luc. VI. n. 109: »Quis tantus homo, inquit, in quo omnium peccata morerentur? Idcirco non unus e plebe, non unus e numero, sed Filius Dei a Deo Patre electus est, qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, ut cum esset fortior morte, alios liberaret.« Cf. alia patrum effata apud Thomassinum I, 4; IV, 3; IX, 7. Subtilis est ratio, quam reddit Anselmus Medit. 11 et Cur Deus homo I, 21 et II, 14, quae ad haec principia revocatur: **a.** Peccatum est majus malum quam sit creaturarum bonitas, adeo ut omnium creaturarum destructio

praeferenda sit patrationi peccati. Ideoque **b.** condigne satisfieri pro eo nequit, nisi reddatur aliquid majus, quam sit id, pro quo peccatum patrari non debuit. »Quod **c.** quoniam humana natura sola non habebat . . . subvenit bonitas Dei et eam in suam personam assumpsit Filius Dei, ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet quod superaret non solum omnem essentiam, quae Deus non est, sed etiam omne debitum, quod peccatores solvere deberent . . . Pretiosior est namque vita hominis illius, quam omne quod Deus non est . . . Si enim interfectio illius superat omnem multitudinem et magnitudinem peccatorum, quae cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita ejus magis est bona, quam omnia peccata sint mala.« Potius enim **d.** quis eligere debet ut veniant omnia peccata super ipsum, quam interficere, vel solum laedere hunc hominem. »Unde sequitur, quia vita ista plus amabilis est, quam sint peccata odibilia.« Quare **e.** oblatio hujus vitae satis fuit condigna, imo et superabundans pro peccatis omnibus totius mundi. Cf. Bonaventura Brevil. q. 4 § 1; Thomas in 4. d. 20 q. 1 a. 2; Schäzler das Dogma von der Menschwerdung § 33; Stentrup de Verbo incarn. pars altera, Soteriolog. th. 22 s.

Quae hactenus statuimus, comprobantur suffragio conc. coloniensis a. 1860 I, 18: „Poterat quidem Deus genus humanum in Adamo lapsum non reparare ad pristinum finem supernaturalem, sed sorti sibi paratae et libere inductae suisque viribus naturali tantum auxilio adjutis committere. Poterat quoque aliis humano generi, si reparare volebat, succurrere viis. Si vero integram exigens satisfactionem justitiam non minus quam misericordiam manifestando reparare volebat, nemo poterat satisfacere, nisi qui Deus simul esset et homo."

456. **Scholion.** Si qui patres sint, qui doceant Verbi incarnationem fuisse necessariam, ii intelligendi sunt non de necessitate absoluta, sed de hypothetica, scil. ea in hypothesi, in qua hanc necessitatem ipsi concessimus; vel de necessitate, quae congruentiam tantum quandam significat, quo sensu s. Thomas etiam incarnationis necessitatem tuetur 3. p. q. 1 a. 2, ubi proponit quaestionem: »Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari« et respondet: Respondeo dicendum, quod ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter. Uno modo, sine quo aliquid esse non potest: sicut cibus est necessarius ad conservationem humanae naturae. Alio modo, per quod melius et convenientius pervenitur ad finem: sicut equus necessarius est ad iter. Primo modo Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanae naturae. Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanae naturae reparationem.« In hunc sensum loquuntur patres illi, quorum doctrinam paucis complectitur Garnerius diss. 1 de haeresi et ll. Nestorii c. 4 § 9: »Nemo, inquit Proclus l. de recta fide c. 2, salvare potest homines nisi Deus. Nemo, ait Cyrillus in Ps. 129, salvare potest hominum genus a peccatis, nisi qui natura impeccabilis est. Ille potuit redimere, clamat Augustinus hom. 6, qui se non potuit vendere. Eusebius, qui dicitur emesenus, l. 5 contra Eutych.: Intervenire non potest pro servis astrictus legibus servitutis. Vigilius afer l. 2 ad Trasimundum c. 2: Ut contraria in unum revocarentur et

supera et ima restituerentur, non aliter fieri potuit, nisi talis mediator exsisteret, qui de coelestibus veniens couniretur terrenis. Fulgentius in Ps. 48: Quomodo beneficientiae largitor universalis exsisteret, quem alienae opis indigum natura monstraret? Basilius in Ps. 48 n. 4: Solus homo Deus potest dare propitiationem pro peccatis. Quid adeo magnum in hoc seculo possideat quispiam, ut idoneum habere possit animae pretium?« Cf. Petavius II, 12.

457. **Corollarium.** Ex dictis infertur, potuisse Deum absque Verbi incarnatione intuitu satisfactionis a puro homine exhibitae reparare genus humanum. Qui enim potest sine ulla satisfactione remittere offensam (n. 454), a fortiori poterit eam condonare qualicunque demum satisfactione contentus. Hic vero reparationis modus toto coelo distaret a reparatione per Christum, quae secundum omnia sua adjuncta spectata tam abundans, tam splendida, tam efficax et gratiarum fecunda fuit, ut vel sola argumentum sit haud invalidum divinitatis illius, qui ejusmodi reparationis auctor est et fons. Quapropter patres hanc reparationis perfectionem prae oculis habentes libenter concedunt, imo inculcant, Dei incarnationem fuisse necessariam ad humanum genus reparandum, reparatione utique ea, quam Christus perfecit, cum ei praestandae nulla, quamvis innocentissima, quamvis nobilissima, par fuerit creatura. Cf. Stentrup th. 13. Subtiliores hac de re controversiae, v. gr. num potuerit creatura pro culpa Deo revera satisfacere, cf. apud Suarez disp. 4 sect. 7 et Ripalda de ente supern. disp. 97.

458. **Thesis CXLIII.** ***De quaestione, num Dei Filius assumpturus fuisset naturam humanam in hypothesi, quod Adam non peccasset, censemus sententiam negantem esse praeferendam.***

Demonstratio. Quaerunt theologi, num Filius Dei assumpturus fuisset humanam carnem, Adamo non peccante. Affirmant gravissimi theologi [1]), qui statuunt, Deum ante res omnes decrevisse incarnationem Filii sui propter excellentiam mysterii et gloriam Christi; ita ut hic finis esset omnium, quae erat conditurus in mundo, ideoque etiamsi non peccasset Adamus, venturum fuisse Christum, non tamen in carne passibili; passionem enim Christi ejusque adventum in carne passibili concedunt praeviso tantum Adami peccato a Deo fuisse decretum. Verum non minus graves theologi [2]) praeeunte Thoma 3 q. 1 a. 3 id negant, idque, ut nobis videtur, merito. Sane

---

[1]) Ita teste Valentia in p. 3 disp. 1 q. 2 Alexander halensis 3 p. q. 2 membro 13; Albertus M. in 3 dist. 20 a. 4; Scotus in 3 d. 7 q. 3; d. 19 q. unica; Catharinus de praedestinatione eximia Christi; Rupertus ab. tuit., qui secundum Lessium primus hanc sententiam tuetur, l. 2 de glorific. Trinit. c. 21; l. 13 de gleria et honore Filii hominis (Mig. 168, 1628, cf. tamen de oper. Sp. s. l. 2 c. 6, ubi contrarium videtur affirmare); Honorius augustod. l. 8 qq. c. 2 (Mig. 172, 1187). Praeter hos etiam s. Bernardinus sen. et s. Franciscus Salesius de l'Amor de Dieu l. 2 c. 4; Suarez de incarn. d. 5 s. 5; Nachiante in Ephes. 1; Frassenius de incarn. d. 1; Ysambertus etc. et recentiori aetate Oswald die Erlösung in Christo Jesu p. 1; favet etiam Scheeben Mysterien des Christenth. § 64; Handb. t. 2 n. 1007.

[2]) Ita ut quosdam nominemus, s. Bonaventura in 3 d. a. 2 q. 1, Thomas Argentina, Dionysius carthusianus, Marsilius, Capreolus, Cajetanus,

1. sententiae neganti favent Scripturae, quae constanter, diserte vel aequivalenter, missionis et incarnationis Filii rationem exhibent nostram ruinam, mundi peccatum, Adami lapsum etc. Quam ob rem Augustinus promittit de pecc. mer. et remiss. 1, 26 se plurima allaturum esse Scripturae effata, quibus sufficienter appareat „D. J. Christum non aliam ob causam in carne venisse . . . nisi ut hac dispensatione misericordissimae gratiae omnes, quibus tamquam membris in suo corpore constitutis caput est ad capessendum regnum coelorum, vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret etc.," et quod promisit praestat c. seq. in medium adductis hisce Scripturae testimoniis Luc. 5, 32; 19, 9 s.; Joan. 1, 28; Rom. 3, 22 ss.: 8, 3; 1 Cor. 15, 3 etc. „Unde, infert Thomas, cum in s. Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non exsistente incarnatio non fuisset." Cf. etiam lect. 4 in 1. Tim. 1.

2. Patres sententiae neganti omnino favent, apud quos plura reperies doctrinae capita, quibuscum aegre concilies alteram sententiam. Docent siquidem passim, Verbum idcirco esse incarnatum, ut homines superbia lapsos humilitate erigeret; ut homines sensibilia sectantes ad invisibilium revocaret contemplationem, a qua defecerant; ut tamquam alter atque praestantior Adamus prioris repararet ruinam; ut humanum genus, si non in omnibus suis membris, saltem in pluribus invincibile in posterum adversus daemonis impetus redderet etc.; quae rationes supponunt incarnationem non independenter a praevisione lapsus Adami et tantum ut remedium adversus peccatum fuisse decretam. Praeterea secundum quosdam theologos in hypothesi, quam impugnamus, vix rite explicari potest peccatum originale, quod supponit Adamum fuise universi generis humani caput. Si vero a priori i. e. independenter ab Adami lapsu destinata fuit incarnatio, dignitas capitis sine dubio competisset Unigenito carofacto, qui jure sibi insito et suae personae dignitate hoc sibi vindicasset munus. Sub tali autem tantoque capite lapsus communis non fuit possibilis. Patrum testimonia hac de re cf. apud Thomasinum l. c.

3. Patres etiam disertis verbis nostrae subscribunt sententiae. Ex plurimis, quos adducunt Valentia, Thomassinus et Petavius ll. cit., quosdam audiamus. Ita s. Leo serm. 48 n. 1: »Nec alia fuit Dei Filio causa nascendi, quam ut cruci posset affigi; serm. 77 n. 2. »Si homo ad imaginem et similitudinem Dei factus in suae honore naturae mansisset, nec diaboli fraude de-

---

Ferrariensis, Valentia l. c., Petavius de incarn. 12. c. 17, Thomassinus de incarn. l. 2 c. 5, Lessius de praedest. Christi n. 16; Molina, Becanus, L'Herminier, Tournely, Antoine, Charmes, Berti, Billuart, Witasse, Le Grand, Holtzclau de Deo Verbo incarn. n. 359. etc.

ceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut aequalis Deo Patri Filius Deus formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret.« — Idem passim testatur s. Athanasius de incarn. n. 4: »Quia enim sermonem habemus de Salvatoris nostri ad nos adventu, necesse est etiam de hominum primordiis loqui, quo plane perspicias, nostram causam ejus adventus fuisse occassionem nostroque peccato Verbi benignitatem excitatam fuisse, ut ad nos accederet et inter homines Dominus appareret;« or 2 c. arianos n. 54. 67: »Sine qua (hominum necessitate) carnem minime induisset Verbum .... Ceterum ut fieret (Filius Dei) homo, nunquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas ejus rei causam praebuisset;« cf. n. 55. 56. — Ambrosius de incarn. sacr. c. 6 n. 56: »Quae erat causa incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverat, per se (i. e. per Verbum) redimeretur?« — Gregorius naz. or. 30 n. 2: »Quaenam humanae propter nos susceptae naturae causa exstitit? Nempe ut nos omnes salutem adipisceremur. Quid enim aliud afferri potest? etc.« — Chrysostomus hom. 31 in Matth.: »Adeo procul est, ne peccatores abominetur, ut solum eorum causa se advenisse testetur.« — Augustinus serm. 175 n. 1: »Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est causa medicinae;« cf. serm. 174. — Theodoretus in 1. Tim. 1, 15: »Quod peccatorum gratia Unigenitus homo factus sit, ipsemet docuit in sacris evangeliis (Luc. 5, 32).« Quae testimonia locum non relinquunt distinctioni, qua nonnunquam utuntur alterius sententiae patroni, patres non loqui de incarnatione Filii Dei universim, sed de ea, vi cujus Verbum assumpsit naturam humanam doloribus mortique obnoxiam.

4. Eo major horum testimoniorum est vis, quod alterius sententiae patroni nullum pro sua testimonium disertum vel clarum ex Scripturis afferre possint, nullum ex patribus. Quae ex uno Cyrillo alex. allegant, ut minimum dicamus, dubia, si sensum spectes, sunt; quae vere subtili argumentatione colligunt ex Prov. 8, 22 col. 1, 15; 2. Cor. 2, 7; 3, 22; Eph. 1, 4; 2, 10, sat infirma sunt, cum l. cit. vel non sit sermo de Christo secundum naturam humanam, vel non agatur de praedestinatione incarnationis ante praevisum originis peccatum, vel alius sensus sit aeque probabilis, forte probabilior, ut ostendit Lessius de praed. Christ. s. 2.

Si ergo quaestio secundum theologiae normas et non secundum subtiles sive pias meditationes dirimitur, sententia, quae incarnationem negat in hypothesi, quod Adam non peccasset, est praeferenda. Cui opinioni si quis non vult subscribere, multo minus ei licebit alteri inhaerere, quae argumentis omnibus destituitur ex revelationis instrumentis. Quare absolvimus verbis Petavii, qui praelata sententia negante scribit II, 17: „Quod eo sensu defendimus, uti nullam significationem, nec ullum documentum capi dicamus, sive ex literis sive ex aliis theologicorum decretorum regulis, unde aliud affirmare prudenter liceat.“ Et expensis Scripturae effatis non aliam incarnationis causam praeter peccatum significantibus subjicit: „Divinare est ergo, comminisci causam aliam adventus illius et susceptae carnis praeter hanc, quam unicam tot illa fidei oracula et coelestia responsa personant.“

459. **Thesis CXLIV.** ***Quamvis mysterii incarnationis possibilitas solo rationis lumine positive et directe demonstrari nequeat, potest ea tamen demonstrari negative: potest scil. omnium exceptionum, quae ex ratione contra illud petuntur, vis, quantum satis est, infringi.***

Declaratio. Incarnationis possibilitatem rationis lumine non cognosci vel etiam demonstrari, consensu communi concedunt tuenturque theologi; et revera incarnatio constanter in divinis literis et a patribus mysteriis iisque maximis accensetur. Ad summum potest ratio naturalis revelatione suscepta uti conjecturis quibusdam atque analogiis ad illustrandum mysterium, quod patres et theologi passim praestant. Ex ipso autem incarnationis facto, quod revelatio evidenter docet, et ex certissimo principio, inter revelationem et rationem nullam esse pugnam (t. I. n. 487), manifesto colligitur, rationem nunquam demonstrare posse incarnationis impossibilitatem. Unde patet, omnia rationis argumenta adversus hoc dogma non esse nisi sophismata. Qua persuasione semel supposita, haud difficile erit rationi, illorum vim infringere ostendendo, ea vel forma peccare (quod non infrequens apud fidei adversarios), vel materia ob praemissas incertas, dubias aut etiam falsas.

460. **Demonstratio.** Sane omnes adversariorum difficultates, quas cf. apud s. Thomam c. gentes IV, 40 col. 49, ex triplici potissimum capite petuntur, scil. vel ex parte Dei seu personae assumentis, vel ex parte naturae assumptae, vel ex parte ipsius unionis,

1. Ex parte personae assumentis videntur incarnatione in discrimen vocari summa simplicitas, quae omnem aversatur compositionem, et immutabilitas Dei. Quod hanc attinet, non major est in hoc mysterio difficultas, quam cum affirmatur, Deum sine ulla sui mutatione in tempore creasse mundum. Ut eam minuant, patres **a.** ad nonnullas provocant analogias, quarum illa ipsis est familiaris, quam petunt ex verbo mentis, quod pronunciatione veluti incarnatur, sensibile ac quodammodo palpabile redditur absque immutatione et laesione.

»Cum intellectus inest cordi meo, inquit Augustinus serm. 28 n. 5, et volo, ut insit etiam cordi tuo, quaero, qua ad te transeat, quasi vehiculum sonum: assumo sonum et quasi impono intellectum, et profero et produco, et doceo et non amitto. Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit Verbum Dei de carne sua? Ecce enim Verbum Dei, Deus apud Deum, Sapientia Dei manens incommutabiliter apud Patrem, ut procederet ad nos, carnem quasi sonum quaesivit eique se inseruit et ad nos processit et a Patre non recessit. Intelligite, sapite hoc, quod audistis, quantum sit et quale cogitate, et de Deo majora sentite. Vincit ille omnem lucem, vincit omnem intellectum.« Cf. 223 [3]. Utitur dein analogia vestis scribens l. 38 qq. q. 73: »Non est mutatum Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta.

mutantur, quanquam illa susceptio ineffabiliter suscipienti susceptum copulaverit: sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanae fragilitatis assumptione, electum est, ut graece σχῆμα et latine dicereretur *habitus* (Phil. 2, 9) illa susceptio.« Tertiam analogiam proponit s. Bonaventura hisce verbis in 3. d. 1 a. 1 q. 1: »Si enim crystallus superinducatur radio jam domum illuminanti, crystallus illuminari dicitur et radio pertransiri et ei copulari absque mutatione facta ex parte radii, sed solum ex parte crystalli: sic suo modo, sed longe spiritualius intelligendem est in natura assumpta et persona Verbi.« Cf. Lessius XII, 5.

Ideo autem **b.** Verbum incarnatione non mutatur, quia ad proprie dictam mutationem requiritur, ut aliquid aliter simpliciter et absolute se habeat, quam prius: ut acquirat aliquid, quod antea simpliciter et omnino non habuit, vel aliquid eorum quae prius habuit amittat. Res autem, quae modo praestantiore, nempe eminenter, aliquid prius habuit, non proprie mutatur, si illud postea acquirat formaliter, quia non simpliciter et absolute illo prius carebat. Si autem diceretur mutari, lis esset de nomine, non de re. Atqui Verbum assumptione naturae humanae nil acquisivit, quod antea eminentissime jam non habuerit. Verbi igitur persona naturae humanae accessione non fuit immutata. Neque simplicitas divina laeditur incarnatione, nam natura humana nullatenus afficit naturam divinam, quae immutata plane atque in sua permanet simplicitate.

»Bonum creatum, inquit Thomas in 3 dist. 6 q. 2 a. 3 ad 1, se habet ad bonum increatum, sicut punctum ad lineam: unde sicut lineae punctum additum non facit majus, ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius.« Et de unione Verbi a 1 ad 9: »Sicut incarnatio nihil bonitatis adjicit ad personam divinam, ita nihil et adjicit diligibilitatis. Unde persona Verbi incarnati non est plus diligenda, quam persona Verbi simpliciter: licet sit secundum aliam rationem diligenda, quae tamen ratio sub universali bonitate Verbi comprehenditur.« — Belle Augustinus l. 83 qq. q. 73: »Cum sapientia homini accidit, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit.« — »Unitas personae, inquit ad rem Thomassinus III, 19, cum naturas inconfuse copulet et indivise secernat, suam inferiori multiplicitatem servat intactam sospitemque. Item unitas personae cum naturam inferiorem superiori non tam apponat aut componat, quam supponat; non tam conjungat quam subjungat mancipetque, nihil officit superioris simplicitati.« Cf. Valentia comment. theol. IV d. 1 q. 1 p. 2

461. **2.** Impugnatur Verbi incarnatio inde quod una persona divina sine altera incarnari nequeat, cum opera ss. Trinitatis ad extra sint communia (n. 191). Pro difficultatis solutione notamus **a.** productionem et unitionem visibilis naturae, qua invisibilis ex sese Unigenitus factus est conspicuus, si spectantur efficienter seu ut sunt operationes, Deo uni et trino esse asserendas.

Ita docent conc. lateranense IV. cap. ‚Firmiter‘ et toletanum XI., necnon patres apud Petavium II, 4; docent ss. Scripturae, quae incarna-

tionem modo Patri, modo ipsi Filio, modo Spiritui s. adscribunt. Hebr. 10, 5: *Ideo ingrediens mundum dicit* (Filius): *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi;* Philipp. 2, 6: *Qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* Matth. 1, 18: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu s.* Quare merito dicit Durandus in 3. p. dist. 1. q. 2 n. 6, »totam ss. Trinitatem incarnare, sed non incarnari.«

b. Hoc vero non impedit, quominus incarnationis opus speciali modo Spiritu sancto approprietur, cujus appropriationis rationes cf. apud Thomam 3. q. 32 a. 1. Inde tamen ne inferas Spiritum s. esse vel dici posse Patrem Christi. »Quis, inquit Augustinus Enchir. n. 38 s., hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando, quanta alia sequantur absurda, cum hoc ipsum jam ita sit absurdum, ut nullae fidelium aures id valeant sustinere.« Nam, ut docet s. Thomas l. c. a. 3, ad hoc, ut quis dici possit alterius filius, necessarium est, ut nascatur in similitudinem naturae illius, qui dicitur pater (n. 204), et de ejusdem substantia; atqui Christus non est natus ex Maria V. in similitudinem naturae Spiritus s. neque de ejus substantia.

c. Etsi naturae humanae assumptio efficienter spectata toti adscribenda est Trinitati, et lege appropriationis Spiritui s.: nihil tamen impedit, quominus natura humana uni personae Filii sit unita et ab ea dumtaxat propria habeatur: sicut id semper Ecclesia catholica professa est sive docens solum Filium esse hominem, sive damnans patripassianos, qui affirmabant Patrem esse incarnatum atque passum. Quamvis autem hypostasis et natura in Deo re non differant, sed sint eadem summa res (n. 198): attamen eadem summa res sub alia formali ratione natura, sub alia hypostasis est. Facta est unio humanae naturae immediate cum eadem sub formali ratione hypostasis et non sub formali ratione naturae. Et „quia unio relatio quaedam est, per mutationem creaturae Deus dicitur de novo factus homo i. e. unitus in persona humanae naturae.“ S. Thomas lect. 2 in Rom. 1.

d. Si quaeras, qua ratione fieri possit, ut natura humana solius sit Filii, respondemus cum Claudiano Mamerto de statu animae l. 2: »Quaerunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est, cum ipsi reddere rationem nequaquam possint ejus rei, quae fit semper, quomodo societur anima corpori, ut fiat homo.« Notamus deinde unionem in eo consistere, quod is, qui habuit ab aeterno divinam naturam, in tempore sibi vindicet propriamque habeat humanam atque accidentis prope in modum sustentet, qua absque reali sui immutatione homo denominetur. Quare efficiens naturam humanam est Deus trinus et unus; habens est solum Verbum: sicut, ut non desit aliqua analogia, si plures pronunciant nomen Petri, sonus seu vox efficitur a pluribus, sive efficienter ad plures spectat, unum tamen significat seu significative ad unum pertinet (n. 191 [4]); vel si tres unam vestiunt puellam (qua analogia utitur s. Bonaventura), una est induta, etsi tres in ea induenda occupantur. Cf. Thomas 3. q. 9 a. 4.

462. **3.** Difficultatum, quae petuntur ex natura assumpta, potior haec est: fieri scil. non posse, ut humana natura integra et singularis sit, quin

simul fuerit persona. Verum haec exceptio, quae tanti non est, opportunius solvetur, postquam exposuimus personae notionem; interim sufficiat s. Thomae responsio opusc. 2 al. 3 c. 6: „Si quis autem objiciat, quod cum humana natura etiam in Christo non sit accidens, sed substantia quaedam: non autem universalis, sed particularis, quae hypostasis dicitur; videtur consequi, quod ipsa natura humana in Christo hypostasis quaedam sit praeter hypostasim Dei Verbi et sic in Christo duae erunt hypostases: considerare debet qui sic objicit, quod non omnis substantia particularis hypostasis dicitur, sed solum illa, quae ab aliquo principaliori non habetur; manus enim hominis est substantia quaedam particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona: quia habetur a principaliori, quod est homo . . . Humana ergo natura in Christo non est accidens, sed substantia, non universalis, sed particularis: nec tamen hypostasis dici potest, quia assumitur a principaliori, scil. a Dei Verbo." Simili fere modo respondet jam Augustinus tract. 19 in Joan. n. 15; „Filius Dei, quod est Verbum Dei, habet hominem tamquam anima corpus. Sicut anima habens corpus non facit duas personas, sed unum hominem: sic Verbum habens hominem non facit duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? Anima rationalis habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem." Quae tamen comparatio non nimis est urgenda. Difficultates vero omnes, quae petuntur ex ipsa unione, partim jam solutae sunt, partim solventur exposita prius unionis indole.

463. **Scholion practicum.** Incarnationis occasione plura populo utiliter commendari possunt.

I. s. Thomas in expositione symboli n. 14 quintuplicem proponit fructum inde colligendum: Ea **1.** »confirmatur fides nostra:« *Deum enim nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse* carofactus *enarravit* Jo. 1, 18; *multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* Hebr. 1, 1 s. Quantus **a.** magister, quam **b.** authenicus prae magistris quibusvis humanis, quibus tamen tanta impenditur attentio; qualis **c.** doctrina (I, 68), quam **d.** copiosa ratione habita parsimoniae V. Testamenti, quam **e.** familiariter nobiscum versatur absque fastu proprio sapientium mundi (cf. n. 447 [3]).

2. Hoc mysterio »elevatur spes nostra. Constat enim, quod Dei Filius non pro parvo ad nos venit sumens carnem nostram, sed pro magna utilitate nostra: unde fecit quoddam commercium, scil. quod assumpsit corpus animatum et de Virgine nasci dignatus est, ut nobis suam largiretur deitatem; et sic factus est homo, ut hominem faceret Deum. Rom. 5, 2: *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.*« Quibus adde apostoli verba ib. 8, 32: *Qui* (Deus) *etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

3. »Ex hoc accenditur caritas. Nullum enim est tam evidens divinae caritatis indicium, quam quod Deus creator omnium factus est creatura, Do-

minus noster factus est frater noster, Filius Dei factus est filius hominis. Jo. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum*« etc. Cf. n. 443 [2] b; 447 [5].

4. »Inducimur ad servandam puram animam nostram. In tantum enim natura nostra fuit nobilitata et exaltata ex conjunctione ad Deum, quod fuit ad consortium divinae personae suscepta . . . Ideo dicit b. Petrus 2. ep. 1, 4: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamur divinae consortes naturae, fugientes ejus quae in mundo est concupiscentiae corruptionem.*«

5. »Ex his inflammatur desiderum nostrum ad perveniendum ad Christum. Si enim aliquis rex esset frater alicujus, et esset remotus ab eo, desideraret ille, cujus frater est rex, ad eum venire et apud eum esse et manere: unde cum Christus sit frater noster, debemus desiderare esse cum eo et conjungi ei« etc.

464. **II.** Merito cecinerunt angeli Christo nato *Gloria in altissimis Deo* Luc. 2, 14, nam incarnationis mysterio magis quam mundi creatione manifestatur Dei gloria, manifestantur divinae perfectiones. Cf. n. 443 [2].

1. Refulget scil. summa Dei bonitas. Quid enim dedit in creatione, quid in incarnatione? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* Jo. 3, 16. Quid, quibus, quomodo? Cf. n. 443 [2]. b.

2. Refulget mira Dei sapientia, et quatenus **a.** modum reperit conciliandi duo attributa, quae sibi adversari videntur, justitiam scil. ridigissimam et clementissimam misericordiam n. 443 [2] d.; quatenus **b.** hoc mysterio ignem venit mittere in terram Luc. 12, 49, quo suavissimo sed efficacissimo modo accenderet et traheret ad se corda hominum, alioquin adeo dura et ad malum adeo prona. Cf. n. 447 [5]; quatenus **c.** aptissimam iniit methodum docendi humanum genus: venit enim ipsa Sapientia, sed in nostra natura (cf. doctrinam s. Augustini n. 447 [3]), exigens non studium et scientiam, sed fidem omnibus accommodatam (I. n. 7 [2]), docens quam maxime exemplo (cf. praeclare Augustini verba n. 447 [4]).

3. Effulget ineffabihis Dei majestas et sanctitas, quae tanta indiguit victima, ut sibi condigne satisfieret n. 455. Relucet

4. divina potentia, quae tam tenuibus innitiis condidit regnum invictum adversus portas inferi, sempiternum et universale, tot triumphis adversus ipsas gloriosum: unde angelus recensens signa quibus agnos ere possent pastores natum Salvatorem haec indicat: *Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio* Luc. 2, 12. Quod scil. Christus non potentia, divitiis, gloria devicit daemonem sibique subjecit mundum, sed infirmitate, paupertate, humilitate, argumentum est divinae eius missionis, eum vere esse Emanuelem, hic esse opus dexterae Dei. Quare de tanto mysterio gloriari nos oportet, gaudere, gratias agere, et satagere, ut bona et fructus laetissimi, quorum adventus Filii Dei causa fecunda exstitit, in nos redundent, ut et in nos veniat regnum Dei illudque ipse in nobis condat firmetque.

465. **III.** S. Thomas in serm. 3 inter serm. dominicales incarnationi applicat verba Matth. 21, 5: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*, atque singula expendens verba haec evolvenda proponit:

1. *Rex tuus* i. e. »Rex clemens in parcendo, justus in judicando, bonus in retribuendo, sapiens in gubernando, omnipotens in bonos protegendo, terribilis in malos puniendo, aeternus aeternaliter regnando et regnum aeternum

conferendo.« Scil. quis quantusque venit? Ipse Deus Deique Filius unigenitus n. 467, Rex regum et Dominus dominantium.

2. *Venit tibi* i. e. »ad utilitatem tuam . . . Fuit autem utilitas adventus septuplex: 1. mundi illuminatio; 2. inferni exspoliatio; 3. coeli reparatio; 4. peccati destructio; 5. diaboli superatio; 6. hominis cum Deo reconciliatio; 9. hominis beatificatio«. Unde liquet quale negotium seculorum ageretur in Bethlehem, cum Christus nasceretur, dignum ut coeli (angeli) replerentur stupore, terra gaudio, terrore infernus.

3. »*Mansuetus,* in mansuetudine enim voluit venire D. J. Christus. Voluit autem venire mansuetus propter quatuor. 1. ut malos facilius corrigeret; 2. ut omnibus se amabilem exhiberet (cf. Eccli. 3, 19); 3. ut omnes ad se traheret; 4. ut mansuetudinem doceret.« Hanc vero mansuetudinem ostendit **a.** ipsa assumpsione naturae nostrae, qua factus est unus e nobis frater noster, caro de carne nostra; **b.** ipsa exinanitione in natura nostra, quia voluit fieri similis nobis in omnibus excepto peccato; hinc illa Bernardi (n. 443 ² b.): »Quanto pro me vilior, tanto mihi carior;« **c.** susceptione affectionum atque miseriarum nostrarum. Cf. verba patrum n. 447 ³ et n. 482; **d.** accessu ad nos boni samaritani instar, ut curaret vulnera nostra (n. 440); **e.** quia non est dedignatus nobis praeire exemplo in omni genere virtutum. Cf. verba Augustini n. 447 ⁴. Quare occure tanto regi tuo humanissime ad te venienti, et **a.** sequere ejus vestigia; accede **b.** ad eum ut sanet vulnera tua; indue **c.** viscera pietatis suae; hoc **d.** senti in te, quod et in Christo Jesu, qui . . . semetipsum exinanivit etc. Phil. 2, 5 ss., assume **e.** ipsius vitam in te, quam vitis in palmites, caput in membra effundit.

466. **IV.** Praetermittere non possumus sermonis schema, quod reperies inter sermones s. doctoris n. 144: »*Parvulus natus est nobis* Is. 9, 6. In istis verbis tria notantur circa nativitatem Domini. Primo natus describitur; secundo ipsa nativitas subditur; tertio nativitatis utilitas sequitur. Primum ibi *Parvulus;* secundum ibi: *natus est;* tertium ibi: *nobis.*

1. Natus est ergo parvulus: sed cujusmodi parvulus? admirabilis, amabilis, ineffabilis, formidabilis, venerabilis, desiderabilis. De his hoc est quod postea sequitur: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis,* ecce primum; et amabilis, quia est *consiliarius;* ineffabilis quia *Deus;* formidabilis quia *fortis*; venerabilis quia *pater futuri seculi;* desiderabilis, quia *princeps pacis.* Admirabilem istum coeli enarrant (stellam emittendo), angeli clamant, magi nunciant, pastores praedicant... Est admirabilis tripliciter, quia creator creatura efficitur, virginitas in sui partu non perditur, hoc ab homine rationali creditur. Haec tria miracula fecit hodie Dominus . . . Est amabilis propter bonitatem, quae apparet in tribus. Primo ex sui effusione seipsum hodie effundendo Jo. 1, 14 . . . secundo ex benignitatis suae ostensione . . . Tit. 3, 4: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* etc. Tertio ex optimorum adductione . . . Adduxit autem nobis tria optima, scil. optimum scientiae, gratiae et gloriae ... *Vidimus gloriam ejus,* quoad optimum gloriae; *plenum gratiae . . . et veritatis,* quoad optimum scientiae. Est ergo amabilis. Sed est ineffabilis propter tria. Primo propter aeternitatem, secundo propter eandem cum Patre aequalitatem, tertio propter divinitatem. De his tribus Joan. 1, 1: *In principio erat Verbum,* ecce aeternitas; *et Verbum erat apud Deum,* ecce aequalitas (cf. n. 160); *et Verbum erat Deus,* ecce Deitas . . . Est et venerabilis, quia omnicreator, omnigubernator et

omni creator. Ista tria habentur in ep. (festi nativitatis) Hebr. 1, 3: *Per quem fecit et secula,* ecce creator: *portans omnia verbo virtutis suae* (n. 137 [1] a), ecce gubernator; *purgationem peccatorum faciens,* ecce recreator... Est etiam desiderabilis propter speciositatem ... Sed est et formidabilis propter tria. Primo quia lux, ut omnia videat; secundo potens, ut omnia valeat; tertio justus, ut de omnibus justitiam faciat ... Debemus ergo eum admirari, ut obstupescamus; amare, ut ardescamus; ineffabilem cogitare, ut humiliemur; formidabilem, ut timeanus; venerabilem, ut laudemus; desiderabilem, ut ad eum festinemus.

2. Circa nativitatem sciendum hic, quod triplex est ejus nativitas. Aeternalis ex Patre, temporalis ex matre, spiritualis ex corde. Hoc significant tres missae in die nativitatis ...

3. Duplicem utilitatem consecutus est homo de ejus nativitate, scil. malorum omnium remotionem et bonorum omnium acquisitionem. Hoc dixerunt angeli Luc. 1, 10 s.: *Annuncio vobis gaudium magnum,* quoad bonorum adeptionem; *quia natus est vobis Salvator,* quoad malorum remotionem ... Ipse parvulus hodie natus faciat nos tanti gaudii participes etc.«

Caput II.

De persona assumente naturam humanam seu de divinitate Christi.

467. **Thesis CXLV.** ***Dogma est revelationis christianae, Filium Patris unicum, Deum de Deo, secundum promissiones patribus factas in beata temporum plenitudine de coelo descendisse, naturaque humana assumpta visibilem inter homines apparuisse, huncque Deum incarnatum alium non esse atque Christum Jesum.***

Declaratio. Supponimus ex tr. de ss. Trinitate contra sabellianos, tres esse personas realiter distinctas in natura divina (n. 180); insuper secundam personam i. e. Patris Filium seu Verbum esse Deum (cf. th. 109). Quod quaeritur est, num homo ille, qui dicitur Christus Jesus, quique visibilis inter homines versabatur, sit Deus, Dei Filius in humana forma seu natura conspicuus, Verbum caro factum. Hoc in thesi affirmamus estque dogma fundamentale religionis christianae omnibus symbolis plus minusve expressum ac nunquam non ab universa Ecclesia contra haereticos quam plurimos propugnatum, quorum notiores sunt sec. III. Paulus samosatenus; sec. IV. ariani et Photinus; sec. XVI. sociniani, qui in catech. racov. pag. 32 profitentur: „Vox Deus duobus potissimum modis in Scripturis usurpatur: prior est, cum designat illum, qui in coelis et in terra omnibus ita dominatur et praeest, ut neminem superiorem agnoscat ... atque in hac significatione Scriptura unum esse Deum asserit. Posterior modus est, cum eum denotat, qui potestatem aliquam sublimem ab uno illo Deo habet aut Deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est. Etenim in Scripturis propterea Deus ille unus Deus deorum vocatur Ps. 50 (49), 1. Et hac quidem posteriore ratione Filius Dei voca-

tur Deus in quibusdam Scripturae locis." Socinianos sequuntur seu potius impietate superant rationalistae recentiores.

468. **Demonstratio.** Thesis, Verbi divinitate supposita, facile probatur, cum Scripturae passim testentur, Verbum factum esse carnem, et habitasse inter nos; Patrem misisse, dedisse Filium suum Unigenitum, qui factus sit ex muliere, propitiatio pro peccatis nostris. Atqui tota Scripturarum serie is, de quo haec affirmantur, exhibetur non alius ac Christus Jesus. Ergo Christus Jesus est Deus incarnatus, Deus conspicuus in forma humana. Speciminis gratia sint Joan. 1, 14: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* Joan. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* Rom. 8, 32; Gal. 4, 4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut filiorum adoptionem reciperent;* 1. Joan. 4, 9: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum:* 5, 20: *Et scimus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna.*

469. Verum Filii divinitate non supposita, thesis probatur, quod in divinis literis Christus Jesus clarissime praedicatur *Deus, Deus verus, Deus magnus, Deus super omnia benedictus, Deus Jehova* (n. 151. 137[3]). Cum autem aliunde constet, eum esse hominem, colligimus, Deum ad nos venisse atque manifestatum esse in carne, quod patribus saepe fuit promissum atque praedictum per prophetas. Is. 35, 4 s.: *Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi coecorum* etc.; 25, 6: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum;* Zach. 2, 10: *Lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus;* Baruch 3, 36 ss.: *Hic est Deus noster et non aestimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae et tradidit illam Jacob puero suo et Israel dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est;* Mal. 3, 1 s.: *Ecce ego mittam angelum meum: et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Probatur speciatim J. Christum esse Deum carofactum ex Philipp. 2, 5: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Hic enim sermo est de Christo Jesu, qui evidenter

exhibetur Deus: quomodocunque enim explicetur illud *in forma Dei* [1]), talis semper ei adscribi debet conditio et natura, ratione cujus absque ulla Dei injuria aequalem se Deo arbitrari possit. Atqui plane evidens est, hoc tantum eum posse, si habet naturam divinam, si et ipse est Deus. Ergo manifesto Christus Jesus Deus perhibetur. Simul vero affirmatur eum habuisse naturam humanam, hominis instar inter nos esse versatum. Ergo Christus Jesus est Deus in humana natura conspicuus seu carofactus.

Praetermittimus traditionis suffragium, quod satis colligitur ex testimoniis patrum, quae passim adduximus th. 109. De patribus apostolicis cf. Katholik 1878 II, 258 ss. Martyrum testimonium, quod maximi est faciendum, cf. opusc. XIII, 7 ss. Vel ipsis gentibus innotuit haec christianorum fides, ut patet ex Hierocle eorum acerrimo adversario (qui floruit c. a. 300), qui inter Christum et Apollonium thyanaeum comparationem instituit, »ut liceat contendere invicem accuratum nostrum solidumque de re quavis judicium et animi in christianis levitatem. Quandoquidem nos quidem tam magna operatum non Deum, sed tamen deorum amicum esse arbitramur. Illi vicissim ob exiguas quasdam praestigias Jesum Deum esse praedicant (apud Eusebium l. contra Hieroclem c. 2).« Cf. pro thesi Cassianus de incarn. ll. 2—4 opusc. XXXII; Maranus de divinit. Christi; Stentrup prael. dogmat de Verbo incarn. th. 1 s.

470. *Exceptioni satisfit.* — Ad solvendas difficultates contra Christi divinitatem eadem prae oculis habeantur principia, quae dedimus ad diluendas exceptiones contra Filii divinitatem n. 158. Ad exceptionem vero illam Socini, Christo qua Dei legato tribui divina, sicut in V. T. de angelo patriarchis apparente talia affirmantur (supposita hypothesi, eum qui in V. T. apparuit, non fuisse ipsum Dei Filium): respondemus **1.** Christo quatenus distinctus est a Deo P. et in se consideratur, tribui divina: tribui autem non solent legato, quatenus a legante distinguitur et secundum se spectatur, hujus praerogativae. Sicut **2.** Christo homini tribuuntur divina, ita Christo Deo tribuuntur humana; atqui non solent legati imperfectiones transferri in legantem. Ergo illa tribuuntur Christo Deo, quia simul fuit verus homo ideoque Deus homo seu Deus carofactus. Tanta solemnitate **3.** tribuuntur Christo divina et tam saepe, ut ea solum per vim possint aliter explicari.

Caput III.
De natura humana assumpta.

471. **Thesis CXLVI.** ***Natura, quam Dei Filius assumpsit, non apparens tantum fuit et simulata, sed vera et solida, coalescens ex corpore non aliunde quam de b. Maria V. assumpto et anima eaque rationali.***

---

[1]) Locutio μορφὴ Θεοῦ significat vel majestatem divinam, vel quod praeferendum videtur, naturam seu substantiam divinam, ut colligitur ex oppositione ad naturam humanam assumptam, cujus mox fit mentio; ex locis parallelis Joan. 1, 14; Hebr. 1, 3; Colos. 2, 9; Tim. 3, 16 secundum lectionem graecam sat probabilem; ex patrum expositione. Si vero immediate significat majestatem, dignitatem, splendorem, conditionem divinam, cum haec supponant naturam divinam, mediate saltem hanc significat seu adsignificat.

Declaratio. Saepe Ecclesia ea, quae enunciamus thesi, modo singillatim, modo omnia simul definivit; plenissime Eugenius IV. in decreto pro jacobitis, et conc. viennense in Clementina de summa Trinit. et cath. fide: „Cum s. matre Ecclesia confitemur, unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater exsistit, una cum Patre aeternaliter subsistentem partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectualem seu rationalem ipsum corpus vere, per se et essentialiter informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae." Adeo vero evidens est 1. th. pars, quae statuitur contra docetas seu phantasiastas (de quibus cf. Küper KL[2] III, 1918 ss.) Christo asserentes corpus tantum apparens et simulatum, ut in dubium vocari non possit, quin et universa oeconomia christiana subvertatur, et principia probentur, quibus admissis non modo veritas theologica, sed universim historica et empirica certitudo pariter labefactetur. Sufficiet quaedam cum patribus notasse.

472. **Demonstratio p. I. 1.** Scite notat s. Augustinus l. 83 qq. q. 14: „Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus: non igitur fuit phantasma corpus ejus."

Tertullianus adv. Marcionem III, 8: »Cur enim non etiam Dei phantasma portaverit Christus? An credam ei de interiori substantia, qui sit de exteriori prostratus? Quomodo verax haberetur in occulto, tam fallax repertus in aperto?« et de carne Chr. c. 15: »Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua parte mentiri.« — Bene etiam Novatianus Christum alloquitur de Trin. c. 10: »Odisse debueras corporis imitationem, si oderas veritatem.« — Bellissime vero Irenaeus IV, 43 n. 5: »Judicabit autem (homo fidelis sequens Scriptuarum doctrinam) et eos, qui putativum (Christum) inducunt. Quemadmodum enim ipsi vere se putant disputare, quando magister eorum putativus fuit? aut quemadmodum firmum quid habere possunt ab eo, si putativus et non veritas erat? . . . Putativum est igitur et non veritas omne apud eos; et nunc jam quaeretur, ne forte, cum et ipsi homines non sint, sed muta animalia, hominum umbras apud plurimos perferant.« Cf. V, 29; Prudentius in Apotheosi v. 1051 ss.

2. Alio ex capite Tertullianus hunc impugnat errorem ita l. c. disputans: „Jam nunc cum mendacium deprehenditur caro Christi, sequitur, ut ea omnia, quae per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint . . . Eversum est igitur totum Dei opus, totum christiani nominis et pondus et fructus; mors Christi negatur, quam tam impresse Apostolus demandat utique veram, summum eam fundamentum constituens Evangelii et salutis nostrae et praedicationis suae. Negata vero morte nec de resurrectione constabit. Proinde Christi resurrectione infirmata etiam nostra subversa est." Cf. Thomassinus IV, 5.

3. Probatur haec veritas omnibus iis, quibus ex patribus convenientiam assumptionis naturae humanae illustravimus n. 447.

473. Neque huic assertioni obsunt verba Pauli Rom. 8, 3: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati:* quibus non detrahitur Christo universim humanae carnis substantia, sed quaedam carnis humanae qualitas seu potius vitium, infectio scil. per peccatum. Neque adversariis prodest provocare ad angelorum in humana forma apparitiones, sive ad locutiones metaphoricas, quibus vel ipsi Deo membra tribuuntur. Merito enim notat s. Thomas c. gentes IV, 29: »Licet rerum similitudines aequivoce rerum nomina sibi interdum assumant, non tamen competit s. Scripturae, ut narrationem unius facti totam sub tali aequivocatione proponat, ita quod ex aliis Scripturae locis manifeste veritas haberi non possit: quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur.« Cf. 3 q. 5 a. 1. 2. Atqui ne vestigium quiden in divinis reperitur literis, unde sequatur, ea quae de Christi humana natura leguntur, translate esse intelligenda; imo Christus dubia de veritate naturae humanae assumptae verbis factisque reprobat Luc. 24, 39 ss.: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere . . . Habetis hic aliquid quod manducetur?* etc. Quae autem de angelorum leguntur apparitionibus, ne minima quidem ex parte conferri possunt cum iis, quae de humana Christi vivendi agendique ratione narrantur. Ille vero angelus qui prae ceteris potuit credi corpore praeditus, ad corrigendum hunc errorem demum se fassus est spiritum Tob. 12, 17 ss. Praeclare exceptionem ex angelorum apparitionibus refellit auctor confutationis quarund. propositionum (inter opera Athanasii, Migne 28, 1378 ss; 1339 ss.) prop. 13.

474. **Demonstratio p. II. 1.** Carnem a Verbo assumptam non fuisse aëream, sideream vel de coelo allatam, ut Appelles, Valentinus manichaei etc. somniabant, sed nostrae consubstantialem, quam ex b. Maria accepit, manifestum est ex Rom. 1. 3; Gal. 3, 16; 4, 4 etc., ubi Christus dicitur *factus ex semine David, semen Abrahae.* Hinc Ferrandus ep. 3 ad Anatolium: „Tollat impius disputator Christo materiam carnis, quam Maria ministravit, et doceat, quomodo est semen Abrahae Christus, aut quomodo factus est ex semine David."

2. Christus passim dicitur *filius David, Abrahae, Mariae.* Cf. Matth. 1, 1 et 21 ss.; 8, 20; 9, 6; 10 13 etc., unde hoc colligit idem Ferrandus n. 2 argumentum: »Si secundum quod haereticus (Eutyches) sapuit, imo potius desipuit, caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis pronunciatur extranea, sine causa Filius Dei etiam filius hominis factus asseritur. Quomodo enim naturaliter filius est hominis, qui originem non habet ex homine? Nullam vero originem habet ex homine, si conceptus in utero Virginis carnem non traxit ex carne.«

3. Simile est argumentum, quod ex appellatione *matris* Mariae passim tributa Matth. 2, 13; Luc. 1, 43 etc. petit antiquus auctor anonymus opusc. in verba Jo. 1, 14 (inter opera s. Athanasii): »Nam quomodo mater est, cujus quod partu editum est, nullam partem aufert? quinam vero partus appelletur peregrinus ille quasi per canalem transitus? Vas itaque, non matrem, faciunt illi s. Virginem;« vel quod s. Athanasius infert ex Luc. 1, 35: *Quod nas-*

cetur ex te, in ep. ad Epictetum: »Non enim absolute dixit (angelus), quod gignetur *in te,* ne extrinsecus in illam inductum corpus ejus putaretur: sed *ex te* dixit, ut quod vere genitum esset, originem ex illa sumpsisse manifeste crederetur.«

4. Huc spectant, quae diximus (n. 448) de convenientia nativitatis Christi ex femina. Cf. disp. Archelai cum Manete n. 9.

475. Neque adversarios juvant verba Pauli 1. Cor. 15, 47: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de coelo coelestis.* Nam et ex antecedentibus et ex consequentibus liquet, sermonem ibi esse non de origine et essentia visibilis naturae ab Unigenito assumptae, sed de specie gloriaque humanitatis redivivae, quae proportione respondeat gloriae statuique coelesti, in quo post resurrectionem est Christus et cujus nos etiam post nostram resurrectionem participes futuros speramus. — Paulo secus textum hunc explicat Thomas lect. 7: »Dicit (Ap.) primum hominem *de terra* secundum modum loquendi, quo res de illo esse dicuntur, quod prima pars est in earum fieri; sicut cultellus dicitur de ferro, quia prima pars unde est cultellus, est ferrum, et quia prima pars, unde Adam factus est, terra est, ideo dicitur *de terra.* Secundus homo dicitur *de coelo,* non quód attulerit corpus de coelo, cum de terra assumpserit scil. de corpore b. Virginis, sed quia divinitas, quae naturae humanae unita est, de coelo venit, quae fuit prior, quam corpus Christi;« cf. 3 q. 31; vel quia (secundum alios) conceptus est de Spiritu sancto.

476. **Scholion.** Etsi Christus dicitur et est *filius Abrahae, semen David* etc., non tamen propterea sequitur, eum eodem modo fuisse secundum carnem in lumbis patrum, quo nos fuimus. Nam Christus fuit in illis secundum carnem tantum, quae bona est creatura, non autem secundum modum propagationis naturalis ex concupiscentiae lege, quo ibi sunt reliqui omnes homines: neque enim natus est secundum legem naturae, sed virtute Spiritus s. De qua distinctione cf. Augustinum de Genesi ad lit. X n. 35, ubi inter alia scribit: »In lumbis Abrahae secundum carnem et Levi et Christus: sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem.« Quod subtiliter et fusius exponit Anselmus de conceptu virg. et orig. pecc. c. 23, ubi inter alia statuit: »De aliis (hominibus) erat in Adam i. e. in ejus potestate, ut de illo essent; de isto vero (Christo) non erat in illo, ut aliquo modo esset: sicut non erat in limo, unde vir primus factus est, ut de illo esset mirabiliter; neque in viro, ut Eva de illo, quemadmodum facta est, esset. Sed nec in aliquo eorum, in quibus ab Adam usque ad Mariam, erat ut esset; fuit tamen in illis, quia erat in eis, unde ipse assumendus erat, quemadmodum erat in limo, unde primus homo factus est, et in eo, unde Eva facta est, non voluntate creaturae aut potestate, sed sola divine virtute; sed iste tanto mirabilius et majori gratia, quanto illi puri homines, hic homo Deus factus est.« Cf. Franzelin th. 10 ss.

477. Quaeritur, quare Christus tam frequenter et consulto se dixerit *filium hominis.* Multiplex reddi solet ratio: ita se appellavit humilitatis gratia; ad designandam veritatem carnis seque vere unum esse ex nobis; ad provocandum tanta demissione nostrum amorem atque fiduciam; ad insinuandum se esse humani generis exemplar atque ideam, hominem per excellentiam, vel forte magis ad rem ut designaret se illum esse, quem Daniel 7, 13 vidit venientem *quasi Filium hominis,* se esse Messiam divinitus praedictum, al-

tioris originis quam mere humanae i. e. divinae: hinc appellatione hac altiorem naturam suam i. e. divinam insinuat. Cf. Zenner Zeitschr. für k. Theol. 1892 p. 567 ss,

478. **Demonstratio p. III.** Contra arianos tenendum est Verbum assumpsisse corpus anima informatum. Et sane

1. in opposita sententia admitti deberet, vel Christum nullos esse expertum dolores, cum corpus inanime doloris sit incapax: vel divinitatem ipsam passioni fuisse obnoxiam. Atqui neutrum sine manifesto errore concedi potest. Habuit ergo Christus animam. Ad haec

2. arianorum sententia directe adversatur Scripturae, quae Christo adscribit animam vel diserte Luc. 23, 46: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens exspiravit*; Matth. 26, 38; 27, 50 etc., vel aequipollenter, quoties scil. ei tribuit obedientiam, meritum, tristitiam etc., quae evidenter supponunt animam; neque enim Christus secundum naturam divinam obedire, merere, tristari potuit, cum ejusmodi actus quandam naturae, qua obeditur etc., distinctionem, inferioritatem et dependentiam supponat. Unde ad rem Tertullianus de fuga in persec. c. 8: „Professus quidem et ipse est animam anxiam usque ad mortem (Matth. 26, 38) et carnem infirmam, ut tibi ostenderet primo in se utramque substantiam humanam fuisse, ex proprietate anxietatis animae et imbecillitatis carnis; nec aliam, ut quidam nunc induxerunt, aut carnem aut animam Christi interpretareris."

3. Luculentum patrum suffragium cf. apud Thomassinum IV, 8 ss., qui illius veluti summam exhibet III, 18 n. 5: „Deinde non partes tantum naturae physicas, corpus et animam, sed et minutissima quaeque Verbo Deo ss. patres affigere laborarunt: dolorem, metum, lacrimas affectusque omnes, conceptum, natales, cunas, aetates omnes, esuriem, sitim, fatigationem aerumnasque omnes, ut quocunque irrepserat peccatum, insinuaretur et medicina; utque omnia mors tabefecerat, sic omnibus vita inspergeretur." Ita ex. gr. scribit Gregorius naz. or. 37 n. 2: „Somnum fortasse capit (Filius Dei), ut somnum benedicat; fortasse etiam lacrimas fundit, ut lacrimas laudabiles reddat."

479. **Demonstratio p. IV.** Animam Christi non fuisse mentis expertem, ut opinati sunt apollinaristae, probatur

1. ex s. Scriptura, in qua Christus passim vocatur *homo, filius hominis, alter Adam.* Atqui neque homo, neque filius hominis dici potuisset, si eo caruisset, quod maxime proprium est hominis et sine quo homo ne concipi quidem potest, scil. ratione. Praeclare Augustinus tr. 47 in Joan. n. 9: „Videte absurditatem et insaniam non ferendam: animam irrationalem eum habuisse voluerunt, rationalem negarunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxere hominis."

2. Ex patribus, quoties cum Gregorio naz. ep. 101 ad Cledonium n. 7 statuunt: „Si quis in hominem mentis expertem sperat, amens est revera, neque dignus, qui totus salvetur. Quod enim assumptum non est, curationis est expers: quod autem unitum est Deo, idipsum salute donatur; si dimidiatus tantummodo Adamus lapsus est, dimidiatum quoque tantummodo sit, quod assumitur et salvum fit. Quod si totus peccarit, toti quoque unitus est atque ex toto salutem assequitur." Fulgentius l. 1 ad Trasimundum post longam disp. c. 12 sagaciter notat: „Qui (Christus) si minus aliquid habuit humanae naturae, nec personam sumere pontificis, nec offerri potuit pro peccatis. In lege enim sacerdotio fungi non poterat, si quis homo minus aliquid habuisset in se: nec vitiosum vel imperfectum pecus ad sacrificium cuiquam licebat offerre. Pontificem vero nostrum J. Christum esse quis ambigat?"

3. Dogma catholicum probatur ex obedientia et merito Christi, quae sine anima rationali nequeunt explicari. Quare

4. concilium CP. a. 382 in ep. synod. statuit: „Incarnationis quoque doctrinam incorruptam servamus, neque animae neque mentis expertem vel imperfectam carnis dispensationem suscipientes, sed agnoscimus perfectum omnino Verbum Dei ante secula, perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse." Et jam antea Damasus I: „Anathematizamus eos, inquit in conf. fid. ad Paul. antioch., qui pro hominis anima rationabili et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram i. e. rationabilem et intelligibilem sine peccato animam susceperit atque salvaverit." Cf. Petrus v. ep. 1 Mig. 189, 175 ss.; Thomas 3. q. 5 a. 4; c. gentes IV, 32.

480. **Scholion.** *Patrum antiquorum apologia.* — Manifesto errant recentiores quidam inter protestantes, ut Münscher, Neander, de Wette, qui paene omnes antiquiores patres fuisse in errore calumniantur non dissimili atque ariani et deinde apollinaristae, secundum quos Verbum carnem tantummodo, non animam, vel certe non animam rationalem assumpsit. Nominatim vero incusant Tertullianum, Clementem rom., Ignatium M., Justinum, Irenaeum et Origenem in operibus ante libros contra Celsum scriptis. Verum immerito, nam horum nullus est, qui sicut carnis, ita et animae vel integrae naturae humanae non fecerit mentionem. Ita ex. gr. scribit Clemens ep. 1 n. 48: »In caritate assumpsit nos Dominus Deus noster ex voluntate Dei, sanguinem suum pro nobis tradidit et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus nostris.« Cf. verba Tertulliani n. 478 [2]. — Quod si patres vetustiores frequentius carnis a Verbo assumptae meminere, non deerant congruae rationes. Malebant enim **1.** uti verbis Joannis 1, 14: *Et Verbum caro factum est;* scribebant **2.** contra docetas carnis veritatem negantes; in deliciis **3.** ipsis erat Christi humilitas et ex amore nostri exinanitio, quam carnis vocabulum quovis melius in memoriam revocat; inculcare volebant **4.** Chri-

stum non solum nostram assumpsisse naturam, sed et nostras infirmitates atque miserias, quas sponte carnis notio suggerit. Denique **5.** hac locutione melius insinuatur personae unitas in dualitate naturae; caro enim per se ingerit notionem substantiae hypostasi propria carentis, non ita notio naturae humanae. Cf. Franzelin th. 3. De alio errore circa unionem animam inter et corpus in Christo cf. Thomas c. g. IV, 37.

481. **Corollarium.** Ex dictis sponte sua consequitur, Christum esse *et verum Deum Patri consubstantialem, et verum hominem nobis consubstantialem*, quod ita enunciat concilium chalcedonense: „Sequentes sanctos patres, unum eundemque confiteri Filium et D. N. Jesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate et eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; ante secula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eundem propter nos et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem."

482. **Thesis CXLVII.** ***Natura a Verbo assumpta humanis affectibus, doloribus aliisque defectibus humanam naturam in praesenti rerum ordine sponte sua consequentibus fuit obnoxia.***

Demonstratio p. I. Filius Dei humanam assumendo naturam, assumpsisse affectus quoque humanos, manifestum est vel ex eo, quod hi sponte sua et naturaliter consequuntur naturam humanam. Ad rem Ambrosius in Ps. 61 n. 5: „Unde valde eos errare res indicat, qui carnem hominis a Christo ajunt esse susceptam, affectum negant, et contra ipsius Domini Jesu venire consilium, qui hominem ex homine tollunt, cum homo sine affectu hominis esse non possit. Nam caro sine affectu et praemii immunis et culpae est. Illud ergo suscipere debuit et sanare, unde culpa manaverat, ut originem erroris et quasdam prorumpentis delicti fores clauderet."

Praeter hanc rationem necessariam, plurimas convenientiae reddunt patres. Mallemus eos loquentes inducere, sed prolixitatem vitantes, summatim tantum illas innuemus. Suscepit Dei Filius humanos affectus, tristitiae, angoris etc. **1.** ut se verum testaretur esse hominem; **2.** ad consolationem infirmorum membrorum, ne desperent, quando turbantur etc., cum ipsum suum caput turbatum et ad mortem usque triste videant; **3.** ut discant, quid ejusmodi in adjunctis ipsis sit agendum; **4.** ut affectus suscipiendo eos sanaret, nobisque vim eos moderandi sanctificandique inspiraret, ut s. Leo passim significat, qui occasione verborum: *Tristis est anima mea* etc. Matth. 26, 38 ita serm. 54 n. 4 loquitur: „Quibus verbis quandam formidinem profitentibus nostrae infirmitatis affectus participando curabat, et poenalis experientiae metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostrae infirmitatis indueret, et nostram inconstantiam suae virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives atque misericors ne-

gotiator e coelis, et commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens et sua tribuens, pro contumeliis honorem, pro doloribus salutem etc.« Hinc inducit Christum ita Petrum alloquentem: »Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus.« — Ita Augustinus in Joan. tr. 60 n. 2: »Quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus, quasi deficiat; non perit, sed nos quaerit . . . Nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus: quando turbatur qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur, qui turbatur et nolens.« Cf. tr. 52 n. 1—4.

483. Cum tamen affirmamus Dei Filium nostros induisse affectus, non propterea statuimus, nullum fuisse discrimen inter affectus Christi et affectus nostros; ita enim illos habuit, ut **a.** nunquam in objectum illicitum, a lege divina dissonum, ferrentur. Ideo Augustinus: „Quisquis credit, inquit op. imperf. IV, 47, carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit.“ Puros ergo et inculpatos habuit affectus, ut loquuntur patres. Ita illos habuit **b.** ut iidem nunquam rationis dictamen praeverterent atque rationis lumen turbarent; ut **c.** pro nutu eos compescere, intendere vel minuere posset.

484. **Demonstratio p. II.** Adeo evidens est Christum obnoxium fuisse passibilitati habituali naturae humanae, et actu, non specie tenus, passionibus doloribusque, ut a probatione abstineamus. Quae enim probant eum habuisse verum corpus, et hanc probant assertionem. Cf. in primis verba Augustini 472[1], quae merito hic repetere licet.

Quare potius inquiramus in rationes, ob quas Dei Filius voluerit humanas assumere miserias, quae alioquin sunt peccati originalis sequelae, cui ipse in natura humana assumpta sane non erat obnoxius. Respondet praeeuntibus patribus Thomas 3. p. q. 14 a. 1: »Conveniens fuisse corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus et defectibus subjacere et praecipue propter tria. Primo quidem, quia ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret... Secundo propter fidem incarnationis adstruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout hujusmodi corporalibus defectibus subjacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo; nec veram carnem habuisse sed phantasticam . . . Unde et b. Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem revocatus, ut dicitur Joan. 20. Tertio propter exemplum patientiae, quod nobis exhibet passiones et defectus humanos fortiter tolerando.« Huc referri possunt illa Pauli Hebr. 2, 17: *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.*

485. **Demonstratio p. III.** Haec pars declaratione magis, quam probatione indiget. Quare quod humanae naturae defectus atque miserias spectat, notetur **1.** eos esse duplicis generis: alii enim sunt universales, cuilibet naturae humanae communes, quia consequuntur naturam

humanam rubiginis instar, ut mortalitas, passibilitas etc.; alii particulares, qui non consequuntur sponte sua naturam humanam, sed oriuntur ex causa particulari vel physica, ut coecitas a nativitate aliaque membrorum vitia; vel morali, ex hominum peccatis, ut variae infirmitates. Jam vero **2.** humana Christi natura immunis quidem erat, utpote in suo genere perfectissima, a defectibus particularibus, cujusmodi sunt morbi, membrorum vitia etc.; obnoxia tamen erat defectibus communibus: poterat enim mori, varia incommoda pati, fatigari etc., iis tamen exceptis, quae quandam indecentiam prae se ferunt, ut sunt ignorantia [1]) et concupiscentia. Ceterum **3.** ingens erat discrimen inter modum, quo Christus hisce erat obnoxius, et modum, quo nos subjicimur illis. Illos enim **a.** Dei Filius libere suscepit, nos vero necessario eos contrahimus et patimur. In nobis **b.** hi defectus consectarium sunt peccati originalis: Christus vero ideo illos admisit, ut remedium fierent contra peccatum. Ita nos **c.** iis sumus obnoxii, ut in nos dominentur; Christus vero pro nutu proque lubitu illis dominabatur, eosque vitare, temperare, suspendere etc. poterat. Ita nos **d.** hi defectus invadunt, ut toti patiamur iisque afficiamur: non vero totus Christus iis afficiebatur; attingebant quidem humanam naturam, non vero divinam. Quae si prae oculis habeantur, haud pauca patrum effata explicari poterunt, quae prima specie doctrinae catholicae adversari videntur.

486. Ex quibus solvitur controversia, quae tempore s. Bernardi agitabatur inter Philippum abbatem Bonae Spei et Joannem monachum ac praepositum, quorum ille ep. 5—7 et 22 ss. (Mig. 203, 34 ss.) contendebat, carnem Christi, de Spiritu s. conceptam, non fuisse naturaliter, sed quasi miraculose et praeter naturam doloribus miseriisque obnoxiam: hic vero asserebat, carnem Christi naturaliter, ex conditione naturae assumptae fuisse passibilem humanisque subjectam infirmitatibus. Quod alterum, ut patet ex praemissis, tenendum est, sed inter assignatos limites.

Ut statum controversiae amborumque sententiam rite intelligas, exemplo utamur. Narrat Matth. 4, 2: *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Jejunium per 40 dies secundum Philippum servavit Christus naturaliter (sicut post resurrectionem absque cibo potuque vivere potest); esuries subsecuta erat voluntaria seu positiva voluntate et ex dispensatione admissa ideoque praeternaturalis (sicut cum Christus post

---

[1]) Qua de re bene disputat Anselmus cur Deus homo l. 2 c. 13, ubi inter alia scribit: „Nonne dixi, quia sapienter fiet illa incarnatio? Sapienter namque assumet Deus mortalitatem, qua sapienter, quia valde utiliter, utetur. Ignorantiam vero non poterit assumere sapienter, quia nunquam est utilis, sed semper noxia: nisi forte cum per eam mala voluntas, quae nunquam in illo erit, ab effectu restringitur. Nam etsi aliquando ad aliud non nocet, hoc solo tamen nocet, quia scientiae bonum aufert; et ut breviter absolvam quod quaeris: ex quo homo ille erit, plenus Deo semper ut seipso erit; unde nunquam erit sine ejus potentia et fortitudine et sapientia.“

resurrectionem manducabat Luc. 24, 43). Sed secundum Joannem (et doctrinam catholicam) jejunium tam diu toleratum erat miraculosum (sicut in Elia 3. Reg. 19, 8); esuries subsecuta conditio erat naturalis, sicut in nobis, qui diu jejunantes esuriem experimur. Ceterum de hac controversia valde bene disputant Leontius l. 1 adv. Nestorium et Eutychen; auctor consultat. quarundam proposit. inter opera Athanasii prop. 7 (Migne 28, 1358 s.); Fulgentius ep. 18 ad Reginonem; Joan. Damascenus F. O. III, 28; Thomas comp. theol. c. 232 et 3. p. q. 14 et 15.

487. **Scholion.** *S. Hilarii vindiciae.* — Fatendum quidem est, Hilarium ea habere, quae prima saltem specie cum doctrina catholica vix possint conciliari. Ita enim de Trinit. l. 10 n. 23 disputat: »Homo itaque Jesus Christus unigenitus Deus, per carnem et Verbum ut hominis filius ita et Dei Filius, hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo, sumpsit: in quo quamvis aut ictus incideret aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aërem vulnerari, quamvis naturae teli sit et vulnerare et compugere et forare. Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit: dum et poenali ministerio desaevit, et Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit. Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturae habet, ut calcet undas et super fluctus eat, et non degravetur ingressu, neque aquae insistentibus vestigiis cedant; penetret etiam solida, nec clausae domus obstaculis arceatur. At vero si dominici corporis sola ista natura sit, ut sua virtute, sua anima feratur in humidis, et insistat in liquidis, et exstructa transcurrat: quid per naturam humani corporis conceptam ex Spiritu carnem judicamus? Caro illa, id est panis ille de coelis est; et homo ille de Deo est. Habens ad patiendum quidem corpus, et passus est; sed naturam non habens ad dolendum.« Propter haec et similia a nonnullis etiam erroris accusatur, ut a Mamerto Claudiano de statu animae II, 9 n. 3.

Verum Hilarius passim in suis operibus et vel in ipso loco objecto doctrinam catholicam tradit. Difficultas si qua est, exegetica censeri debet: quae evanescet, si hinc quidem scopus, quem in opere de ss. Trinitate edendo prae oculis habuit, attendatur, inde vero vocabulorum, quibus utitur, vis rite intelligatur. Atqui s. doctoris scopus eo spectat, ut anomoeos et eunomianos refellat, qui »quae ab eo (Christo) secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturae divinae infirmitatem mentiuntur (l. 9 n. 5),« hinc ipsam naturam divinam defectibus doloribusque asserunt obnoxiam. Quod vero loquendi rationem attinet, notetur, Hilarium

1. distinguere inter pati et passibilem esse: illud Verbo incarnato adscribit, hoc abjudicat. Cf. de synodis n. 49. Ratio distinctionis videtur esse, quod pati significat tantum patiendi factum, cui quis etiam sponte se subjicere potest: passibilitas vero significat patiendi debitum et necessitatem

ideoque supponit subjecti imperfectionem, quae conciliari nequit cum Verbi licet incarnati dignitate.

2. Nomine Christi Hilarius intelligit saepe Verbum secundum naturam non assumptam, sed sibi congenitam et maxime propriam i. e. divinam; hinc quod de Christo simpliciter affirmat vel negat, passim de Verbo secundum divinam naturam est intelligendum.

3. Quocirca (divinam) Christi naturam dispensationi et assumtae infirmitati, sicut naturalia ipsius attributa assumptis opponere solet, et haec veluti extranea considerat, secundum quam considerationem negare potuit passionem fuisse naturalem; quo modo etiam Ambrosius scribit (in Luc. X, 61): »Tristis autem est non ipse, sed anima.«

4. Vocabulo virtutis Hilarius cum aliis patribus utitur ad designandam Christi divinitatem, atque idcirco virtus corporis est divinitas Verbi unione hypostatica naturae humanae unita. Qua significatione posita facile explicantur verba ad speciem difficiliora: »Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excipit.« Idem scil. tradit, quod cum aliis patribus ita expresserunt Beatus et Etherius adv. Elipandum l. 1 n. 112: »Nullus liber sine litera est et nulla litera sine intellectu. Et litera in libro aperto legitur, ut quod legitur, intelligatur. Et cum intellexerit, jam gaudet, quia quod foris legerat, intus invenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam et literam concidit, intellectum literae concidere non potuit. Et tamen et litera exterius et intellectus interius unus liber est et sine utroque esse non potest . . . Sic est Christus liber noster: exterius pagina et litera: quod est homo, corpus et anima: intus divinitas tamquam intellectus in litera: quem librum judaei concidere potuerunt, intellectum tamen, quod est divinitas ejus, nec concidere nec separare potuerunt.« Quae si prae oculis habentur, patebit, Hilarium doctrinam catholicam, quam exposuimus n. 485, obscurius quidem nonnihil tradere, sed ab ea non deflectere. Cf. Coustantius in praef. gener. ad s. Hilarii opera sect. 4 § 3, et Franzelin in schol. 1 post th. 42 et ante hos P. Lombardus in 3. dist. 15, cujus explicationem paucis complectitur s. Thomas in comment. subjecto. »Solutio Magistri, inquit, consistit in hoc, quod simpliciter noluit (Hilarius) removere a Christo dolorem, sed tria quae sunt circa dolorem. Primo dominium doloris . . . secundo meritum doloris . . . tertio necessitatem doloris . . . Et secundum hoc solvuntur tria difficilia, quae in verbis ejus videntur esse etc.«

Caput IV.

De unione naturae humanae cum Verbo.

488. Demonstravimus Verbum humanam assumpsisse naturam: hinc unio quaedam facta est inter personam Verbi et naturam assumptam. Jam quaeritur, quaenam sit conjunctionis indoles atque ratio. Cui quaestioni plene satisfacit conc. chalcedonense statuens post verba n. 481 allata: „Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum (docemus) in duabus naturis inconfuse (ἀσυγχύτως), immutabiliter (ἀτρέπτως), indivise (ἀδιαιρέτως), inseparabiliter (ἀχωρίστως) agnoscendum, nusquam

sublata naturarum differentia propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam (εἰς ἓν πρόςωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν) concurrente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum [1]." Quibus verbis triplex unionis proprietas enunciatur; exhibetur scil. indivisa, inconfusa, inseparabilis. De qua triplici conjunctionis proprietate tribus disseremus articulis.

Articulus I.

De unione naturarum in Christo indivisa seu hypostatica.

§ 1. Dogmatis catholici probatio.

489. Hoc in articulo disputabimus adversus divisionem inductam a Diodoro tarsensi († c. a. 394), Theodoro mopsuesteno, Nestorio ep. CP. (a. 428) et Leporio (fl. a. 418). Theodori mopsuesteni errores complexa est et damnavit synodus oecumenica V. can. 12: »Si quis defendit Theodorum impiissimum mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, et alium Christum, et passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum, et a malis paulatim separantem se, et ita ex profectu operum melioratum, et ex vitae conversatione incontaminatum constitutum, tamquam purum hominem baptizari in nomine Dei Patris, Filii et Spiritus sancti, et per baptismum gratiam s. Spiritus accipere et adoptionem promereri, et ad similitudinem imperialis imaginis in personam Dei Verbi adorari; post resurrectionem inconvertibilem secundum intellectum et sine peccato penitus factum. Et iterum dicente eodem impiissimo Theodoro, unionem Dei Verbi ad Christum talem factam fuisse, qualem dixit Apostolus in marito et uxore: Erunt duo in carne una . . . A. S.« Cf. can. 4 infra n. 492.

Nestorii, qui inter adversarios maxime innotuit, errores ita paucis, sed dilucide, exponit s. Thomas 3. q. 2 a. 6: »Alia fuit haeresis Nestorii et Theodori mopsuesteni separantium personas (seu unionem dissolventium hypostaticam); posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei et filii hominis, quas dicebant sibi esse invicem unitas: primo quidem secundum inhabitationem, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo; secundo per unitatem affectus, in quantum scil. voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei; tertio secundum operationem, prout scil. dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; quarto secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei; quinto secundum aequivocationem i. e. communicationem nominum, prout scil. dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei.« Admisit ergo Nestorius in Christo duas personas aliam Verbi, aliam filii hominis, hinc unionem tantum moralem inter Verbum et naturam humanam assumptam: unde inferebat

---

[1]) Fusius sed praeclarissime hanc unionem describunt Leo M. ep. 28 c. 4 (opusc. XXV, 174); Agatho in ep. ad imperat. et Leo IX. in symbolo fidei proposito Petro episc. (apud Denzinger in enchirid. n. 133; 235 et 293); Vincentius lir. commonit. c. 13 op. IX.

Mariam non esse θεοτόκον, sed tantum χριστοτόκον, nec vere dici posse Deum esse natum, passum, mortuum. Verum quidem est, Nestorium concessisse in Christo ἓν πρόσωπον, sed pro laxiori hujus vocis significatione, qua significat personam moralem, subjectum juris, quo sensu personae physice plures unam constituere possunt personam moralem, et persona physice una plures induere potest personas morales; quo sensu patres subinde dicunt, Christum locutum esse in persona hominis, in nostra persona. Cf. etiam Vincentium lirin. commonit. c. 12; Cyrillum al. ep. ad Coelestinum n. 3 et praesertim ejusdem commonitorium (opusc. XVIII, 190 et 199 ss.); et fuse de horum haereticorum erroribus et fatis Petavium I, 7 ss., Garnerium in diss. 1 de haeresi et libris Nestorii c. 4 § 9, Hefele, Conciliengesch. § 127 s.; Stentrup th. 16 ss.

491. Rejicienda autem prorsus est opinio eorum, qui contendunt, Nestorium illegitime omnino fuisse a concilio ephesino damnatum, et inter ipsum et Cyrillum alex. seu generatim catholicos nullam exstitisse dissensionem de dogmate, sed tantum de verbis, totamque controversiam revocari ad insignem quandam logomachiam. Haec enim opinio plane injuriosa est in patres plurimos alioquin doctissimos, quos ignorantiae arguit in re tanti momenti; in concilium oecumenicum ephesinum, cui levitatem inexcusabilem tribuit in damnandis Nestorio ac tot ejusdem asseclis; in universam Ecclesiam, quae secundum hoc somnium tot viros orthodoxos suo excussit sinu; in Spiritum s., cujus nutu et assistentia reguntur concilia oecumenica in suis definitionibus. Cf. fasciculi trimestres tubing. 1835 pag. 215 ss.; Petavius toto l. 6: Natalis Alexander sec. V diss. 9.

492. Contra Nestorii haeresim congregatum fuit conc. ephesinum oecumenicum III. a. 431, quod pluribus canonibus damnavit ejus errores; quorum 2. est: „Si quis non confitetur, carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, A. S.“ Quam damnationem confirmavit pleniusque expressit synodus V. (a. 553), cujus can. 4 ita habet: „Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem aut relationem aut effectum aut virtutem, unitionem Verbi Dei ad hominem factam esse; aut secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, quia bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundum solam nominis similitudinem, quam graeci homonymiam vocant, per quam nestoriani Deum Verbum Jesum et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas (δύο πρόσωπα) manifeste dicentes, per solam nominationem et honorem et dignitatem et adorationem et unam personam (ἓν πρόσωπον) et unum Christum confingunt dicere; sed non confitetur, sicut ss. patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, id est secundum subsistentiam (καθ' ὑπόστασιν), factam, et propterea unam ejus

substantiam (μίαν τὴν ὑπόστασιν), qui est D. N. J. Christus, unus de ss. Trinitate, talis A. S."

493. **Thesis CXLVIII.** ***Ex divinis literis manifesto constat, unum atque eundem J. Christum Deum esse et hominem, ut non alius sit, qui est Deus Verbum, et alius, qui est homo: sed idem, qui Deus est aeternus, manens Deus coeperit in tempore esse verus homo. Quare nestoriana divisio moralisque naturarum in Christo unio rejici debet.***

Demonstratio. In thesi tuemur unionem Verbi cum humana natura non fuisse moralem tantum secundum inhabitationem, affectum, operationem, sed omnino substantialem, qua unum physice subjectum, unum prodiit individuum. Ex plurimis argumentis, quibus dogma catholicum probari potest, potiora quaedam eligimus. Utemur

1. argumento generali: Duplicem reperimus seriem veritatum revelatarum; prima revelatur Christus Filius Dei (th. 107) verusque Deus (th. 109); altera idem, qui verus Deus demonstratus fuit, probatur etiam verus homo (th. 146). Atqui prima veritatum series non de uno, de alio autem altera affirmatur, sed utraque de uno eodemque plane subjecto, de Jesu Nazareno. Est ergo revelatum, Deum verum esse simul verum hominem J. Christum natum de Maria V., passum, mortuum etc., et illum hominem Jesum esse ipsum aeternum Dei Filium, verum Deum, seu unum idemque subjectum et individuum, unum eundemque J. Christum simul esse hominem et Deum. Quare ita facta est unio, ut una esset utriusque naturae persona. Quod argumentum ita quoque potest proponi: Hypostasis est ultimum subjectum omnis praedicationis. Atqui non de alio subjecto humana, de alio divina praedicantur. Ergo unum est praedicationis subjectum, de quo divina et humana affirmantur. Ergo una est persona seu hypostasis, quae habet utramque naturam. Quare unio facta est in unitatem hypostasis seu est hypostatica.

2. Ita Paulus, ut ad quaedam testimonia in specie veniamus, Rom. 9, 5 eundem plane, quem exhibet unum ex israelitis, quique dicebatur Christus J., affirmat esse Deum, super omnia benedictum, scribens: *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui* (hic idem, non alius ab eo distinctus) *est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.* Expendantur etiam Is. 9, 6: *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis;* Matth. 16, 16: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi;* Joan. 8, 58: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum;* 1. Cor. 2, 8: *Quam* (sapientiam Dei) *nemo principum hujus seculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum*

gloriae crucifixissent. Ex quibus argumentum hujus formae derivamus: de uno eodemque subjecto et individuo constanter praedicantur et humana et divina. Atqui hoc fieri non potest, si alius est Deus, alius homo; si moralis tantum est unio, non physica et substantialis inter Deum Verbum et naturam humanam; si non unus idemque, eadem persona simul est Deus et homo: neque enim propter intimam unionem moralem inter virum et uxorem, qua *una* sunt *caro,* licet praedicata viri de uxore, et hujus dotes de illo affirmare. Ita ergo facta est unio, ut Deus Verbum et homo Christus Jesus sit una eademque persona. Quare unio est hypostatica, vi cujus natura humana assumpta fuit in unitatem personae.

3. Accedunt Joan. 10, 30; 1. Cor. 1, 23; Bar. 3, 36 s. et Phil. 2, 9 (supra n. 469), cujus loci occasione Cyrillus alex. in dial. quod unus est Christus (Migne 75, 1282) scribit: »Universum administrationis in carne mysterium plane in contrarium mutabitur (secundum Nestorii errorem). Neque enim Deus natura exsistens atque ex Deo Verbum seipsum ad exinanitionem demisisse cernitur, neque humiliaverit semetipsum: sed e contrario relatus quidem fuerit homo in Deitatis gloriam inque excellentiam omnium supremam: acceperit vero et formam Dei et exaltatus fuerit assessor Patri factus.« Et p. 1315: »Neque ut videtur *Verbum caro factum est,* sed ἀνθρωποπολίτης h. e. hominis incola, et conveniens fuerit illum (Filium Dei) non hominem, sed humanum vocare, quemadmodnm et qui Nazareth inhabitavit nazarenus dictus est, non Nazareth. Quin imo nihil prorsus obstiterit, si commentum illorum verum est, hominem vocari una cum Filio Patrem et Spiritum sanctum. Habitat enim in nobis per Spiritum sanctae et consubstantialis Trinitatis plenitudo.« In dial. vero quod unus est Christus p. 1346 cit. verbis Joan. 3, 16: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* etc., ita prosequitur: »Cum vero Dei ac Patris dilectionem erga mundum ita extollat et immensam atque inexhaustam fuisse dicat, cur haeretici hanc elevant atque imminuunt dicentes, non verum Filium pro nobis datum esse, sed quendam ex nobis per gratiam in filium adoptatum, eumque in naturalis Filii locum attollentes, cum sit Unigenitus, qui pro nobis datus est?« Cf. Cassianus de incarn., praesertim III, 9; IV, 6 s., V, 3 ss.; Thomas c. gentes IV, 34.

4. Praeterea Jesus Christus passim Patri et Spiritui s. connumeratur, ut 2. Cor. 13, 13: *Gratia D. N. J. Christi et caritas Dei et communicatio s. Spiritus sit cum omnibus vobis;* 1. Thess. 3, 11; 2. Thess. 2, 15; Rom. 15, 30; ita etiam in symbolis, passim in doxologiis. Atqui si J. Christus non esset unus idemque, una eademque cum Filio Patris unigenito persona, jam non trinitas, sed quaternitas esset profitenda. Merito ergo Cyrillus al. exposita doctrina catholica adversus Nestorium scripsit in ep. anathem. n. 23: „Hoc ita sentire edocti sumus a ss. apostolis et evangelistis et ab universa divinitus inspirata Scriptura atque ex veraci beatorum patrum confessione.“

494. **Thesis CXLIX.** ***Eadem veritas symbolis patrumque solemni ad Nestorium usque traditione comprobatur.***

Demonstratio p. I. Ex symbolis eadem argumentandi forma probatur dogma catholicum, qua illud demonstravimus ex divinis literis. Et revera in iisdem diserte profitemur, eundem plane, qui est Patris Filius, Deus de Deo, genitus non factus, consubstantialis Patri (ut in symb. nicaeno), natum ex Maria V., passum, mortuum, sepultum. Atqui „si ita hominem, inquit Leporius in lib. emendationis, cum Deo natum esse dicamus, ut seorsim quae Dei sunt, soli Deo demus, et seorsim quae sunt hominis, soli homini reputemus: quartam manifestissime inducimus in Trinitate personam, et de uno Filio Dei non unum, sed facere incipiemus duos Christos, quod a nobis jam Dominus et Deus Christus avertat.“ Quare synodus ephesina, censens Nestorium symbolo nicaeno praedamnatum, decrevit act. 6: „non esse alteram fidem scribendam;“ et concilium VI. act. 3: „Sufficiebat quidem ad perfectam orthodoxae fidei cognitionem et confirmationem hoc (nicaenum) pium et orthodoxum symbolum.“ Hinc Cyrillus alex. Nestorium passim ex eo refellit, ut in ep. ad mon. n. 6; ep. syn. 3 etc.

495. **Demonstratio p. II.** Nestorius et qui illius amplectuntur divisionem, ab hisce abhorrent (et in ipsorum hypothesi omnino consequenter) propositionibus: Verbum duas subiisse nativitates; Verbum esse ex Maria V. natum; Deum esse passum, mortuum etc. Atqui hae geminaeque propositiones passim reperiuntur in antiquissimorum patrum scriptis. Ita scribit ad ephesios n. 18 Ignatius († a. 107): „Deus noster J. Christus parturiebatur a Maria;“ et n. 7: „Unus est medicus et carnalis et spiritalis, factus et non factus, in carne natus Deus, in morte vita aeterna, tum ex Maria, tum ex Deo; primum passibilis, dein (scil. post resurrectionem) impassibilis.“ Irenaeus († a. 202) V, 17: „Verbum Dei per divinam extensionem manuum (in cruce), ut quidam e senioribus dixit, congregavit duos populos ad unum Deum:“ et ib. c. 2 n. 2: „Verbum Dei sanguine suo nos redemit, et in eucharistia calicem suum sanguinem, panem suum corpus confirmavit;“ et ex Evangelio et epist. Joannis probat III, 16 damnari „blasphemas regulas, quae dividunt Dominum, quantum ex ipsis attinet, ex altera et altera substantia (i. e. hypostasi) dicentes eum factum.“

Melito (fl. c. a. 170) scribit (ap. Gallandium I, 679): »Deus passus est a manu israelitica.« — Clemens romanus († c. a. 100) ep. 1 ad Cor. n. 2: »Passiones Dei erant ante oculos vestros.« — Tertullianus (fl. c. a. 200) de carne Chr. c. 5: »Nonne vere crucifixus est Deus? nonne vere mortuus est, ut vere crucifixus est?« Disputationem c. Praxeam c. 27 ita concludit: »Videmus duplicem statum non confusum, sed conjunctum in una persona Deum et hominem.« — Dei passi mentionem faciunt etiam Tatianus (fl. sec. II) or. adv. graecos n. 13 et Clemens alex. (fl. c. a. 200) in Protreptico p. 66: »Crede, homo, homini et Deo; crede, homo, passo et adorato Deo viventi.« —

Alexander alex. († 326) serm. de anima et corp. (Mig. 18, 595) n. 5: »Quaenam, oro, necessitas Deum coëgit in terram descendere, carnem assumere, panniculis in praesepi involvi, lactante sinu ali, baptismum a famulo suscipere, in crucem tolli, terreno sepulcro infodi, a mortuis tertia die resurgere? . . . Aspicite, o homines aspicite, omnes populi, prodigia nova! Ligno eum suspenderunt, qui terram expandit: clavis eum confixerunt, qui mundi fundamenta stabilivit: circumscripserunt eum, qui coelum circumscripsit« etc. Cf. Tüb. Qtlschr. 1880 p. 119 ss.; martyrum testimonia dedimus opusc. XIII praef. n. 10 ss. Denique huc referri possunt objectiones judaeorum et gentilium, qui passim christianis exprobrabant, stultum esse atque impium, Deum natum credere ex muliere (c. 449), crucifixum [1]: nec posse Deum immutabilem fieri hominem, nec mori immortalem. Plura patrum testimonia reperies in actis conc. ephesini sess. 1 Hard. I, 1399—1410 et apud Cassianum VII, 24 ss.

496. **Scholion I.** Unica difficultas eaque vix mentione digna contra thesim petitur ex Chrysostomi hom. 3 in ep. ad Hebr. Sufficit enim contextum inspicere, ut liqueat s. doctorem non duas in Christo asserere hypostases, sed inculcare Patrem et Filium esse duas realiter distinctas hypostases. Explicans verba Ps. 44, 7: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga aequitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis prae participibus tuis,* quae Paulus allegat Hebr. 1, 8 s., notat: »Apostolus et judaeos et Pauli samosateni discipulos et arianos et Marcellum et Sabellium ferit et Marcionem. Quomodo? Judaeos quidem ostendens unum et eundem esse duo, tum Deum, tum hominem; alios vero, Pauli samosateni, inquam, discipulos, eo quod de aeterna haec disserit exsistentia et increata essentia. Nam in oppositione ad illud *fecit* posuit hoc: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi;* contra arianos iterum hoc idem, et quod non est servus; contra Marcellum et illos alios, quod duae sunt hae personae distinctae (scil. Pater et Filius) secundum hypostasin; contra marcionitas, quod divinitas non ungitur, sed humanitas.« Cf. duplicem diss., aliam Gabrielis Danielis, aliam Ign. Tentscher, in thes. theol. ed. Zaccaria IX. Cf. Stentrup th. 12. 13.

497. **Scholion II.** Juverit paucis expendere potiores formulas, quibus patres *unionem Verbi cum humana* natura designant. Vocant eam **I.** *physicam, naturalem, essentialem, substantialem*: non **a.** ut negent [2]) eam esse supernaturalem, neque **b.** quia existimant unionem factam esse immediate inter naturam divinam et humanam [3]); neque **c.** ut significent unam ex ea prodiisse naturam; sed **d.** ut exlcudant conjunctionem moralem per affectum, secundum

---

[1]) Huc spectant etiam verba Pauli 1. Cor. 1, 23: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum: judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam;* ex quibus verbis praeclarum pro dogmate catholico derivat argumentum Cassianus III, 8 ss. Cf. de gentilium objectionibus Maranum de divinit. Christi II, 2; III, 2; Kraus Roma sotterranea 1872 l. 4 pag. 222.

[2]) Unionis supernaturalitatem illustrat Scheeben Mysterien § 55 ss.

[3]) Unio enim facta est immediate inter personam Verbi et naturam humanam, ac proinde mediante personalitate Verbi cum natura divina, ut ait Rusticus diaconus contra acephalos: »Non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi personam unita dicitur carni.«

operandi virtutem tantum, qualem admisit Nestorius; et c. ut inculcent unionem esse intimam, veram, realem, objectivam, independentem ab actibus, vi cujus Christus sit objective unum subjectum et individuum. Haec abunde constant ex historia controversiae cum nestorianis, contra quorum haeresim in primis adhibitae fuerunt hae formulae. Ita Cyrillus et synodus ephesina anath. 3 statuit: »Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases ipsasque ea tantum conjunctione inter se connectit, quae est secundum dignitatem vel auctoritatem vel potestatem, et non eo potius concursu, qui est secundum naturalem unionem (καθ' ἕνωσιν φυσικήν), A. S.;« et hunc anathematismum explicans in apol. contra orient. docet: »Quod si naturalem unionem dicimus, veram intelligimus. Non igitur confundentes naturas, neque ipsas inter se permiscentes naturalem dicimus factam unionem, sed ex duabus rebus dissimilibus, Deitate nimirum et humanitate, unum factum esse Christum et Filium et Dominum ubique affirmamus.« — Et Damascenus F. O. III, 3 n. 8: »Substantialem (οὐσιώδη) dicimus unionem i. e. veram et non imaginariam: substantialem, non quod duae naturae unam compositam naturam effecerint, sed quod in unam Filii Dei compositam hypostasim inter se unitae sint. Quinimo substantialem ipsarum differentiam integram et incolumem servari statuimus.« Cf. Rusticus diaconus contra acephalos (Migne 67, 1194); Thomassinus III, 7; Kleutgen n. 98 s.

498. Qua occasione subtiliter quaerit Lugo d. 11 s. 4 s., utrum Verbum unitum sit naturae assumptae substantialiter, an accidentaliter tantum. Hoc posterius potest videri probabile ideo, quia quod advenit alicui enti in actu completo, dicitur ei accidentaliter advenire. Cum igitur humanitas accedat Verbo, quod est in se perfectum et completum, unietur ei non substantialiter, sed accidentaliter. Respondet vero hunc in modum: Substantia dicitur illa, quae est prima radix determinata et fundamentum aliorum omnium, quibus ideo dicitur substare, et quae per se exsistit: unde omnia, quae pertinent ad constituendam illam primam radicem in tali ratione sunt etiam entitates substantiales . . . Quo supposito constat, unionem etiam hypostaticam humanitatis cum Verbo debere esse substantialem, quia haec unio constituit intrinsece hominem. Hac enim unione sublata non manet homo, sed humanitas.« Contenson vero in theol. mentis et cordis l. 9 diss. 3 c. 1 axioma illud ita restringit: »Illud quod advenit enti completo, advenit accidentaliter, nisi trahat illud, cui advenit, ad consortium sui esse. Verbum autem adveniens humanitati facit eam consortem suae subsistentiae, unde illi substantialiter unitur.« Cf. s. Thomas 3 p. q. 2 a. 6; Scheeben § 215.

499. **II.** Patres affirmant *naturas in Christo non separari, sed tantum distingui,* imo secerni solum posse κατὰ θεωρίαν secundum mentis considerationem. Haec vero doctrina non favet errori monophysitarum: nam ab illis quoque proponitur, qui huic haeresi gravissime restiterunt. Sciendum enim est distinctionem secundum considerationem opponi quidem distinctioni reali, subinde tamen etiam divisioni. Atqui patres cum affirmant, naturas in Christo ratione tantum distingui, hanc distinctionem opponunt divisioni et separationi nestorianae. Sane eodem modo dicunt in homine animam a corpore ratione seu κατὰ θεωρίαν distingui, non negata propterea reali animae a corpore differentia: realem enim divisionem volunt tantum exclusam. Quare hac loquendi ratione **a.** negative excludunt unionem moralem; positive

b. affirmant subjecti unitatem; comparate **c.** unitatem personae in duabus Christi naturis conferunt cum unitate naturae in trinitate personarum. Sicut enim personae divinae, etsi re ab invicem distinguuntur, vinculo ejusdem substantiae ita uniuntur, ut absolute nunquam re ab invicem separari vel dividi possint: sic unitione semel facta, natura humana ita adhaerescit Verbo, ut ab eo nunquam seorsim exsistat, nunquam dividatur, sed consideratione tantum dividi veluti possit. Cf. de hac comparatione n. 184[9]; Rusticum l. c. (Mig, 67, 1179 s.); Alcuinum de fide Trinit. III, 13; Bernardum de consid. V, 9; Petavium IV, 3 § 14; 10; VI, 9. Occasione tamen hujus comparationis nota, licet dici possit in Christo esse aliud et aliud: tamen »illa propositio: Christus est aliud et aliud potius est neganda quam concedenda«, inquit Suarez in comm. in 3. p. q. 16 a. 1, quia significaret diversitatem in supposito, seu duo esse supposita.

500. **III.** Non defuerunt, qui cum Cyrillo alex. ad inculcandam intimam Verbi cum humana natura conjunctionem uterentur formula μία φύσις τοῦ Λόγου σεσαρκωμένη *una natura Dei Verbi incarnata,* de qua tene:

1. eam per se nullatenus favere errori monophysitarum, quod evincunt argumenta tam interna, quam externa. Sane **a.** in conciliis chalcedonensi, constantinopolitano II. et lateranensi sub Martino I., in quibus profligatae fuere omnes monophysitarum formulae, approbata et recepta fuit haec loquendi ratio; usurpata fuit **b.** a patribus quoque orthodoxis, qui contra monophysitas decertarunt. Praeterea **c.** constat, Cyrillum disserte docuisse, in Christo etiam post unitionem duas sedulo secernendas esse naturas, easque in Christo esse integras et inconfusas. Quare ipse Theodoretus, Cyrilli alioquin adversarius, testatur ep. 83 se ad duarum naturarum veritatem demonstrandam uti Cyrilli et Theophili libris, »aperte siquidem et duarum naturarum discrimen nos docent, et immutabilitatem divinae praedicant naturae.« Ad haec **d.** Cyrillus, qui prae ceteris hac usus est formula, scripsit l. contra synusiastas seu eos qui confundunt naturas, cujus fragmentum exhibet Mai N. B. PP. II, 449 ss., et eam explicans omnem monophysitici erroris ab ea removet suspicionem. Ita enim scribit ad Successum ep. 46: »Si dicentes unam naturam Verbi tacuissemus, ac minime adjuxissemus incarnatam excluso propemodum dispensationis mysterio, esset fortasse illorum oratio non inepta, dum interrogare se simulant: ubinam est in humanitate perfectio, aut quomodo subsistit substantia nostra? Sed quia et illa in humanitate perfectio et essentiae nostrae declaratio est, dum dicimus incarnatam, desinant baculo niti arundineo.«

2. Hac formula significatur unitas Christi ontologica: negatur scil. duas esse in ipso naturas subsistentes, Deum et hominem, sensu nestoriano, et docetur naturae jam in Verbo subsistenti subjungi alteram i. e. humanam, ut sit Deus incarnatus, ut illa principaliter emineat, haec accessio ejus sit; illa fuerit semper et pergat esse, altera velaminis instar nuper illi ita accreverit, ut sit propria Verbi jam in natura divina subsistentis, et per se seorsim nec sit, nec unquam fuerit. Quare

3. ad rem sunt, quae hujus formulae occasione disputat Gelasius, et quae ex eo adducit Fulgentius ep. 14 n. 19: »Nam et cum dicunt, unam fuisse naturam incarnatam, volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus evadunt significationem duarum. Dum enim dicitur unam divini-

tatis naturam fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus, altera erit quae incarnata est, altera qua incarnata perhibetur: quoniam non eadem erit natura deitatis, quae incarnata est, quae est natura carnis, qua incarnata firmatur; neque seipsa natura deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur.« Cyrillum tuetur etiam Facundus episc. hermianensis l. 1 c. 5. Merito ergo conc. oecumenicum V. can. 8 de hac formula statuit: »Si quis ex duabus naturis, deitate et humanitate confitens unionem factam fuisse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, et non sic has voces intelligit, sicut ss. patres docuerunt, quod ex divina natura et humana unitione secundum subsistentiam (καθ' ὑπόστασιν) facta, unus Christus factus est, sed ex hujusmodi vocibus unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi introducere conatur, talis A. S.« Cf. Suarez disp. 7 sect. 2; Franzelin thes. 35; Petavius IV, 6 ss. et l. VI.

501. **IV.** *De formula ‚unio hypostatica'.* — Prae ceteris vero formulis a patribus ad designandam Verbi cum natura assumpta conjunctionem adhibitis solemnis est ea, qua illam appellant unionem καθ' ὑπόστασιν hypostaticam seu secundum subsistentiam. Qua non significatur duas in Christo unitas fuisse hypostases, sed unionem non esse specie tenus, externam, moralem tantum, ut censuit Nestorius: sed veram et substantialem, pro illa τῆς ὑποστάσεως significatione, qua opponitur ei, quod est inane et evanidum, phantasma. Ita ille in defens. anathemat. 2 adv. Theodoretum (Mig. 76, 402) unionem καθ' ὑπόστασιν explicat, ut sit unio κατὰ ἀλήθειαν, vi cujus unus intelligitur atque est Christus, idem Deus et homo.

In primis vero ea formula, ut nunc passim explicatur, edicitur unio, vi cujus non duae sunt in Christo personae, sed una tantum: quod natura humana ita accesserit ad Verbi personam, ut hujus fieret propria in eaque subsisteret. Quam unionem ita praeclare describit Epiphanius haer. 77 n. 29: „Verbum descendit de coelo et in se ipso carnem subsistentem fecit ex utero s. Virginis et integram humanam naturam perfecte in se transplasmavit." Et jam sec. III. Hippolytus c. Noëtum n. 15: „Unigenitus perfectum est Verbum, caro autem per se ipsam seorsim a Verbo non potuit subsistere, quia in Verbo habebat consistentiam [1])."
Verum haec melius intelligentur exposita prius hypostasis notione.

502. **V.** Denique patres in suis disputationibus praesertim tum contra gentiles, tum contra apollinaristas solent dicere *Verbum carnem assumpsisse*

---

[1]) Thomassinus III, 8 § 4 stilo suo proprio ita eam describit, ut sit unio, vi cujus »natura superior inferiorem invadendo domaret, sibique subjugaret, suam efficeret, suo juri censuique manciparet, nec extrinsece illi, sed introrsum dominaretur; eam ageret gereretque ut suam, ac proin natura inferior suo in se ipsam jure exuta superiori accederet et insereretur, nec seorsim per se atque in se consisteret, sed illi meliori adhaeresceret, illi incumberet et inniteretur.« Cf. Stentrup th. 14.

mediante anima. Ea autem formula non ita est intelligenda, ac si negetur immediata Verbi conjunctio cum tota humana natura, vel affirmetur Verbum seorsim corpus et seorsim assumpsisse animam. Utrumque enim est erroneum. Verum patres ea illud ipsum significarunt, quod s. Thomas 3. p. q. 6 a. 1 ita exprimit: »Secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet, quod sit caro humana;« et iterum q. 50 a. 2 ad 2: »Verbum Dei dicitur unitum carni mediante anima, in quantum caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei assumere intendebat;« c. gentes IV, 44; praesertim vero in 3. d. 2 q. 2 a. 1, ubi sol. 2 etiam statuit: »Dicendum quod Divinitas mediante spiritu animam assumpsit, sicut anima mediante corpus; sicut enim corpus non est assumptibile nisi per hoc, quod habet animam; ita anima non est assumptibilis, nisi per hoc, quod mens in ea est, per quam imaginem Dei habet.« Quae explicatio facilius intelligetur, si probetur quorundam theologorum opinio, Deum non potuisse hypostatice assumere naturam irrationalem (n. 445[5]); tunc enim liquet, carnem eatenus tantum potuisse a Verbo assumi, quatenus est pars naturae rationalis, intuitu ergo animae rationalis eandem informantis. Cf. Bonaventura Brevil. IV, 3; Petavius IV, 13; Thomassinus IV, 9.

§ 2. Uberior catholici dogmatis de unione hypostatica illustratio.

503. Jam ad accuratiorem dogmatis catholici de unione hypostatica in Christo expositionem accedamus. Quam ob rem nonnulla praemittemus de hypostasis notione.

Lemma I. Essentia (cf. n. 39[4] a.) sive summa notarum essentialium, qua unumquodque in certa specie et entium ordine constitutum intelligitur, usu communi a ss. patribus et ab universa Ecclesia recepto appellatur natura (n. 313[2]). Quatenus vero consideratur subjectum, sive is, qui habet naturam et per naturam constitutus esse intelligitur hic unus in certo rerum ordine, dicitur hypostasis. Ad rem s. Thomas in 3. p. q. 17 a. 2: »Esse pertinet et ad naturam et ad hypostasin. Ad hypostasin quidem sicut ad id quod habet esse; ad naturam autem sicut ad id, quo aliquid habet esse.« Uno verbo dicere possumus, id quod objicitur considerationi, quid aliquid sit, esse naturam vel essentiam; quod vero objicitur distinctioni, quis sit, esse hypostasim [1]).

---

[1]) Quaedam de ipsis nominibus, quibus modo saepius utemur, notabimus:

1. Natura vel essentia dicitur etiam quidditas vel substantia, quamvis olim apud patres non satis fixa fuerit vocis substantiae significatio: aliis idem erat ac natura seu essentia, aliis idem quod modo hypostasis, hinc non verebantur in Deo tres affirmare substantias; quae significatio jam est obsoleta. Cf. infra n. 5.

2. Hypostasis solet non solum dici substantia, sed etiam subsistentia, suppositum, persona (si de rationali hypostasi est sermo, qua de re infra).

3. Subsistentia a verbo subsistere derivatur, quod significat **a.** esse ens verum, reale, solidum, in oppositione ad fictum, apparens et intentionale; vel **b.** exsistere, vel **c.** esse substantiam in oppositione ad accidens, vel **d.** esse substantiam primam totam per se et seorsim exsistentem, quae est maxime propria significatio tam verbi subsistere quam substantivi subsistentiae; praesertim quod tres praece-

504. **Lemma II.** Haereticum est affirmare, *naturam et hypostasim* sive personam *ita esse unum, ut neque re neque ratione ab invicem distinguantur.* Quod facile probatur: nam secundum dogma catholicum tenendum est, duas esse naturas in Christo, sed unam tantum personam, et in ss. Trinitate tres esse personas, unam vero naturam. Atqui haec sibi constare nequeunt, si persona et natura nec re nec ratione distinguerentur. Hinc videmus plures ex haeresibus contra Trinitatis et incarnationis mysteria ex neglectu distinctionis personam inter et naturam originem traxisse. Ad rem Maxentius adv. nestorianos dial. 1: »Nimirum hoc, inquit, erroris vestri et non alia causa est; nam non valetis discernere, quid inter personam intersit et naturam, id ipsum intelligentes naturam esse, quod et persona; imo nullatenus credentes naturam esse posse sine persona, vocabula personae naturarumque confunditis et duas omnino personas, sicut duas naturas unius Filii Dei sine dubio praedicatis.« Ex quibus infer corollarium, omnem hypostasis personaeque de-

---

dentes significationes in eam confluant in eaque simul reperiantur. Atque hac acceptione concreta a ss. patribus et scholasticis usurpatur; a recentioribus vero subinde significatione abstracta, ut designetur subsistendi modus, quo aliqua substantia singularis est tota per se et seorsim exsistens seu hypostasis.

4. Suppositum ex etymologia nominis idem est ac sub alio positum. Potest autem aliquid sub alio poni vel ontologice vel logice. Ontologice aut ut materia formae, aut ut subjectum accidenti inhaerenti. Logice pariter duobus modis, aut ut inferius superiori quoad praedicationem aut ut concretum abstracto. Utrumque perfectissime convenit hypostasi, quae ita est sub aliis posita et ontologice et logice, ut nihil aliud ipsi supponatur, nec sicut inferius superiori, nec sicut concretum abstracto, nec ut subjectum accidenti, quaeque consistit per se, neque ulli alteri inest, neque de ullo praedicatur. A theologis scholae hypostasis dicitur etiam res naturae, hoc aliquid.

5. Quod attinet nomina graeca, sciendum est, philosophos gentiles, quamvis distinguerent inter οὐσίαν πρώτην et δευτέραν, nomine οὐσίας communiter intellexisse substantiam primam i. e. singularem; et cum menti revelationis lumine non illustratae nulla occurreret substantia singularis in sua natura perfecta, quae non esset tota in se i. e. hypostasis, idcirco nomen οὐσίας etiam pro hypostasi usurpasse, qua significatione οὐσίας nomen etiam apud veteres scriptores christianos occurrit, adeo ut non deessent, qui tres οὐσίας in Deo admitterent. Cf. s. Hieronymi ep. 15 ad Damasum (opusc. XI, 30). Verum haec οὐσίας cum hypostasi confusio paucorum fuit, et mox penitus cessavit. Communi consuetudine receptum est, ut a notione οὐσίας removeretur adsignificatio illa incommunicabilitatis, quam philosophia admittebat, adeo ut Theodoretus in dial., quem inscripsit Ἄτρεπτος, Eranisti interroganti, »sitne aliqua differentia οὐσίαν inter et ὑπόστασιν? orthodoxum ita respondentem inducat: »Secundum exterorum quidem sapientiam nulla est . . . at secundum patrum doctrinam sicut differunt commune et proprium, vel genus et species atque individuum, ita differunt οὐσία et ὑπόστασις«.

6. Quod attinet vocem ὑπόστασις, vix est, qui ante Basilium eam accuratius ab οὐσία distinxerit, ita ut non defuerint patres, qui in Deo unam, in Christo duas profiterentur hypostases; Basilio autem adnitente post concilium nicaenum pressior illa hypostasis acceptio, qua significat substantiam singularem, perfectam, totam et in se subsistentem, facta est vulgaris et modo una obtinet ac proinde ecclesiastica dici debet. Cf. Passaglia comment. theol. de significatione ecclesiastica τῆς οὐσίας et Stentrup zum Begriff der Hypostase in Zeitschr. für k. Theol. Oeniponti 1877 p. 57 ss. et in thes. 20—26. 28. 30 de Verbo inc.

finitionem, ex qua sequitur, tot esse hypostases personasve, quot sunt naturae, esse erroneam [1]).

505. **Lemma III.** Ens dispescitur in substantiam et accidens. Substantia eo opponitur accidenti, quod illi »competat habere esse non in subjecto, quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse in subjecto,« ut docet s. Thomas 3. p. q. 77 a. 1 ad 2, seu competit non quidem actualis inhaerentia in subjecto, sed aptitudo ad subjectum inhaesionis seu exigentia inhaesionis. Quapropter ex pervetusta philosophorum definitione substantia est ens, cui convenit esse per se sive in se, non vero in alio tamquam in subjecto, cui inhaereat [2]). Porro substantia ipsa in primam et secundam dividitur [3]). Substantiam primam eam esse docemur, quae cum sit integra et perfecta, ita est per se sive in se et sua sibi, ut nullo modo sit in alio vel alterius; e contra substantiam secundam eam esse arbitramur, quae quocunque demum modo est in alio vel alterius. Hinc substantia divina nobis est et dicitur substantia secunda, nam etsi una numero, tribus realiter distinctis est communis; item humana Christi natura, quoniam alterius est, nimirum Verbi; denique universale substantia secunda dici debet, quia exsistere non potest nisi in singularibus. Quibus praesuppositis sit

506. **Prop. I.** *Hypostasis est substantia prima.* Hoc colligimus

1. ex modo loquendi de hypostasi. Hypostasis ex omnium consensu est **a.** ens reale, non rationis tantum, ut notio generis vel speciei: est enim vi vocis quod maxime exstat (n. 501), quodque subjectum est praedicationis ideoque supponitur abstractis, cujusmodi sunt notiones generis vel speciei. Hinc **b.** neque est accidens: hypostasis enim nomine id intelligitur quod subsistit, quod non est alterius, sed cujus sunt omnia quodque ea veluti portat (Träger, Besitzer, Inhaber), ideoque supponitur (si est creata) accidentibus. Atqui haec affirmari nequeunt de accidente. Erit ergo **c.** substantia, eaque **d.** integra, perfecta, tota, non substantia partialis. „Non potest dici, inquit s. Thomas de unione Verbi a. 2, quod

---

[1]) In schemate constit. dogm. de doctrina cath. pro patribus conc. vatic. (coll. lac. VII, 559) c. 4 statuitur: »Secundum ss. patrum admonitionem intelligant omnes oportet, essentiae, substantiae seu naturae notionem cum notione hypostasis, subsistentiae seu personae minime esse confundendam; ne cum manifesta sacratissimorum dogmatum subversione tot semper dicantur esse personae, quot sint intellectuales sive ut loquuntur (güntheriani) sui consciae naturae.« Cf. Damascenum l. contra jacobitas n. 2 ss. Mig. 91, 1437, et Boëthium de una persona et duabus naturis c. 6. Habes hic specimen utilitatis, quae ex revelatione vel in subtiliores philosophiae notiones redundat, et quo modo philosophia non prorsus sit independens a revelatione, sed in ea habeat normam externam, a qua deflectere nefas sit. Cf. Franzelin th. 26.

[2]) Cf. Sanseverino elementa philosophiae christ. vol. 2 c. 3 a. 1.

[3]) »Cum dividitur substantia in primam et secundam, non est divisio generis in species, cum nihil contineatur sub secunda substantia, quod non sit in prima: sed est divisio generis secundum diversos modos exsistendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolutam: prima vero substantia significat eam ut individualiter subsistentem.« S. Thomas de pot. q. 9 a. 2 ad 6.

haec manus sit persona vel hypostasis aut suppositum, quamvis dici possit, quod sit aliquid particulare, singulare vel individuum. Manus enim etsi pertineat ad genus substantiae, quia tamen non est substantia completa in se subsistens, non dicitur hypostasis aut suppositum vel persona." Cf. comp. theol. c. 211; 3. q. 2. a. 2 ad 3. Neque est **e.** substantia secunda. Hypostasis enim seu personae (si scil. est rationalis) est habere, non haberi; agere, non agi; esse suam sibi, non alterius. Atqui haberi, agi, esse alterius, sunt substantiae quae habet rationem partis, substantiae secundae. Non est ergo hypostasis substantia secunda. Ergo **f.** via exclusionis liquet eam esse substantiam primam seu substantiam integram et perfectam, singularem et individuam, quae alteri non communicatur per modum partis, neque communis est pluribus inter se re distinctis, ut contingit in mysterio ss. Trinitatis. Quare patres sequens docet Thomas de potentia q. 8 a. 3: „Nomen hypostasis significat substantiam individuam i. e. quae non potest de pluribus praedicari. Unde genera et species in praedicamentis substantiae, ut homo et animal, non possunt dici hypostases, quia de pluribus praedicantur. Socrates vero et Plato dicuntur hypostases, quia praedicantur de uno solo."

2. Hanc hypostasis notionem patres suo confirmant suffragio. Explicantes enim illius rationem semper exigunt, ut sit substantia exsistens ἀνὰ μέρος separatim, ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς proprie per se[1]) et seorsim; ut sit ἰδιοσύστατος privatim et per se exsistens, ἰδιοπεριόριστος proprio termino circumscripta, ἰδιοϋπόστατος propria subsistentia fruens. Plura infra dabimus, cum rationem exponemus, quare secundum patres humana Christi natura propria careat hypostasi. Interim sufficiant verba Rustici in disp. c. acephalos (Mig. 67, 1239): »Etsi omnis homo individuus persona est, non tamen haec causa est, ut persona sit itidem, quae est, ut homo sit. Sed ut sit quidem homo, haec causa est, quod sit animal rationale de terra; ut autem sit persona, haec causa est, eo quod sit subsistentia rationalis individua. Sed, ut diximus, illa humanitas non in semetipsa, sed in Verbo habet subsistentiae rem, nec enim propter hoc, ut sua ipsius separatim esset sicut nos, sed ut Verbo uniretur et ejus esset proprium indumentum et inaestimabile . . . instrumentum, et ut Deus esset homo, creata est, nostrae causa salutis.« — Damascenus: »Nomen hypostasis, inquit dial. c. 42, duplicem habet significationem. Interdum enim simplicem exsistentiam significat, quo sensu inter substantiam et hypostasim nihil interest, unde nonnulli ss. patrum naturas hypostases appellarunt; interdum eam, quae per se est et seorsim subsistit, exsistentiam . . . Unde Domini caro, cum per se et seorsim sumpta ne minimo temporis puncto substiterit, proprie non est hypostasis, sed ἐνυπόστατον quoddam;« cf. 43; de haer. cc. 81. 83. — Et s. Thomas 3. p. q. 16 a. 12: »Christus secundum quod homo non est persona, quia humana natura non est per se seorsum subsistens a divina natura, quod requirit ratio personae.« Cf. Franzelin th. 27 ss.

---

[1]) Notetur ens *per se* opponi enti *in alio.* Aliquid autem triplici modo ens in alio dicitur: 1. ens in alio ut *in subjecto* (accidens); ens in alio ut *de subjecto* (universale); ens in alio ut *in toto* (pars). Jam vero hypostasis triplicem hanc perseitatem exigit.

507. **Corollarium.** Subsistentia in significatione concreta, ut a vetustioribus sumi solet, idem significat, quod hypostasis, ut supra diximus. Unde apparet, quid significet subsistere. Significat aliquid ita exsistere in se, ut nec communicetur pluribus in se totis, nec uniatur alteri partis modo. Quare hypostasin subsistere in tali natura, nil aliud sibi vult, quam eam esse in se talis naturae. Naturam vero subsistere in alio significat, eam non esse in se hypostasim, non esse suam sibi, sed aliam esse hypostasim, cujus ipsa sit; quod idem significatur, cum dicitur natura humana ab hypostasi Verbi sustentari. Quatenus natura humana Christi non est hypostasis, dicitur ἀνυπόστατος; quatenus vero facta est natura hypostaseos naturae superioris, dicitur ἐνυπόστατος. Ex quibus sequitur, in conceptu hypostasis intrinsecus includi conceptum essentiae et substantiae, non tamen viceversa. Intelligitur etiam sensus doctrinae patrum, quando cum Basilio ep. 28 docent, hypostasim (subsistentiam in abstracto) sistere et circumscribere proprietatibus in re aliqua determinata id, quod commune est et incircumscriptum.

508. **Propositio II.** *Inter hypostasim et naturam in concreto spectatam et connaturaliter exsistentem non est reale discrimen, sed rationis tantum.* Discrimen reale plures defenderunt scholae theologi, ut Greg. de Valentia in 3. p. disp. 1 q. 4 puncto 2; Suarez Metaphys. disp. 34 sect. 1 et 2; et in 3. p. disp. 8 sect. 3. 4; Vasquez in 3. p. disp. 31 c. 6; Did. Ruiz de Trinit. disp. 34 sect. 7. 8 etc., secundum quos subsistentia est modus realis a natura singulari a parte rei diversus, naturae exsistentiam consequens, eamque afficiens et formaliter terminans, reddensque naturam alteri incommunicabilem, ideoque hypostasim. Quem modum appellant naturae terminum et complementum, formam hypostaticam, modum suppositalitatis, perseitatis vel exsistendi per se. Nullum tamen videtur esse discrimen reale, sed rationis tantum, si nomine naturae intelligatur substantia singularis et in ratione naturae integra, et eadem comparetur secum ipsa, quatenus hypostasis est connaturaliter exsistens. Nam

1. falsum est, non admisso ejusmodi discrimine reali, incarnationis mysterium explicari non posse. Imo adeo bene explicatur admissa sola rationis distinctione, ut hinc nostra sententia haud paulum confirmetur. Sane

2. substantia singularis et integra est hypostasis connaturaliter exsistens eo solo, quod est tota in se et sua sibi. Atqui talis est se ipsa, non aliqua addita realitate, seu totalitas non est aliquis modus realis distinctus ab ipsa natura, quae dicitur tota; sicut nec multitudo est modus realis distinctus a multis hominibus, et quaternitas a quatuor unitatibus simul junctis. Distinguitur tamen ratione cum fundamento in re: alius enim est conceptus naturae qua naturae, et alius quatenus consideratur praecise ut tota, ut seorsim exsistens, quod bene expressit Rusticus verbis n. 506 allatis.

3. Haec est doctrina patrum, qui ejusmodi formae realis, quae suo accessu naturam constituat hypostasim, non faciunt mentionem. Praeclare eorum doctrinam expressit Theodorus Abucara scribens ep. 28: »Aliudne est substantia, aliud hypostasis? Orthodoxus: Aliud et aliud, non tamquam res alia et alia, sed quod aliud significet hypostasis et aliud substantia. Sicut granum tritici dicitur et est tum semen tum fructus, non tamquam res alia et alia, sed aliud significat semen et aliud fructus.«

4. Haec est sententia s. Thomae, cujus doctrinam claritatis gratia ad quaedam principia revocabimus. Frequenter **a.** quaerit s. doctor, cur natura a Verbo assumpta non sit hypostasis; cujus rei hanc assignat causam adaequatam: »quia assumitur a principaliori scil. a Verbo Dei (opusc. 3 contra graecos c. 6). Cf. n. 462 et 515. **b.** Non defectu cujusdam entitatis seu realitatis vel modi nescio cujus realis et substantialis ab ipsa natura distincti fit, ut natura humana non sit hypostasis seu natura, sed sola assumptione. »Naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanae naturae pertinet, sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam.« Cf. n. 506. Quapropter **c.** consentanea sibi constantique ratione docet, humanam Christi naturam sola separatione absque alicujus rei accessione futuram esse personam. »Separatio dat, inquit s. doctor in 3. dist. 5 q. 3 ad 3, utrique partium totalitatem. Unde supposito quod hominem (Christus) deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali et ex hoc ipso acciperet rationem personae.« Et q. 1 a. 3 ad 3: »Si essent naturae cum suis proprietatibus seorsum positae, utrimque esset totalitas, quam requirit ratio personae; non est autem nisi una totalitas, quando conjunguntur, et ideo est (in Christo) una persona.« Denique **d.** disertis verbis docet, sicut praeter animam et corpus et utriusque unionem nihil positivi requiritur, ut eo ipso compositum sit homo, ita naturam Christi humanam, si deponeretur a Verbo, eo ipso futuram esse personam. Ita in 3. dist. 6 q. 1 a. 2 ad 5: »Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem, non est praeter animam et corpus et unionem aliquid positive, sed ex hoc ipso, quod ipsum compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur, quod conjunctum sit homo (persona). Unde si Filius humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis.«

509. **Scholion.** Concedimus, hypostasin cum natura specifice spectata collatam re differre ab illa, si sermo sit de creaturis. Nam ita considerata natura proprietates tantum omnibus communes complectitur, non vero notas individuantes, quibus singuli et individui ab invicem secernuntur, et quae includuntur in notione hypostasis. Hoc vero modo considerat d. Thomas naturam, cum subinde docet hypostasin a natura differre.

510. **Propositio III.** *Hypostasis, quae in natura rationali subsistit, ob specialem hujus naturae dignitatem, personae nomine insignitur.* Vere scribit Boëthius de duabus nat. c. 2: „Nullus lapidis, aut arboris, aut equi dicit esse personam; at hominis dicimus esse personam, dicimus angeli, dicimus Dei etc.:“ personae nimirum nomen designat nobilissimam hypostasim, scil. rationalem. Nam propria formalisque hypostasis ratio consistit in modo essendi in se, per se atque sibi. Eo igitur perfectiori altiorique gradu aliquid est hypostasis, quo perfectius est in se, per se et sibi. Atqui esse in se, per se et sibi longe altiori ratione competit hypostasi rationali, quam irrationali. Merito ergo proprio distinguitur nomine. Cf. Thomas 1 q. 29 a. 3 ad 2. Sane

1. illud perfectiori modo est in se et sibi, quod et realiter et intentionaliter (seu idealiter), est sibi et in se seu etiam quod se cognoscendo

suique conscientia se possidet seque amore fruitur: quam id, quod tantum realiter est sibi et in se, sed neque semetipsum intelligendo possidet, neque amando se fruitur. Atqui illud competit hypostasi rationali prae irrationali; ipsa sola, ut recentiores loqui amant, sui atque suae ab aliis omnibus distinctionis conscia sibi dicit: Ego.

2. Hypostasis est habere et agere. Quo perfectior activitas, eo perfectior est hypostasis. Aliquae ex hypostasibus ex se non agunt, ut lapides; vel si agunt, ut plantae, agunt secundum formam determinatam; vel si forma non est determinata, ut in brutis, determinatum saltem finem sibi non praestituunt: unde potius aguntur quam agunt. Contra hypostasis rationalis eminet circa principium, formam, finem activitatis, finemque libere sibi praestituere potest, ideoque dominium habet sui actus. Cf. Thomam 1. p. q. 29 a. 1. Hoc ergo sensu verum est, libertate fieri, ut ens, quod est hypostasis, altiori perfectiorique gradu propriam formalemque hypostaseos rationem habeat, quam quaevis hypostasis, quae libertate destituitur. Nullatenus tamen concedi potest, libertate formaliter constitui hypostasis rationem.

3. Illud perfectiori altiorique ratione est in se et sibi, quod aliquam habet rationem finis, quam illud, quod tantum habet rationem medii ideoque totum in alterius bonum et commodum cedit. Atqui hypostasis rationalis (creata) aliquam finis rationem habet, non vero hypostasis irrationalis, quae immediate cedit in commodum et bonum hypostasis rationalis. Neque obstat, quod etiam hypostasis rationalis ordinetur in Deum tamquam in finem suum; haec enim ordinatio nullatenus efficit, ut cesset ab ea ratio finis respectu creaturarum irrationalium, et ea ipsa ordinatio in summam ejus redundat perfectionem atque commodum. Cf. 249. 253. 265[2]; Thomas contra gentes III, 112.

4. Solae creaturae rationales sunt subjectum juris, sui juris, dominae, in qua juris proprietate maxime cernitur vis nomenque personae. Nam possidere, agere, seorsim et in se exsistere suique juris esse et dominum, quod est proprium personae, maxima est juris demonstratio. Hinc immobiliter sunt hypostases, quatenus nullius alterius hypostasis creatae possunt fieri propriae, in nullius cedere dominium, ideoque nequeunt excidere sua dignitate, imo vel simpliciter, ut angeli, vel secundum suam partem eminentiorem, ut homines, sunt naturaliter incorruptibiles. Cf. Thomassinus III, 3; Franzelin th. 28; Stentrup th. 27.

511. **Corollarium I.** *De Boëthii definitione.* — Boëthius definit personam, ut sit „naturae rationalis individua substantia,“ quae definitio communi suffragio ab universa recepta fuit schola. Cum hac definitione cohaeret personae notio, quam hucusque expolivimus, dummodo apposi-

tum individua significet, quod est unum in se et distinctum ab omnibus aliis, adeo ut non sit communicatum sive ut universale, sive ut pars, sive ad modum partis, sive ut realiter commune identitate cum pluribus (quo modo natura divina, etsi singularis, communis est tribus personis): unde substantia individua hoc sensu est substantia singularis, integra, tota in se et sibi ac proinde substantia prima sive hypostasis. Cf. s. Thomas 3. p. q. 2 a. 2 ad 3; de pot. q. 9 a. 2 etc. Notetur autem quod idem scribit in 3. d. 5 q. 2 a. 1 ad 2: „Triplex incommunicabilitas est de ratione personae . . . Non est autem contra rationem personae communicabilitas assumentis:" nam haec non impedit, quominus assumens maneat sui juris atque in se subsistat, sed solum facit ut non in una tantum natura, sed etiam in alia subsistat. Cf. Billot de Verbo inc. q. 2 § 2 a.

512. **Corollarium II.** *Günther refellitur.* — Ex dictis pariter liquet, errare Güntherum ejusque asseclas, necnon recentiores quosdam theologos, secundum quos Lockio praeeunte personalitas continetur conscientia sui, adeo ut persona sit substantia sui conscia: qua in definitione isti sibi ita complacent, ut eam velut magnum scientiae philosophicae et theologicae profectum jactent. Sed ea definitio censeri debet

1. theologice ideoque etiam philosophice falsa, ex qua sponte sua sequuntur gravissimae haereses. Atqui ex hac personae definitione sequitur in Deo unam esse personam; nam sicut una est natura, ita unum est intelligere ac proinde una natura sui conscia; sequitur in Christo duas esse personas, cum duplex in eo sit natura sui conscia, a qua illatione güntheriani non prorsus abhorrent; siquidem docent duas in Christo admittendas esse personas ad unam personalitatem relatione revocatas, ne secus personalitas humani spiritus personalitati Verbi praepostere litetur. Quae nova unionis hypostaticae explicatio non solum inaudita est, sed prorsus abhorrens a majorum doctrina, ut patet ex dictis et clarius patebit ex dicendis.

2. Mirum hinc non est praecipuum quendam ex his theologis (Baltzer Neue theol. Briefe an A. Günther) provocare potuisse ad symbolum, quod habetur act. 1 conc. chalcedonensis, ut inde persuaderet, Christi personam non esse arithmetice unam, sed personas esse duas et duo praedicationis *ego* subjecta, Filium Dei et Filium hominis, ex quibus componatur persona una unitate copulativa et formali. Atqui symbolum illud in doctrina de incarnatione orthodoxum non est, sed haereticum, ut constat tum ex contextu, tum ex disertis concilii et patrum testimoniis et damnatione. Legimus enim in conc. oecumenici V. act. 4: »Et postquam lecta sunt blasphemiae Theodori et impium ejus symbolum (illud scil., ad quod provocat theologus iste), sancta synodus exclamavit: Hoc symbolum satanas composuit; anathema ei, qui hoc symbolum composuit. Hoc symbolum ephesina I. synodus una cum auctore ejus anathematizavit.«

3. Quare Pius IX. literis ad card. de Geissel 15. Jun. 1857 datis de Güntheri operibus scribit: »Noscimus in iis libris non pauca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora, neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi

incarnati, deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana.« Et re vera omnes conciliorum definitiones adversus nestorianam divisionem valent etiam contra hanc doctrinam, ut e. g. definitio conc. toletani XI. a. 675: »Perfectus Deus, perfectus et homo in unitate personae unius est Christus. Nec tamen quia duas diximus in Filio esse naturas, duas causabimus in eo esse personas, ne Trinitati, quod absit, accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam, et in aeternam personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis.« Cf. p. 402 a. 1. verba schematis patribus conc. vaticani propositi, cui subjuncti erant canones (3): »Si quis unam personam J. Christi tamquam plures complectentem intelligat duasque in mysterio Christi personas introducat, divinam et humanam, quae nexu indissolubili inde a conceptione conjunctae unam personam compositam efficiant, A. S.« (4): »Si quis dixerit, tot necessario esse personas, quot sunt intellectus et voluntates: aut negata duplici in Christo persona negari humanae naturae perfectionem, A. S.« Cf. Kleutgen n. 48 ss.; 104 ss.; Katholik 1862 I, 305 ss.; 574 ss.

513. **Thesis CL.** ***Ab hypostasis notione ad ipsam unionis hypostaticae Verbi cum natura humana adumbrationem patribus praeeuntibus gradum facientes, statuimus: 1. Verbum naturae humanae uniri atque illabi, et quidem 2. ita, ut natura humana seorsim*** ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς ***non exsistat, nec sua sibi sit, sed Verbo accedat, adhaerescat eique incumbat.***

Demonstratio p. I. Jam demonstravimus Verbum assumpsisse naturam humanam; non tamen quomodocunque Verbum eam assumpsit, ut extrinsecus tantum illam attingeret atque afficeret, sed intrinsecus ei illapsum est penitissimeque eam penetravit, quem illapsum περιχώρησιν appellare solent patres. Perichoresim in incarnatione esse admittendam

1. patres diserte docent, secundum quos non solum natura divina et humana intime sunt conjunctae invicem et consertae, sed earum copulatio et commixtio longe arctior est ea, qua in homine anima et corpus vinciuntur: ita tamen ut abhorreat quam longissime a confusione et immutatione naturarum. Nam ut fatetur Leporius in libello emendationis n. 4: „Deus, qui capax est, non capabilis, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui ubique diffusus, per infusionem potentiae suae misericorditer naturae mixtus est humanae.“

Omnium nomine audiatur Damascenus F. O. III, 7: »Sciendum est, quod etiamsi dicamus naturas Domini se mutuo permeare, περιχώρησις facta est a divina natura; nam omnia pertransit quemadmodum vult, et permeat omnia, per ipsam autem nihil; et ipsa quidem proprias dotes carni impertit, cum ipsa maneat impassibilis et immunis ab affectionibus carnis. Nam si sol multiplicis virtutis suae nos participes reddit, nostrorum tamen manet expers, quanto magis solis factor et dominus!«

2. Naturae divinae in humanam illapsum similitudinibus illustrant, ut ferri igniti, carbonis candentis, lilii odore suavissimo imbuti, lanae

purpureo colore tinctae etc. Ita Cyrillus praef. l. 2 adv. Nest.: „Dicitur, inquit, carboni persimilis propterea, quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus, ut in unitatem propemodum conjungantur. Ignis enim ubi lignum penetrarit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato, quod erat."

3. Eundem probant ex effectibus. Sicut enim ferrum per ignis illapsum hujus redditur particeps proprietatum, ita Christi humanitas illapsu divinitatis divinarum consors fit dotum. Sane nisi Verbi substantia se in ipsa humanitatis penetralia insinuaret suaque insinuatione deitatis dotibus illam irrigaret imbueretque, quantum natura creata increatae potest vires dotesque combibere: qui fieret, ut humanitas vivifica esset totiusque humani generis redempti veluti vitis et radix et vitae supernaturalis fons inexhaustus?

Ad rem Cyrillus dial. quod unus est Christus (Mig. 75, 1359): »Neque enim alia ratione caro vivifica effici potest, quam secundum propriam suam naturam corrumpi atque interire necesse erat, nisi propria facta esset Verbi omnia vivificantis. Hoc enim pacto operata est et praestitit, quae ipsi Verbo sunt propria, vivificanti ipsius virtuti conversata. Et quidem mirum non est. Nam si verum est, quod ignis circa materiam aliquam versans, eam, quae alioquin ex sua natura calida non est, calidam efficit (immittit enim ei abunde facultatis, qua praeditus est, efficaciam), quo pacto non potius immittit Deus Verbum propriae carni vivificantem suam virtutem atque operationem, cum illam sibi unitam et propriam citra confusionem aut mutationem et quo ipse novit modo declaravit?« Quare passim docent patres, naturam humanam hoc illapsu fuisse deificatam. Ita Damascenus de imag. or. 1: »Ex quo Deus Verbum caro factus est et inconfuse commixtus nostrae naturae, carnem sine immutatione deificavit per mutuam in invicem deitatis ejus et carnis inconfusamque immigrationem.« Quam deificationem ita bene explicat s. Thomas in 3. d. 4 q. 1 a. 2 ad 6: »Caro dicitur deificata, non quia sit facta divinitas, sed quia facta est Dei caro, et etiam quia abundantius dona divinitatis participat ex hoc, quod est unita divinitati, et quia est quasi instrumentum, per quod divina virtus salutem nostram operatur: tangendo enim leprosum carne sanavit per divinitatis virtutem, et moriendo carne mortem vicit per virtutem divinitatis. Virtus autem agentis aliquo modo est in instrumento, quo mediante aliquid agit.« Cf. Petavius IV, 14; V, 1; Scheeben § 214 ss.

514. **Demonstratio p. II.** Naturam Verbi ita illabi naturae humanae, ut ea seorsim non exsistat, nec sua sibi sit, sed tota reddatur Verbi propria, adeo luculenter tradunt patres, ut Thomassinus III, 8 ss. eorum effata ad triginta potuerit revocare classes: ex quibus pauca:

1. Ad nullam unitionis speciem frequentius provocant patres, ut conjunctionem Verbi cum natura assumpta quadamtenus illustrent, quam ad unionem, qua anima suum sibi facit corpus sibique prorsus vindicat. Ita ex. gr. Cyrillus c. Nestor. I, 1: „Carnem factum esse illud ex Deo

Patre Verbum docet Scriptura divinitus inspirata h. e. inconfuse secundum hypostasim unitum esse carni: neque enim alienum ab ipso erat corpus ipsi unitum et factum ex muliere; sed sicut unicuique nostrum proprium est suum corpus, hoc eodem modo etiam Unigeniti corpus proprium illi erat et non alterius." Huc pertinet

2. comparatio, qua naturam assumptam conferunt vesti, velamento, indumento. Pulchre Athanasius[1]): „Dominus noster in principio quidem erat Verbum ... quando autem voluit Pater, ut pretium pro omnibus redimendis solveretur et gratia in omnes conferretur, tunc Verbum carnem, ut Aaron vestem talarem, e terra assumpsit."

3. Hinc patres graviter invehuntur in Nestorium, quod talem probaverit unionem, ex qua consequens sit, humanam naturam ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς exsistere et non fieri propriam Verbi.

»Alia est res divinitas, inquit Cyrillus al. l. c. III, 6, alia nostrae similis humanitas, quod ad rationem attinet, quae naturis inest: congressu autem secundum veram unionem unus est Christus ex utrisque, ut saepe diximus; hypostasibus vero, ut tu ais, divisis in duo ac privatim et seorsim exsistere intellectis, quomodo congressus in unam personam fiet, nisi unum alterius esse quodammodo proprium dicatur, ut nimirum animae humanae proprium intelligitur ejus corpus? ... In Emmanuele, quia deitas aliud quiddam est ab humanitate, nisi dixerimus proprium factum fuisse corpus ipsius Verbi per veram unionem, quomodo una absolvetur ex utroque persona, cum alterutra substantia propriam utrique ferat, utpote seorsim posita atque sejuncta (τὸ ἀμφοῖν ἑκατέρας ἡμῖν ὑποστάσεως φερούσης ἴδιον ὡς ἀνὰ μέρος κειμένης)?«

4. Huc refer patrum dicta quibus affirmant, Deum esse natum, passum, mortuum (n. 495) etc. Haec enim praesupponunt ejusmodi unionem, vi cujus Verbum sibi vindicaverit propriamque fecerit humanam naturam ita, ut quidquid hujus est, proprium sit Verbi, seu ut natura humana non fuerit sua sibi, sed fuerit Verbi, et Verbum ipsius subjectum et hypostasis (der Träger, Eigenthümer), in qua subsisteret.

Unde Cyrillus Nestorio neganti dici posse Deum natum, reponit l. c. I, 1: »Si proprium corpus ejus intelligitur, quomodo non prorsus proprii corporis

---

[1]) Or. 2 c. arianos n. 7. S. Thomas in 3. dist. 9 q. 3 a. 2 ad 1: »Humana natura in Christo habet aliquam similitudinem cum accidente, et praecipue cum habitu quantum ad tria: 1. quia advenit personae divinae post esse completum, sicut habitus et omnia alia accidentia; 2. quia est in se substantia et advenit alteri, sicut vestis homini; 3. quia melioratur ex unione ad Verbum et non mutat Verbum; sicut vestis formatur secundum formam vestientis et non mutat vestientem.« Patres insuper hac comparatione utuntur, ut 4. inculcent naturarum dualitatem et 5. personae unitatem; ut 6. explicent, quare natura humana sit objectum adorationis partiale et quomodo 7. ejusdem passiones tribui possint Verbo. Cf. Augustinus enarr. in Ps. 130 n. 10 et serm. 213 n. 3; Thomas c. gentes IV, 37, ubi ostendit dissimilitudinem quoque, quae in hac comparatione obtinet.

nativitatem sibi tamquam suam vindicabit et asseret?« Quod saepius inculcat in scholiis de inc. et l. ad reginas n. 5. — Et jam antea Athanasius or. 3 adv. ar. n. 32: »Decebat, inquit, Dominum humanam carnem induentem totam eam cum propriis affectionibus induere, ut quemadmodum proprium ejus esse corpus dicimus, ita etiam corporis affectiones ejusdem solum propriae esse dicerentur, tametsi ejus non attingebant divinitatem. Itaque si alterius esset corpus, illius etiam esse affectiones dicerentur: sed si Verbi caro est (Verbum enim caro factum est), necesse est carnis affectiones illius dici, cujus ipsa caro est.« Cf. ep. ad Epict. n. 6. — Rusticus diaconus in sua contra acephalos disput. (Migne 67, 1244): »Verbum ex ipsa vulva unitum genituram carnalem dicitur sustulisse, ut propriae carnis genituram suificans: similiter et reliqua, quae humana sunt, quoniam quod ejus proprium factum est corpus, ista sustinuit.« In eadem disp. docet (ib. 1234): »Sed nostra natura in Christo, non etiam persona est. Non enim in semetipsa et secundum seipsam segregatim habet esse suum, sed in Verbo subsistit.« Merito ergo concilium ephesinum can. 11 statuit: »Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, A. S.«

515. **Thesis CLI.** ***Quare humana natura in Christo, etsi singularis, propter conjunctionem cum Verbo, quam descripsimus, propria caruit personalitate, non quidem ob alicujus perfectionis modique realis defectum, sed ob infinitam perfectionem, quae illi supra naturam accessit.***

Demonstratio p. I. Humanam naturam propter unionem, quam descripsimus thesi praec., non esse personam, fluit ex hypostasis notione (n. 506). „Persona enim est, inquit Thomassinus (III, 18), ipsamet natura, ut seorsim ab aliis intellecta, ut nullius accessio facta, ut tota, ut sua sibi, ut nulli superiori substantiae inserta et mancipata." Atqui natura humana eo ipso, quod assumitur a Verbo, ab hac conditione excidit. Ergo non est persona.

Quod ex doctrina patrum diserte docet Theodorus Abucara opusc. 29, qui proposita difficultate: »Christus naturam nostram habuit cum proprietatibus; natura autem cum proprietatibus nonne hypostasis est?« ita respondet: »Non satis est ad hypostasis constitutionem, naturam compositam esse cum proprietatibus, sed oportet concurrere ad hoc et non esse partem. Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, ideo non est hypostasis, sed hypostaticum.« Ita et Rusticus diaconus n. 506[2]; ita et s. Thomas saepe omnino, ut patet ex n. 508[4], ex 1. p. q. 29 a. 1 ad 2: »Humana natura in Christo non est persona, quia est assumpta a digniori;« ex 3. p. q. 4 a. 2 ad 3: »Si humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet, et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie, quia persona divina sua unione impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet;« q. 2 a. 3 ad 2; lect. 3 in Rom. 1. Ita et Bonaventura in 3. dist. 5 a. 2 q. 2: »Ad illud, quod objicitur, quod

anima rationalis unita carni facit personam: dicendum, quod verum est, quando anima et caro non conjungitur digniori . . . Non autem sic est in proposito, quia anima et caro fuerunt sibi invicem unita ipsi Verbo: nec in aliquo instanti fuit anima illa, quin esset unita Verbo . . . et ideo non constituebant personam, sed solum naturam.«

516. **Demonstratio p. II.** Haec pars probatur corollarii modo:

1. Hypostasis ratio ex dictis continetur ea substantiae perfectione et totalitate, vi cujus ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς seorsim ac sibi exsistit. Atqui ut qua substantia a sua totalitate ac veluti autonomia et consequenter ab hypostasis gradu excidat, non requiritur, ut decedat aliqua realitas, sed sufficit, ut ipsa accedat ad aliquod totum perfectius, huic adhaerescat, quod factum esse in Christo demonstravimus.

2. Confirmatur patrum suffragio, qui nunquam realitatis alicujus mentionem faciunt, cujus defectu natura humana in Christo non est persona; sed id inde repetunt, quod natura humana, etsi integra, fuit assumpta et propria facta Verbi, ut patet ex testimoniis allatis.

Praeclare Paschasius Radb. (vel Faustus rheg.) de Spiritu s. c. 4: »Dei quidem et hominis duplex substantia est, sed una tamen persona. Quamobrem? Quia dum formam servi accipiens (Filius) famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, et superioris lumine exinanita consumitur, ac sic proprietatem personae humanae divinitate vel obumbrante vel eminente non obtinet.« Idem satis clare insinuat Rusticus in disp. c. acephalos (Mig. 67, 1239): »Igitur, etsi in imaginatione mentis sive speculatione tenuissima intellecta humanitas Domini Christi videtur et substantia esse et persona (nec enim habet aliquid minus praeter alias subsistentias rationales et individuas); sed tamen intellecta per semetipsam hoc esse videtur, sed non jam sicut unita Sermoni. Igitur non veritas rei, sed mentis hoc cogit putari defectus, quasi oblivio unitionis exsistens. Quando vero id, quod humanum est, non quasi in semetipso manens, sed per unitionem proprium factum subsistentiae Dei Verbi recommemorata mens fuerit, non potest id pro persona suscipere.« Cf. de hypostasis notione Typhanum in declaratione ac defensione scholasticae doctrinae ss. patrum et doctoris angelici de hypostasi et persona, ubi ultra 40 patres et vetustiores theologos adducit, qui docent, non propter defectum vel amissionem alicujus, sed ob accessum ad divinae personae infinitam perfectionem fieri, ut humana natura Christi non sit in se hypostasis; Stentrup th. 32. 33; Franzelin th. 31.

517. **Scholion.** *Exceptioni satisfit.* — Concedimus quidem patres affirmare, Verbum assumpsisse naturam, non personam humanam; atque inculcare, aliud esse hypostasin et aliud naturam; negamus vero inde sequi vel reale esse discrimen inter naturam et personam, vel humanam Christi naturam carere aliquo modo substantiali a natura realiter distincto, qui a Verbo suppleatur. Ut enim posterior formula explicetur, sufficit rationis discrimen (n. 508); ut altera intelligatur, satis est meminisse naturam assumptam nunquam seorsim exstitisse, sed a primo suae exsistentiae initio in Verbo substitisse, ut art. 3 ostendemus. Hinc non licet eam considerare quasi ἰδίᾳ καὶ ἰδικῶς exstiterit seu qua personam: ideoque Verbum non assumpsit personam, sed tantum naturam.

518. **Corollaria. 1.** »Unio divinae naturae, animadvertit rite Alexander halensis Summae p. 3 q. 6 membr. 4, ad humanam nullum bonum aufert homini . . . nec est etiam diminutio dignitatis hominis; quia quamvis non habuerit personalitatem humanam, habet tamen personalitatem divinam.« Scil. quamvis esse per se, ceteris paribus, perfectius sit, quam esse in alio et alterius ejusdem generis et ordinis; attamen perfectius est esse in alio perfectiori, quam esse in se: eoque magis, quo altioris ordinis est illud aliud. Si ergo jam corpori melius est esse unitum animae, quam esse per se: quanto magis perfectius est assumi a persona divina, quam frui propria personalitate humana?

2. Substantiae finitae sola additione amittunt, sola divisione nanciscuntur rationem hypostasis; humanitas assumpta ergo sola a Verbo divisione persona humana fieret. »Si Christus deponeret humanitatem, inquit Albertus M. in 3. dist. 5 a. 12, id, quod deponeret, erit substantia rationalis naturae; ergo erit persona. Si autem quaeritur, quid conferat ei personalitatem, quam prius non habuit, dicendum, quod singularitas, quam prius non habuit, sive incommunicabilitas, ut alii dicunt; nam propria singularitas facit personam in rationali natura. Si autem quaeritur iterum, quid ei conferat singularitatem, dicendum, quod divisio per accidens confert ei. Divisio enim licet per se aufert, tamen per accidens confert divisum esse unum et ab alio divisum, et haec est singularitas.«

3. Manifesto repugnat, ut hypostasis manens hypostasis uniatur alteri hypostasi unione vera et substantiali, et duae maneant hypostases. Dicere enim hypostasin finitam esse alteri conjunctam secundum hypostasin et substantialiter, idem est ac dicere eam non manere in se totam, sed se habere per modum partis et ut naturam alterius: et simul affirmare eam manere hypostasin, significat, eam manere totam in se et non esse naturam alterius, quae contradictionem involvunt. Secundum hoc intelligi debet illa patrum doctrina, ex duabus hypostasibus per se exsistentibus nil unquam fieri unum i. e. substantialiter.

519. **Scholion.** Non diffitemur esse theologos d. Thomae addictos, quibus haec explicatio unionis hypostaticae non arrideat: mysterii enim profunditatem non videtur satis attingere, unionis vim extenuare, ad unionem fere accidentalem redigere conjunctionem naturae assumptae cum Verbo. Hinc distinctione reali inter essentiam et exsistentiam in rebus creatis praesupposita ita paucis complectitur Billot de Verbo inc. p. 105, quae fusius evolverat q. 2 p. 42 ss.: »Fieri nequit, ut illud quod est completum in natura et habet proprium esse exsistentiae, ulterius compleatur substantialiter per adjunctionem ad aliquid quod sit et maneat a se distinctum; poterit quidem adhuc compleri accidentaliter . . . vel etiam integraliter (sicut accidit in augmento et nutritione viventium); sed primo modo non fit complementum in linea substantiae . . . secundo autem modo, praeterquam quod ratio substantiae manet immutata, non fit complementum per adjunctionem alicujus quod manet actu distinctum . . . Jam vero quidquid est substantialiter ita terminatum, ut non possit in linea substantiae per adjunctionem alterius principii amplius terminari, si reipsa alteri pariter completo et perfecto adjungatur, non erit cum eo unum substantiale sed multa, quocunque tandem modo substantia accipiatur; et ratio hujus est, quia fieri nequit, ut duo sint unum in eo ipso ordine, in quo sunt duo. Oportet igitur ut in unione incarnationis unum extremorum scil. creatura sit substantialiter incompletum idque per

carentiam alicujus principii cujus ipsa divina persona vices gerere possit. Hoc autem principium juxta omnes non potest esse aliquod naturae seu essentiae constitutivum. Relinquitur ergo ut sit ultimus actus exsistentiae, quia nihil aliud substantiale in ente creato assignabile est. Sic igitur dicendum, quod natura humana non habet proprium esse exsistentiae; sed ex ipso esse personali Verbi quasi formaliter habet exsistere; dico quasi formaliter, quia divinum esse communicatione sui causat consistentiam humanitatis extra causas, quin tamen inveniatur ibi imperfectio, quae est de ratione causae formalis, scil. receptio in subjecto quod actuatur; hujusmodi enim receptio Deo convenire non potest, et aliunde non est necessaria propter actus puri infinitatem et omnimodam illimitationem.«

Articulus II.
De unione naturarum inconfusa.

520. **Thesis CLII.** ***Duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae.***

Declaratio. Thesis statuitur contra monophysitas, qui auctore Eutyche, archimandrita monasterii cujusdam constantinopolitani medio sec. V., docebant, Christum ex duabus quidem naturis esse, non autem in duabus subsistere seu unam esse in Christi naturam post unionem (unde eorum nomen): dissentiebant tamen circa modum, quo duae naturae in unam coaluerint. Alii enim contendebant factum id esse commixtione, alii alterius consumptione et in alteram mutatione, alii conversione duarum naturarum in tertiam, alii compositione. Dissentiebant etiam circa tempus, quo haec contigerit naturae unitas; secundum aliquos ea jam facta est in conceptione, aliis ea videbatur contigisse resurrectionis tempore, vel post Christi in coelos ascensionem ac plenam glorificationem. Doctrinam catholicam clare enunciavit conc. chalcedonense (n. 488), et luculentissime exposuit Leo M. in celebri ad Flavianum epistola.

521. **Demonstratio.** Vix probanda est assertio post omnia, quae hucusque demonstravimus. Sane

1. ostendimus, unum eundemque J. Christum verum esse Deum verumque hominem. Atqui nemo verus est Deus, nisi veram integramque habeat naturam divinam; nemo verus perfectusque est homo, nisi integram perfectamque habeat naturam humanam. Ergo unus idemque J. Christus divinam simul atque humanam possidet naturam. Hinc quae Cassianus de inc. III, 5 de Paulo affirmat, de quovis scriptore N. T. repeti possunt: „Praeclarus utique, inquit, et admirabilis magister sciens D. J. Christum sicut verum Deum ita et verum hominem praedicandum, ita semper majestatem divinitatis in eo praedicat, ut incarnationis confessionem penitus non relinquat; excludens utique et phantasma Marcionis incarnatione vera, et paupertatem Hebionis divinitate perfecta: ne scil. per alterutram blasphemiae perversitatem D. J. Christus aut homo penitus sine Deo, aut Deus sine homine credatur.“ Nullum scil. fere est Scripturae effatum de Christo, in quo non duplicis etiam naturae mentio fiat.

2. Patres rationibus quoque dogma catholicum adversus monophysitas tuentur. Ita ex. gr. Joan. Damascenus de duab. volunt. n. 8 disputat: „Si natura ex diversis naturis composita est, neutri earum consubstantialis est. Nam unaquaeque suam tantum habet definitionem, composita vero aliam definitionem habet scil. compositam. Impossibile autem est ea, quae diversa sunt et diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiae. Igitur si Christi una est natura, quomodo consubstantialis erit Patri et matri? Ille enim Deus est, haec homo. Dei autem et hominis non una est natura.“ Cf. c. jacob. n. 14 ss.

3. Huc pertinent integrae epistolae Ferrandi ad Anatolium et ad Severum, in quarum altera infert: „Si enim Creator factus est creatura, si Verbum factum est caro, si Deus habitu inventus est ut homo, nec Creator creari, nec Verbum caro fieri, nec Deus esse potuit homo sine susceptione alterius naturae; et si altera natura est suscepta, duae profecto sunt naturae, non una.“ Quod argumentum ita proponi potest: Verbum factum est caro seu homo. Atqui non est factum caro mutatione, quod adversatur immutabilitati naturae divinae; ergo assumptione naturae humanae. Ergo praeter naturam divinam immutabilem habuit aliam naturam i. e. humanam, qua constitueretur homo. Neque dicatur ipsa assumptione hanc fuisse mutatam; si enim fuisset mutata in aliam, Verbum per eam non fuisset homo, sed aliquid aliud, atque praeterea incarnatio scopum suum non attigisset fuissetque supervacanea: ideo enim incarnatus est, ut fieret homo, frater noster, nobis per omnia similis excepto peccato, ut nos non solum redimeret, sed et exemplo suo doceret.

Quod argumentum ita proponit Guitmundus in confess. Trinit. (Migne 149, 1499): »Assumpsit autem ita Deus hominem, ut nec Deus in hominem mutaretur, nec homo absorberetur in Deum. Si enim Deus in hominem mutaretur, jam non esset Deus, sed homo solus et ideo non adjuvaret; si vero homo absorberetur in Deum, jam non homo, sed Deus solus, et ideo mori non posset.« Cf. Anselmus cur Deus homo II, 7. Quare aliis praetermissis concludimus cum Novatiano de Trinit. c. 24: »Atque ideo Christum J. Dominum ex utroque connexum, ex utroque contextum atque concretum et in eadem utriusque substantiae concordia mutui ad invicem foederis confibulatione sociatum, hominem et Deum Scripturae hoc ipsum dicentis veritate cognoscant.« Patrum testimonia collegit jam Theodoretus dial. 1 (Mig. 83, 75 ss). Cf. Petavius I, 14; III, 5 ss.; Thomassinus V, 3 ss.

522. **Scholion.** *Paradigmate unionis animae et corporis* libenter frequenterque utuntur patres ad illustrandam unionem Verbi cum humana natura assumpta. Cf. Petavius III, 10; VI, 10. Verum eo utuntur seu potius abutuntur ad suos confirmandos errores et ariani et apollinaristae et nestoriani et monophysitae et güntheriani. Secundum arianos quidem et apollinaristas similitudo est plane adaequata, cum juxta ipsos Verbum in Christo vice fungatur vel animae vel animae saltem rationalis. —

Nestorius serm. 5 n. 5 ea usus est, ut declararet duarum hypostasium Verbi et hominis intimam inter se inseparabilemque conjunctionem, quamvis enim corpus non sit anima, et anima non sit corpus, illa tamen in hoc est. — Cum vero ex unione animae et corporis una prodeat humana natura, idcirco monophysitis in primis apta visa est comparatio ad suum de una Christi natura errorem confirmandum. — Güntheriana vero schola sicut errat in explicanda unione animae cum corpore (n. 293), ita et in declaranda, quam ex hac illustrare vult, unione hypostatica. Negat enim unitatem substantialem humanae naturae compositae ex anima et corpore, statuitque inter corpus vivens instructumque facultatibus psychicis ac spiritum seu animam rationalem conjuntionem dynamicam mutuo influxu et mutua actione unius in alterum. Unionem omnino similem, hinc dynamicam, tuetur inter Deum Verbum et hominem Jesum. — Quare ut assequamur, quo spectet haec comparatio, juverit paucis similitudinis juxta ac dissimilitudinis capita articulatius definire.

523. **1.** Sicut unio animae cum corpore non est moralis tantum et affectus, sed substantialis et ontologica, ita et unio Verbi cum humana natura. »Nam licet Verbum, inquit Cyrillus al. ep. 17 ad Nest., in nobis habitarit omnemque divinitatis plenitudinem corporaliter in Christo inhabitare literis proditum sit (Col. 2, 9), attamen non ita in illo habitavit, ut in sanctis inhabitare dicitur. Habitavit enim secundum naturam unitum (ἑνωθεὶς κατὰ φύσιν), non in carnem mutatum, tali inhabitatione, qualem dici potest hominis animam erga sibi proprium corpus habere.«

2. Quare sicut hac unione corpus proprium redditur animae ejusque instrumentum, non externum quidem et adventitium, sed conjunctum, quod hac conjunctione quam plurimum perficitur: ita Verbi propria ejusque organum unione hypostatica facta est natura humana atque dotibus prorsus praestantissimis aucta (n. 513 [3]). Plerumque vero

3. hac similitudine illustrare conantur mysterium, quo Christus, etsi Deus et homo, unum tamen est subjectum, una persona, unus. Ita symb. athanasianum: »Qui (Christus) licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus ... Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.« — Et Vigilius l. 5 c. Eutychen: »Siquidem negari non potest, ut superius dixi, hominem ex duabus constare naturis, animae scil. et carnis. Nemo tamen nisi insipiens et totius rationis expers, recte hominem dixerit duas habere personas: aut quia rursus una est hominis persona, recte opinatus sit unam esse carnis animaeque naturam . . . Quid ergo inauditum, quid a Scripturis canonicis alienum et peregrinum, ut sicut credimus et experimur unum esse hominem animam rationabilem et carnem, ita credamus unum esse Christum Deum et hominem, sicut apostoli docuerunt et sicut nobis viri apostolici tradiderunt?« Et passim Augustinus ep. 140 n. 12; 169 n. 9 etc.

4. Quemadmodum in homine substantiae quamvis substantialiter unitae non confunduntur: ita in Christo divina natura, etsi humanae intime unita, est tamen manetque ab ea sine confusione distincta.

5. Unione animae cum corpore suadere nititur Augustinus incarnationis possibilitatem. »Quaerere quidam solent, inquit serm. 371, quomodo misceri potuit homo et Deus. Quaerunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est, cum ipsi nequaquam possint rationem reddere ejus, quod fit sem-

per, i. e. quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut res corporea incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur, ita homo conjunctus est Deo et factus est Christus.« Cf. ep. 173 n. 11.

524. Etsi multiplex similitudinis ratio est inter unitionem humanae naturae cum Verbo et unitionem animae et corporis, non negligunt veteres nos monere, ut et multiplicis memores simus dissimilitudinis.

1. Anima et corpus ad mutuam unionem natura ordinantur, quod in Verbo, si spectes carnem, locum non habet; cui affinis ratio Joannis Maxentii: »Si vero dixerint, sicut ex anima et carne una humana natura conficitur, quae singulari, non plurali numero pronunciatur, ita ex divinitate et humanitate una facta est natura Christi. Primo quidem hoc exemplum Filio Dei minime existimo convenire, cui subsistendi causa caro non fuit. Quippe qui ante secula a Patre natus in propria persona incommutabiliter subsistit, sed cum Verbum caro fieret, misericordiae fuit. Animam autem humanam ante carnem alicubi subsistere et postmodum carni inseri, nemo ausus est affirmare (si scil. origenistas excipimus).«

2. Hinc anima et corpus se mutuo excipiunt tamquam verissimae partes unius compositae naturae; a dignitate vero Verbi penitus abhorret ratio partis. »Potuit enim, inquit Facundus pro defens. trium cap. c. 6, hominis anima in unam naturam cum sua carne componi. De Christi vero divinitate inconvertibiliter simplici non sine blasphemia dicitur, quod in unam naturam cum suscepta humanitate componi potuerit.« »Illic quidem, ita auctor fragm. de exemplo ex natura hominis allato inter op. Athanasii (Mig. 26, 1233 ss.), pars hominis sunt anima et corpus, hic vero neque caro pars Verbi neque Verbum pars carnis: nam utrumque etiam ante conjunctionem (scil. si seorsim considerantur) perfectam exhibet naturam, ut nihil penitus deficiat vel divinitati, quod ad sui rationem pertineat, vel humanitati: aliud quippe est compleri duabus partibus substantiam, aliud conjungi duas substantias, quarum utraque suam habeat perfectionem: quamobrem et forma Dei dicitur et forma servi. Quod hominem vero spectat, neque anima sola homo, neque caro.«

3. Christus tam Deus est, quam homo, seu Deus homo. Homo vero neque est neque dicitur aut anima rationalis aut corpus. Ad rem Bernardus de consid. V, 9: »Tantam denique, inquit tamque expressam unionis vim in se praefert ea persona, in qua Deus et homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem praedices, non erraveris, Deum videlicet hominem et hominem Deum vere catholiceque pronuncians. Non autem similiter vel carnem de anima vel animam de carne nisi absurdissime praedicas, etsi similiter anima et caro unus sit homo.«

4. »Anima nullatenus foris a corpore suo habet operationis principium. Deus autem Verbum et in humanitate exsistens, in coelo et ubique consuetas operationes implevit, licet quasdam et inaestimabiles per corpus;« ita Rusticus in disp. c. acephalos, qui et hanc dissimilitudinem urget: »Rursus anima compatitur corpori, Deus autem Verbum nequaquam.« Cf Thomassinus III, 19 n. 9 ss., qui recenset discrimina novem.

525. **Thesis CLIII.** ***Cum duabus in Christo distinctis impermixtisque naturis juncta est tum duplex operandi vis, tum duplex operatio.***

Declaratio. Quamquam monotheletae sec. VII. auctoribus Sergio ep. CP., Pyrrho et Paulo ejus successoribus, Theodoro ep. pharanitano, Cyro alex. etc. universim fatebantur duas in Christo naturas distinctas et inconfusas, atque adeo chalcedonensi subscribebant definitioni, ac forte etiam concedebant duplicem operandi facultatem, negabant tamen Christo duplicem operationem. Cf. Petavius I, 19; VIII, 3 ss. Verum Ecclesia catholica in conc. oecumenico VI., CP. III. (a. 680) declarat: „Duas naturales voluntates in eo (J. Christo) et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum ss. patrum doctrinam adaeque praedicamus (Hard. III, 1400)." Cf. conc. lateranensis sub Martino I. can. 10 ss.; ep. dogmatica Agathonis et conc. romani 125 ep. ad imp.

526. **Demonstratio. 1.** Probatur dogma e divinis literis, in quibus saepe mentio fit operationum Christi, quas divinitas operata dici nequit, ut esurire, sitire, crescere, cibo, potu, quiete et somno refici, tristari etc., alioquin fuissent communes Patri et Spiritui s. Ergo cum praeter divinam operationem, de qua cum monotheletis non est controversia, aliam habuerit Christus, duplex in eo agnosci debet pro numero naturarum operatio, ideoque et vis operandi.

2. Aliam praeter divinam in Christo esse agnoscendam voluntatem, testatur ipse Luc. 22, 42: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* ubi voluntatem suam distinguit a voluntate paterna, quae alioquin ipsi sicut natura divina erat communis. Cf. Matth. 26, 39; Jo. 5, 30; 6, 38 etc. Insuper Phil. 2, 8; Rom. 5, 15; Hebr. 10, 7 etc. commendatur Christi obedientia: haec vero supponit duplicem voluntatem, voluntatem scil. praecipientis Dei, quae Christo utpote Deo communis erat cum Patre, et voluntatem, quae praecipienti se subjicit.

3. Patres eandem veritatem multiplici ratione evincunt. Passim enim **a.** inculcant cum Jo. Damasceno F. O. III, 15: „Cum duae in Christo naturae sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim natura diversa est, horum quoque dispar est actio, et contra quorum natura est eadem, horum et actio est eadem; quorum autem actio una est, horum etiam substantia una est secundum divinorum sermonum interpretes patres." Quo axiomate nil certius apud patres contra monotheletas. Quapropter **b.** negata duplici operatione ipsa naturarum dualitas in dubium vocatur. „Nec enim, ita Agatho ep. ad imp., alia tam manifesta probatio, quae posset eundem ipsum et Deum et hominem demonstrare, quam naturales operationes, ex quarum qualitatibus et naturae, de quibus essentialiter procedebant, in eo esse certissime credebantur." Quare **c.** patres conc. oecumenici VI. act. 18 in serm. prosphonetico ad imp.: „Perfectum igitur in divinitate, inquiunt, et eundem in

humanitate perfectum secundum antiquas patrum traditiones et divinam Chalcedone sancitam formulam praedicamus: atque uti naturas duas accepimus, ita et duas naturales voluntates et duas naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in ejus incarnatione voluntatis expertem aut operationis audebimus asserere, ne earum proprietates perimentes, naturas una perimamus."

Ad rem lateranensis synodus secr. 2: »In quo typo (edito a Constante imp. ex persuasione Pauli CP. monotheletae) sine operatione et voluntate omnino, i. e. sine intellectu et anima immobilem ipsum gloriae Deum D. N. J. Christum dogmatizaverunt, similiter gentilium idolis inanimatis de quibus dicit magnus David: *Idola gentilium aurum et argentum, opera manuum hominum ; os habent et non loquentur* (Ps. 113, 4 s.)... quoniam tale est omne, quod sine operatione et voluntate est.« Et s. Maximus in disputatione (Mig. 129, 614) coram principibus ad eum missis in secretario: »Nihil eorum, inquit, quae sunt sine operatione naturali, subsistit. Sancti namque patres manifeste dicunt, non esse, nec sciri sine substantiali operatione, quae hanc substantialiter characterizet: quomodo esse Christum aut agnosci Deum natura veraciter et hominem est possibile? Amisso quippe secundum ss. patres fremibili, leo jam non leo, et latrabili, canis jam non canis; et aliud quodcunque perdito, quod se naturaliter commendabat, non ulterius est quod erat. Et dicunt ei (principes): Novimus vero, quod ita sit.« Cf. insignem ipsius disp. cum Theodosio ep. ib. p. 640 ss.

d. Denique cum Agathone (Hard. III, 1104) patres ita adversarios impugnant: „Si una est (operatio), dicant, si temporalis an aeterna dicenda est: divina an humana ... eadem quoque, quae et Patris est, an altera praeterquam Patris. Si igitur una est eademque, una et divinitatis et humanitatis Christi communis est: quod absurdum est dici. Ergo dum Filius Dei quidem, qui Deus et homo est, humana est operatus in terris, pariter et Pater cum eo naturaliter operatus est: quia quae Pater facit, haec et Filius facit similiter (Joan. 5, 19). Sin autem, quod veritas continet, dum humana quaedam operatus est Christus, ad solam ejus Filii personam redigitur, quae non est eadem, quae et Patris: secundum aliud profecto et aliud operatus est Christus etc."

4. Pleraque demum, quae ostendunt convenientiam assumptionis naturae humanae, evincunt convenientiam assumptionis etiam voluntatis.

Omnia haec argumenta paucis complectitur J. Damascenus l. de duabus volunt.: »Si non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate factus est sub lege? si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem justitiam? si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium, quod primum in morbum inciderat; quod enim non assumptum fuit, non est curatum, ut ait Gregorius theologus; quid enim offenderat nisi voluntas? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id demum amplius curatione egebat. Quodsi neges id ab eo assumptum quod peccaverat, fateare necesse est, nec peccatricem quidem ac aegram naturam eum assumpsisse.

Quod si non assumpsit, nec humanam assumpsit naturam: ipsa quippe est quae peccaverat.«

527. **Scholion I.** *De operationibus Christi.* Ad pleniorem doctrinae declarationem distingue

1. triplex operationum Christi genus, „siquidem, ut docet Maximus M. ep. 4. Dionysii Ar. commentans, ut Deus tantum operabatur, quando absens centurionis filium sanabat (operatio θεοπρεπής); ut homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat et tristabatur (operatio ἀνθρωποπρεπής); mixtim autem operabatur miracula, coeci oculos illinendo restituens, haemorrhoissae fluxum solo tactu sistens:" quae operationes in primis dicuntur θεανδρικαί.

2. Ejusmodi vero operationes mixtae manifesto duplici constabant actione: „Nam exspuere, inquit Theorianus in dial. adv. armenos, respiciens miraculum Christi Joan. 9, 6, lutumque de sputo conficere coecique pupillas inungere, hominis omnino actio est, quippe divinitatem exspuere non dicimus, si non insani sumus: at lutum illud in oculum et lucem convertere, id vero divinitati omnino attribuemus. Erit autem, pergit ille, tota res perspicua de gladii quoque candentis exemplo. Nam is pariter et secat et urit, estque dubio procul ustio non ferri, sed ignis, sectio vero non ignis, sed ferri: et diversarum naturarum actiones sunt ustio et sectio, sed propter unionem non ignis tantum esse dicimus hanc ustionem, sed etiam ferri."

3. Verum etiam operationes mere humanae et operationes simpliciter divinae possunt dici theandricae seu deiviriles ratione personae operantis, quae est θεάνθρωπος: nam, ut jam notat Hippolytus portuensis fragm. 8 serm. adv. Beronem et Heliconem (Migne 10, 839), incarnatione peracta neque Verbum aliquid operatur carne veluti nudatum seu seorsum a humana natura, quacum est semper hypostatice unitum, neque Christus homo aliquid agit divinitate desertus, nam semper homo ille Deus est. Dici debent theandricae ea ratione etiam, quam ita expressit Damascenus F. O. III, 19: „Agit utraque natura in Christo cum alterius communione; communicat igitur divina natura carni operanti, tum quia divinae voluntatis nutu permittit, ut patiatur et operetur, quae sibi propria sunt: tum quia operationem carnis omnino efficit salutarem, id quod non humanae, sed divinae potius actionis est . . . Communicat autem operanti Deitati Verbi et dispensanti et gubernanti universa (natura humana) intelligens et cognoscens et dispensans non ut nuda hominis mens, sed ut Deo secundum hypostasin unita et Dei mens constituta." Verbum Deus scil. partem habet in operationibus mere humanis, **a.** quatenus naturam humanam reddit subsistentem, **b.** in eam influit sicut in actiones omnium creaturarum, eas **c.** permittendo, dirigendo, elevando;

d. iis utens ad suos fines in omnibus, quae agit ut Dei legatus. Natura vero humana in his cooperatur naturae divinae, et dum Christus qua Verbum rerum universitatem gubernat, ipsa hoc cognoscit et approbat. Quare merito conc. lateranense secr. 5 can. 15 decernit: „Si quis secundum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum ss. patres, h. e. divinam et humanam: aut ipsam θεανδρικήν, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit." Cf. Scheeben § 219.

528. **Scholion II.** *Exceptioni satisfit.* — Organi appellatione humanae Christi naturae a patribus tributa abusi sunt ad suos errores tuendos ariani, apollinaristae, nestoriani, eutychiani, monotheletae, qui inde inferebant, unicam esse Christi operationem, siquidem artificis et instrumenti una esset operatio. Verum haec loquendi ratio nullo modo haereticorum erroribus favet. Organum enim patres naturam humanam respectu Verbi appellant vel ut significent eam non esse connaturalem Verbi naturam, vel quia organi rationem revera habuit in Verbi operationibus, maxime in operationibus miraculosis. Tunc vero notetur, duplex esse secundum Thomam 3. p. q. 19 a. 1 organi genus, inanimatum et animatum, quod sicut proprio vitae principio ita et propria agendi virtute est instructum, cujusmodi est famulus respectu domini sui. Atqui humana Christi natura censeri debet organum animatum, cui propterea adscribenda est tum propria actio, tum propria operandi virtus; et est quidem verissimum organum tum universim, quod sit creata et obnoxia natura; tum nominatim, quod sit natura Verbi ab eo tamquam ab habente pendens. Sed instrumentum est plane singulare et eximium, incomparabile et inauditis praefulgens praerogativis, cujus organi ratio potissimum elucet in operationibns ontologice supernaturalibus, ad quas, licet eae proficiscerentur a divina natura, subinferre voluit Dei Filius etiam ministerium aliquod humanae suae naturae, ut cum tangendo sanabat, insufflando dabat Spiritum sanctum, vocando suscitabat a mortuis. Quare si adversarii urgent, artificis et instrumenti unicam esse operationem, ideoque etiam Verbi et humanae naturae unam esse operationem, facilis ex dictis est responsio. Distinguere enim licet illud principium: una utriusque est operatio, si instrumentum est inanimatum, conc. vel transeat; si est animatum, subd. physice, nego; moraliter, quatenus utriusque operatio ad eundem scopum vel effectum tendit, concedo; sicut famuli jussu domini eleemosynam dantis propria est actio physica distincta a jussione domini, licet una tantum sit eleemosyna. Cf. Petavius VIII, 2 et 11 s., qui regulas novem tradit, ut rite de Christi operationibus judicetur.

529 **Corollarium I.** Etsi duplex est operatio Christi, *unus* tamen *est operans* ob unitatem personae (actiones enim tribuuntur supposito), quae est Deus homo, qui, cum in terris degeret, et ut Deus se ipsum gerebat, et ut homo; operabatur scil. et quae Deum et quae hominem addecerent; sicut homo nunc ratiocinatur, qua rationalis est, nunc cursitat, qua corporeus: et quidem philosophatur cum corpore, non corpore, et cursitat cum ratione, non ratione;

unde duplex et longe dissimillima est operatio philosophari et cursitare, etsi unus idemque est, qui philosophatur et cursitat, quique si libet et cursitat philosophando et philosophatur cursitando, ut ait Thomassinus V, 6. Liquet etiam quo sensu actiones sint naturarum, quo sensu suppositorum: suppositi sunt, ut principii, quod illas elicit: naturae ut principii, quo eliciuntur.

530. **Corollarium II.** *De libertate Christi.* Cum humana voluntas essentialiter sit libera, et libertas vera sit ejusdem perfectio, consequitur humanam Christi naturam fuisse libertate praeditam. De qua notamus:

1. Libertatem humanam Christi mediam esse inter libertatem Dei propriam et eam, quae est creaturarum. Cum illa habet commune, ut circa bonum honestum tantum versari queat; cum libertate purarum creaturarum habet commune idemque diversum a libertate Dei, quod neque constat puro unicoque actu neque habet impeccantiae praerogativam vi ipsius essentiae.

2. Fatemur gravissimis difficultatibus veritatem de humana Christi libertate esse obnoxiam. Ejusmodi tamen **a.** non est ea, quae petatur ex Christi impeccabilitate, cum et Deus et angeli libertate fruantur, etsi ornantur impeccantiae praerogativa (quamvis aliter atque aliter, ille natura, hi gratia). Neque **b.** talis est, quae petatur ex visione beatifica, quae corollarium fuit unionis hypostaticae. Nam visio beatifica excludit quidem libertatem ad malum ut quandam libertatis creatae rubiginem, non fero funditus tollit libertatem: imo eam perficit. Talis neque **c.** est, quae petatur ex pugna inter voluntatem divinam et humanam Christi necessario admittenda, probata libertate humana; ejusmodi enim pugna exclusa est ipso impeccantiae dono, et excluditur a beatis quoque incolumi manente eorum libertate.

3. Talis vero ea est, quae oritur hinc quidem ex admissa impeccantia Christi, inde vero ex ejus obedientia libera et meritoria in obeunda morte ab aeterno ad reparationem humani generis a Patre praedefinita, quae ita in forma proponi potest: Christus in obeunda morte vel fuit liber vel non fuit liber. Si non fuit liber, mors ejus non fuit meritoria et ita corruunt praecipua theoremata de redemptione per Christum; si vero fuit liber, potuisset etiam non mori, consequenter transgredi praeceptum paternum, quo mors ei erat praecepta, ideoque peccare quod pugnat cum ejus impeccabilitate. Ergo vel neganda est Christi libertas vel impeccabilitas.

4. Theologi in hac difficultate solvenda in diversa abeunt. Franciscus Amico recenset de incarn. d. 25 s. 3 circa 17 varias solutiones. Sunt, qui putent, mortem Christo praeceptam fuisse, sed potuisse Christum petere dispensationem, qua non petita, non obstante praecepto, libere mortuus est: de qua sententia cf. Lugo d. 26 s. 8. — Sunt, qui cum Ysambert in 3 p. q. 18 d. 2 a. 6 statuant, praeceptam quidem fuisse Christo mortem in genere, at non in specie et individuo secundum omnia motiva et adjuncta interna et externa temporis, loci, modi etc., ideoque

praeceptum illud non impedivisse, quominus mors, qualis hic et nunc a Christo acceptabatur, esset libera et meritoria; sicut et martyrum mors est libera et meritoria, etsi natura ipsa moriendi necessitati sint obnoxii. — Alii contendunt, Patris mandatum antecedenter ad liberam Christi electionem non fuisse strictum praeceptum, sed tantum Patris beneplacitum, ita ut Patri alter quoque redemptionis modus fuisset gratus, si Christus illum elegisset; consequenter vero ad liberam Christi electionem voluntatem Patris conditionatam transiisse in absolutam ratum habendo modum a Christo libere electum. — Alii negant proprie dictum praeceptum, quod tantam personae Christi dignitatem, sapientiam atque sanctitatem minus videtur decere, neque requiritur ad obedientiae perfectionem: haec enim eo sincerior est, quo minus quis praeceptum exspectat, sed illud praevertens paratus est ad omne obsequium, quod alteri agnoscit gratum. Cf. s. Thomas 3. q. 18 a. 4; Franzelin th. 44; Scheeben § 250.

531. **Corollarium III.** *De compositione Christi.* — Cum Verbum humanam naturam assumpserit in unitatem personae, ideoque Christus in duabus naturis inconfusis secundum conc. chalcedonense exsistat, compositus et persona Christi composita poterit affirmari; quae loquendi ratio vel diserte vel aequivalenter occurrit apud patres et in conciliis. Sed

1. ab hac compositione omnis imperfectio creaturarum propria est excludenda: unde Verbum et natura assumpta dici quidem possunt elementa constituentia Christum, non vero partes, quae se mutuo perficiant: perficitur enim tantum natura assumpta. Merito autem haec dicitur sub aliquo respectu plus, sub alio minus esse parte. Minus est, quia accedit ad Verbum, quod est totum sub ratione tam naturae quam personae perfectissimum: plus vero est parte, quia formae instar constituit Filium Dei vere hominem, partis autem non est, sed totius aliquid constituere in certo genere vel specie. Compositionis deinde est, ut totum sit majus sua parte. Atqui Christus non est aliquid majus seu perfectius quam Verbum solum.

2. Noveris, personam Christi duplici modo spectari posse formaliter et materialiter, prout considerantur sive is qui possidet, sive ea quae possidet. Formaliter qua persona est simplex; est enim ipsa hypostasis Verbi, quae assumptione naturae humanae in ratione personae nullatenus perficitur; materialiter persona Christi est composita, quatenus praeter naturam divinam, quae ipsi est essentialis, aliam habet, quae accidentis instar ad illam accedit; et ita quidem, ut eam nullatenus mutet. Quod si Christum formaliter considero ratione muneris, tunc sane ita consideratus dici debet compositus: nam de ratione Christi est, ut sit Deus carofactus.

3. Quare ita in forma respondendum est ad difficultatem nonnihil intricatam: hypostasis Verbum est hypostasis simplex, hypostasis Christus est hypostasis composita. Atqui hypostasis simplex et hypostasis composita realiter distinguuntur. Ergo hypostasis Verbum et hypostasis Christus realiter distinguuntur. Conc. 1 p. maj.; dist. 2 p. maj.: hypostasis Christus quatenus est persona est composita, exsurgens e partibus, neg.; est composita e Verbi persona immutabiliter permanente absque nova perfectionis accessione et ex humana

natura, quae perficitur et non perficit, conc. — Dist. min.: hypostasis simplex et hypostasis composita exsurgens e partibus, vel in qua componentia se mutuo perficiunt, re distinguuntur, conc. min.; si hypostasis simplex praeexsistens hoc tantum sensu est composita, quod sine sui mutatione habet alteram naturam, subd.: formaliter qua persona, neg. min.; materialiter, seu ut alii dicunt per modum numeri et extensive, quod scil. duae naturae non sint una, conc. min. Ita homo vestitus et homo spoliatus in ratione hypostasis non differt, quamvis aliquod sit discrimen materiale; ita verbum mente conceptum et ore prolatum in ratione verbi non distinguitur, neque enim prolatione perficitur aut in se mutatur. Cf. Thomas 3. p. q. 2 a. 4; q. 17 a. 2; lect. 5 in Ephes. 3; Stentrup th. 36; Scheeben § 221. Si vero quaeritur, denominatio hominis Verbo sitne intrinseca, respondet Suarez disp. 8 sect 4, eam esse veluti mediam, »nam quia est a natura realiter distincta, videtur extrinseca; quia vero est a natura intime conjuncta, videtur intrinseca, et ita potius est appellanda.«

Articulus III.
De unione naturarum inseparabili.

532. **Thesis CLIV.** ***Verbum assumpsit naturam humanam ab ipso hujus exsistentiae exordio, adeo ut ea nunquam seorsim ab ipso exstiterit: ita vero illam sibi univit, ut eam nunquam deposuerit, nunquam sit depositurum.***

Demonstratio . I. Thesis est de fide. Unionem autem Verbi cum humana natura factam esse in ipso conceptionis exordio

1. diserte instanterque inculcant patres adversus Paulum samosaenum, L eporium, Nestorium[1]) etc., eorumque doctrinae summa est: **a.** non ante exstitisse humanam naturam, quam substiterit in persona Verbi; **b.** illius exsistentiam simultaneam esse unitioni cum Verbo; **c.** Verbum assumpsisse non personam, sed naturam humanam. Ita s Leo M. statuit ep. 35 c. 3: „Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur."

Praeclare doctrinam catholicam exponit Vincentius lirin. c. 25: »Haec igitur in Christo personae unitas nequaquam post Virginis partum, sed in ipso

---

[1]) Num Nestorius circa unitionis tempus erraverit, acris est controversia inter theologos gravissimos. Affirmat Petavius I, 9 § 4; III, 3 § 3; refragatur Garnerius in diss. de haeresi in libris Nest. (in sua ed. operum Marii Merc.) c. 1 § 3, quem sequitur Schrader: dum contra Ballerini in sylloge monument. ad immac. concept. b. M. V. spectantium II, 118 ss. ed. paris. 1857 (opusc. XXXIV, 308 ss. annot.) iterum tuetur thesim, Nestorium errasse circa conjunctionis tempus. Nititur em. card. Franzelin contrarias conciliare sententias, concedens Nestorium quidem admisisse conjunctionem perpetuam secundum sanctificationem; sed conjunctionem secundum charisma, quo Jesus esset Christus, redemptionis instrumentum et legatus, et ex quo propterea oriretur unitas auctoritatis, dignitatis, personae moralis, in conceptu fuisse tantum destinatione: progressu vero temporis, praesertim in baptismo et initiatione ad vitam publicam, assumptionem factam fuisse actu, et hoc sensu Jesum crevisse meritis, quibus hanc assecutus sit dignitatem. Cf. ex. gr. Nestorii serm. 6 n. 8.

Virginis utero compacta et perfecta est. Vehementer enim praecavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam semper unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi eum nunc unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum scil. post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo sed unitate personae non ab ascensu vel resurrectione vel baptismo, sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsa virginali conceptione fateamur.« — J. Damascenus: »Neque Verbum carni in propria persona jam seorsim exstanti unitum est, sed in s. Virginis utero nulla circumscriptione in sua ipse persona immorans, ex castis ipsius perpetuae Virginis sanguinibus carnem anima rationali et intelligente praeditam substare fecit, humanae conspersionis primitias assumens, Verbum ipsum carni factum hypostasis. Quamobrem simul atque caro exstitit, simul quoque Dei Verbi exstitit caro, simul caro animata rationis particeps et intelligentiae [1]).« — Gregorius naz. ep. 1 ad Cled. adv. Apollinarii criminationes statuit: »Si quis hominem formatum esse, deinde Deum subiisse dicat, damnatus esto. Hoc enim generatio Dei neutiquam fuerit.« — Unde Cyrillus ep. 1 ad Nestorium: »Non enim primum ex s. Virgine homo communis genitus est, in quem postea Verbum descenderit: sed ab ipsamet vulva unitione facta carnalem generationem admisisse dicitur.« — Theodoretus etiam dial. 2 agnoscit (Mig. 83, 139) »ne momentulum interpositum fuisse inter assumptionem carnis et ejus unitionem cum Verbo.« Cf. Petavius IV, 11; Thomassinus III, 11 s.

2. Haec veritas corollarii instar sequitur ex dogmate, b. Mariam esse non solum Dei matrem, Deiparam, sed et Dei genitricem (th. 160). Atqui non est sensu pleno Dei genitrix, nisi genuerit Deum. Neque vere dici potest genuisse Deum, nisi Verbum hypostatice fuerit unitum humanae naturae ab ipsa conceptione: nam humana de Deo Verbo nonnisi ratione unionis hypostaticae praedicare licet. Ergo si dicitur genitum, debuit uniri naturae humanae, dum ea conciperetur. Idem simili modo probatur symboli apostolici articulo, quo profitemur, Filium Dei conceptum esse de Spiritu s., quod de Filio Dei nonnisi ratione naturae humanae dici potest. Ergo in ipsa jam conceptione haec Verbo erat propria i. e. hypostatice unita.

3. Denique quantum satis est, probatur dogma ex Gal. 4, 4; Rom. 1, 2. 3, ubi ipse Dei Filius dicitur *factus ex semine David, ex muliere;* ex Luc. 1, 35 col. 43, ubi b. M. V. mox a conceptione dicitur ab Elisabeth ex inspiratione s. Spiritus *Mater Domini mei;* quare infans, quem mox ante conceperat, jam erat *Dominus* i. e. Deus incarnatus. Facta ergo jam erat unio hypostatica.

---

[1]) De F. O. III, 2 Graece: Οὐ γὰρ προϋποστάτῃ καθ' ἑαυτὴν σαρκὶ ἡνώθη ὁ θεῖος Λόγος, ἀλλ' ἐνοικήσας τῇ γαστρὶ τῆς ἁγίας Παρθένου, ἀπεριγραπτως ἐν τῇ ἑαυτοῦ ὑποστάσει ἐκ τῶν ἁγνῶν τῆς Ἀειπαρθένου αἱμάτων σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ ὑπεστήσατο, ἀπαρχὴν προσλαβόμενος τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος, αὐτὸς ὁ Λόγος γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις. Cf. Lequien in h. l.

533. **Demonstratio p. II.** Verbum nunquam exuisse, quam semel induerat, naturam humanam, plane certum est, quod etiam praeter conc. chalcedonense (n. 488) docet conc. toletanum XI. a. 675 hisce verbis: „In quo Deo Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando sejungi.“ Dubium suboriri potest de tempore passionis propter Verba Christi in cruce dicentis: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (Matth. 27, 46)? et de tempore mortis, cum anima a corpore fuit separata. Neque defuerunt haeretici, qui ejusmodi divisionem commenti sint [1]). Verum illis verbis

1. non probatur tempore passionis dissolutam fuisse unionem hypostaticam, cum ea apte intelligi possint de protectionis divinae subtractione.

Ad rem Hugo Victorinus l. 2 de sacr. I, 10 (ubi bene hanc quaestionem tractat): » Dereliquit (Deus humanitatem) illis, sed illam non dereliquit. Dereliquit illis, sed sibi non dereliquit. Dereliquit, quia auxilium non contulit: sed non dereliquit, quia praesentiam non abstulit; subtraxit protectionem, sed non separavit unionem. Separavit se foris, ut ad defensionem contra inimicos non adesset, sed non separavit se intus, ut illi ad unionem personae deesset. Sic ergo dereliquit, ut non adjuvaret, sed non dereliquit, ut recederet. « Eadem repetit Werner ab. l. 1 deflorat. PP. (Mig. 157, 914), et magister sent. l. 3 d. 21. Alii patres, ut diximus n. 158 [2], censent haec verba a Christo dicta esse in nostra persona, scil. quatenus est caput nostrum.

2. Neque ex Christi morte probatur factam esse separationem inter Verbum et naturam humanam. Nam mors non consistit in separatione humanitatis a divinitate, sed in separatione animae a corpore, quae locum habere potest manente vinculo, quo tum anima tum corpus Verbo agglutinantur. Revera nullam factam esse separationem mortis tempore testantur patres. Ita s. Athanasius in l. de salut. adventu Chr.: „Si Verbum recessit a corpore et ita mortificatio facta est, contra Deum praevaluere judaei hoc ipso, quod indissolubilem mixtionem solverunt;“ et s. Leo serm. 17 de pass.: „In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.“

3. Idem probatur ex articulo symboli de passione et morte Filii Dei. „Neque enim, scribit Capreolus ep. 2 ad Vitum et Const. n. 4, vel in

[1]) Cf. Petavius XII, 19 § 1 et Constantius in praef. gen. ad opera Hilarii n. 162 ss., qui excusat patres quosdam, qui haereticorum errori videntur favisse. Discrimen enim hoc fuisse statuit inter hos et haereticos, quod **1.** hi docuerint, Verbum secessisse ex timore passionis et mortis: illi vero, quod putaverint, Christum hominem praesente ipsa Vita mori non potuisse. Haeretici **2.** docebant Verbum jam ante passionem deseruisse humanam naturam et quidem non solum corpus, sed et animam: hi vero patres censuerunt Verbum deseruisse solum corpus, et quidem tantum mortis tempore. Stentrup vero Soterol. th. 42 patres illos ab omni errore vindicat.

passione defuit illi homini Deus, alioquin non est Dominus gloriae crucifixus.“ Et aethiopes circa finem suae liturgiae profitentur: „Credo, credo, credo, quod divinitas non sit separata ab humanitate ne hora quidem, neque per ictum oculi.“ Cf. Migne patrol. lat. 138, 926; et graec. 36, 731, ubi similia reperies in lit. alex. s. Greg. naz. Rationes congruentiae cf. apud s. Thomam in 3. d. 21 q. 1 a. 1 sol. 1.

534. **Scholion.** Quaerunt theologi, *num Verbum triduo mortis potuerit dici homo.* Affirmat Lombardus l. 3 dist. 22, et quidem idcirco, quod Verbum cum anima et corpore licet inter se separatis conjunctum erat, item Hugo Victorinus l. c. c. 11. Verum de hac opinione ita pronunciat Petavius XII, 20 § 3: »Ea, ut uno verbo dicam, falsa prorsus et absurda est; hujus enim consectaria sunt quaedam, quae a catholica illius mysterii professione dissident. Quare merito ab omnibus de schola theologis, qui ducem alioquin et magistrum sibi Lombardum praescribunt, damnata hujus ista est opinio, et inter rejicula numerata in indiculo, qui illius operi est subjectus. Neque enim partes illae duae sejunctae, sed copulatae hominem faciunt, nec mortuus homo revera est homo, sed aequivoce tantum.« Cf. Thomas quodl. 2 a. 1.

535. De controversia acriter olim agitata, *solutane fuerit unio hypostatica cum sanguine in cruce effuso* cf. Genér I, 30 et Holtzclau tr. de Deo Verbo incarn. n. 271 ss. in theol. wirceb. t. 2. Pius II. de ea edidit (1464) decretum: »Autoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod nulli ordinum Minorum aut Praedicatorum liceat deinceps de supradicta dubietate disputare, praedicare vel publice aut private verbum facere seu aliis suadere, quod videlicet haereticum vel peccatum sit, tenere vel credere, sanguinem ipsum sacratissimum, ut praemittitur, triduo passionis ejusdem D. N. J. Christi ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse vel non fuisse divisum, vel separatum, donec super dubietatis ejusmodi decisione quid tenendum sit, fuerit per sedem apostolicam definitum.« Tenendum esse unionem cum sanguine hypostaticam mortis triduo solutam non fuisse, pluribus ostendit Stentrup th. 44.

536. **Demonstratio p. III.** Verbum nunquam relicturum esse naturam humanam ex eadem definitione chalcedonensi et toletana consequitur, quocirca Ecclesia hunc errorem damnavit in seleucianis, in Photino, Marcello ancyrano etc., quos Damascenus haer. 93 appellat χριστολύτας seu Christum solventes, „qui D. N. J. Christum ajunt, posteaquam surrexit a mortuis, relicto in terra animato corpore nuda solaque deitate ad coelos ascendisse.“ Refellitur autem Hebr. 13, 8: *J. Christus heri et hodie, ipse et in secula*; Ps. 109, 4: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* aliisque Scripturae effatis Rom. 6, 9; Luc. 1, 33; Dan. 7, 24; Ap. 1, 6; 2. Petr. 3, 18 etc., quibus Christus non amplius moriturus, ejus regnum aeternum et fine carens exhibetur, et ipse glorificandus in secula seculorum. Atqui Christus proprie est synthesis ex Verbo et natura humana assumpta; regnum ejus est Ecclesia non solum militans, sed in primis triumphans, quae est ejus corpus mysticum, cujus ipse est caput. Ergo in aeternum manebit haec synthesis et unio. Adeo

autem evidens visum est hoc dogma patribus, ut illud tamquam certum ubique supponant, neque ullum apud ipsos dubitationis compareat vestigium. Cf. Petavium I, 3 § 10 ss.; XII, 18. Ex patribus in primis hanc haeresim impugnarunt Cyrillus hieros. cat. 15 et Eusebius caesar. de eccl. Theol. l. 3 c. 13 ss. Cf. Augustinus l. de haer. n. 59.

Caput V.

De praerogativis humanae naturae assumptae aliisque consectariis, quae unionem consequuntur hypostaticam.

537. **Thesis CLV.** ***Christus Jesus etiam ut hic homo est, credi debet naturalis, non adoptivus Dei Filius.***

Declaratio. Propositio, Christus quatenus homo est, Filius Dei est naturalis, accipi potest sensu vel specificativo vel reduplicativo et formali [1]: in priori ea est vera, falsa in posteriori. Vera scil. est, si designatur haec hypostasis, hoc suppositum humanae naturae, hic subsistens in natura humana, a qua dicebatur verissime homo, ille distinctus ab aliis hominibus, quem apostoli videbant, alloquebantur, qui natus est ex Maria V., qui crevit etc., ut subjectum, cui convenit praedicatum Filius Dei naturalis. Falsa vero est propositio, si natura humana designatur ut ratio, secundum et propter quam praedicatum Filius Dei naturalis illi conveniat subjecto. Minus aequivoca est propositio: Christus, ut hic homo, est Filius Dei naturalis: ipsum enim pronomen demonstrativum designat suppositum et personam, hunc subsistentem in humana natura. Statuitur autem thesis adversus adoptianismi haeresim, quae surculus est erroris nestoriani. Illius auctores fuere sec. VIII. labente Felix episcopus urgellitanus et Elipandus archiepiscopus toletanus, qui pro numero naturarum in Christo totidem Dei filios distinguebant contendentes, Christum secundum naturam divinam Filium esse naturalem, adoptivum vero secundum naturam humanam. Verum hunc errorem praedamnavit jam Damasus in ep. ad Paulinum antioch. scribens: »Anathematizamus eos, qui duos esse filios affirmant, unum ante secula et alium post assumptionem carnis ex Maria;« data dein opera damnavit conc. francofordiense, cujus definitio approbata fuit a romano pontifice universaque Ecclesia. Alias definitiones cf. in fasc. lit. Katholik 1862 I, 595.

538. **Demonstratio. 1.** Probatur dogma omnibus iis, quibus contra Nestorium demonstratur unitas personae in Christo. Ostendimus enim unum eundemque J. Christum simul esse verum Deum a Patre genitum verumque hominem ex Virgine natum. Ergo is, qui est J. Christus, qui est

---

[1] Sensus specificativus designat subjectum, prout ab aliis distinguitur; reduplicativus illud sistit seu designat sub illa praecise forma, quam nomen enunciat: seu restringit, circumscribit considerationem, ut subjectum consideretur sub ea formalitate, respectu, quem significat nomen. Ille resolvitur, ut in nostro maneamus argumento, ita: Christus, *qui* est homo, est Filius Dei naturalis; sensus reduplicativus ita: Christus J. *secundum quod* est homo, propter humanam naturam ratione humanae naturae, est Filius Dei naturalis.

filius hominis et homo, idem est filius Dei naturalis: et quia filius naturalis nequit esse ejusdem patris filius adoptivus, non est Christus homo filius Dei adoptivus. Filiatio enim adoptiva est adumbratio tantum filiationis naturalis; hujus, ubi deest, tenue et umbratile supplementum; et definitur „personae extraneae in filium et heredem gratuita assumptio."

2. Sane vel Pater nullum habet filium naturalem, vel is est homo Christus J.: nam fere omnia testimonia sive Scripturae, sive patrum (n. 135 ss.), quibus ostendimus Patrem habere Filium naturalem, agunt de J. Christo homine. Ergo si ne is quidem Filius Dei naturalis est, nullus erit unigenitus Dei Filius. Hinc Christus, quamvis familiarissime cum hominibus versaretur, nunquam se hominibus jungens dixit Patrem nostrum, sed sedulo se ab iisdem secernit dicens: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* Joan. 20, 17. Quare non est unus ex multitudine filiorum adoptivorum, sed Filius naturalis etiam in carne humana. Merito igitur Cassianus adversus Nestorium scribit II, 6: „Tu ergo Jesum Christum utrumque hoc i. e. Dei Filium atque hominis, an tantum hominis esse asseris? Si tantum hominis, reclamant tibi apostoli, reclamant prophetae, reclamat ipse denique, per quem facta est conceptio, Spiritus sanctus. Obruitur impudentissimum os tuum cunctis divinorum apicum testimoniis; obruitur sacris voluminibus, sanctis testibus; obruitur denique ipso Dei Evangelio quasi divina manu."

3. Verbum incarnatione mansit quod erat, factum est quod non erat; erat Filius Dei naturalis, non erat filius hominis et homo. Ergo ipse, qui factus est filius hominis et homo, est Filius Dei naturalis.

Patrum effata, qui vel diserte vel aequivalenter numerum binarium filiorum in Christo diu ante hanc haeresim damnarunt cf. apud Alcuinum l. adv. haeresim Felicis (Mig. 101, 87 ss.) et passim in suis scriptis. Verum quidem est, adoptianos provocasse pro suo errore ad quorundam patrum et liturgiae mozarabicae testimonia, in quibus mentio fit, cum de Christo homine est sermo, adoptionis, gratiae adoptionis, hominis adoptivi; sed hisce in locis adoptio sumitur vel pro assumptione (adoptare quasi adaptare, assumere) scil. naturae humanae, vel sermo est de adoptione non qua praeditus esset Christus, sed cujus ipse est auctor: *quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* Joan. 1, 12. Cf. Hefele Conciliengesch. t. III § 390.

539. Ratio autem, quare Christus, ut hic homo est, Filius Dei naturalis credi debeat, est, ut ex ipsis patet argumentis, unio hypostatica, vi cujus unus idemque est Filius Mariae et Filius Dei, vi cujus Filius Dei naturalis non obstante sua exinanitione nihil detrimenti passus est, hinc quamvis subsistat in natura humana ideoque sit homo, mansit quod erat. Nituntur tamen theologi subtilius hoc mysterium rimari, inter quos eminent de Lugo de incarn. d. 31 s. 3, Thomassinus VIII, 5 ss. et Pe-

tavius VII, 5 ss., quorum explicationem ita paucis complectimur: Pater generatione eundem Filium, quem ab aeterno genuit in sola forma Dei, in tempore gignit carni se hypostatice communicantem: quare terminus divinae generationis ante incarnationem est Filius in sola forma Dei: in tempore idem forma hominis, a qua denominatur homo, indutus. „Ex quo enim, ita Leontius contra monophysitas (apud Mai veterum script. VII, 147), natura assumpta ad Filium naturalem attracta est, innexa quoque est naturalis filiationis dignitati: quare simul honorata glorificatur simulque adoratur.“ Et jam diu antea Novatianus de Trinitate cap. 23 al. 19 occasione verborum Luc. 1, 35: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* „Hic est enim legitimus Dei Filius, qui ex ipso Deo est, qui dum sanctum istud assumit et sibi filium hominis annectit et illum ad se rapit atque transducit, connexione sua et permixtione sociata praestat et Filium Dei facit, quod ille naturaliter non fuit, ut principalitas hominis istius *Filius Dei* in Spiritu Domini (in Verbo secundum naturam divinam) sit, qui descendit et venit.“ Eo ipso scil. quod natura humana assumpta fuit in unitatem personae, atque ideo personae Verbi veluti inserta, consors redditur divinae filiationis, qua persona Verbi constituitur ac distinguitur. Quare eadem relatione originis refertur ad Deum Patrem Verbum cum natura humana sibi unita, qua constituitur homo, seu Verbum incarnatum, quod est homo Christus Jesus, qua ad eundem Patrem refertur Verbum nondum incarnatum.

Quare ad difficultatem: De ratione filiationis naturalis est generatio; atqui Christus homo non est a Patre genitus; ergo etc.: respondemus in forma: De ratione filiationis naturalis est generatio D. M.: ut persona sit genita, quae dicitur filius C.; ut ea omnia, quae habet, accipiat vi generationis, N. — D. Min. Christus homo i. e. Christus, qui est homo, non est genitus, N.; non est genitus a Patre secundum naturam humanam C. — D. Cons. Ergo non est filius propter vel secundum naturam humanam Conc., non est in natura vel cum natura humana filius N. Cf. Thomas 3 q. 23 a. 4; q. 32 a. 3; q. 35 a. 4. 5.

540. His nonnulli theologi nondum contenti alias excogitarunt rationes, propter quas Christus, ut hic homo est, filius naturalis dici possit: sanctificationem scil. naturae humanae per substantivam cum Verbo unionem et jus inde obortum ad hereditatem Dei. Cf. Becanum theol. schol. p. 3 tr. 1 c. 18 q. 4. 5, qui statum quaestionis pro more dilucide exponit. Contra quam opinionem excipimus **1.** eam esse praeter Ecclesiae doctrinam, quae non novit aliud hujus dogmatis fundamentum, quam personae unitatem; **2.** in ea perverti filii naturalis notionem, cum nova quaedam filiatio naturalis admittatur, quae non fundetur in generatione; **3.** ex ea sequi, Christum, ut hic homo est, quodam vero sensu filium esse non solius Patris, sed totius Trinitatis: atqui a tali doctrina patres prorsus abhorrent. Cf. Augustinus Enchiridii n. 38 s.; Alcuinus ep. ad Felicem n. 4 (Mig. 101, 122), et praesertim Fulgentius fragm. 32 contra Fabianum, ubi inter alia scribit: »Quis enim unquam tantae reperiri possit insaniae, qui auderet Jesum Christum totius Tri-

nitatis Filium praedicare? Ecclesia quippe Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (1. Tim. 3, 15), unum sciens Patrem unius Filii, et unum sciens Spiritum sanctum Patris et Filii, nunquam potest Jesum Christum Filium Trinitatis dicere: quia neque duos Patres, neque duos Filios, neque duos Spiritus sanctos potest aliquatenus praedicare. Jesus Christus itaque non solum secundum divinitatem (in qua naturaliter aequalis est Deo Patri), sed et secundum animam et carnem (in qua idem Deus consubstantialis est matri) non solum Filius Dei Patris est, verum etiam unigenitus Filius.« Denique **4.** in ea theoria vix effugitur error, in Christo duos esse Filios, alterum proprie naturalem, alterum analogice naturalem, quod paulum distat ab errore adoptianorum. Cf. Stentrup th. 39 ss.

541. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Qui Christi divinitatem negant, triplicem excogitarunt causam, propter quam ipse singulari ratione appelletur Dei Filius, scil. **1.** propter coelestem ejus originem de Spiritu s. secundum illa Luc. 1, 25: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* **2.** ob ejus munus et missionem plane singularem juxta illa Joan. 10, 36: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum;* **3.** propter admirabilem a mortuis resurrectionem, qua etiam Paulus Act. 13, 33 adimpleta fuisse dicit verba Ps. 2, 7: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Secundum Wegscheider Institut. theologiae § 82 Christus quadruplici significatione Filius Dei dicitur: »**1.** physica, qua non a patre humano originem duxisse traditur Luc. 1, 31. 35; **2.** theocratica et messiana, qua Jesus Messias hoc nomine designatur Matth. 3, 17; 16, 13 etc.; **3.** metaphysica, qua notio naturae et dignitatis, humanae quidem naturae et experientiae fines longe superantis exprimitur Joan. 1, 1 ss. etc.; **4.** ethica, quatenus Jesus propter similitudinem cum Deo moralem ab eo unice dilectus et hominibus tamquam archetypus cogitandi agendique propositus est Philip. 2.«

542. Quod primam filiationis rationem attinet, mirabilem scil. Christi conceptum ex Virgine, respondemus, hunc non esse causam et rationem, cur Christus sit dicaturque Dei Filius, sed esse divinae filiationis consectarium et collatis V. T. vaticiniis ejusdem filiationis divinae argumentum et manifestationem. Possit tamen illis verbis significari etiam ratio divinae filiationis, si nomine Spiritus sancti vel saltem virtutis Altissimi intelligatur cum pluribus patribus ipsum Verbum illabens Virgini atque in ipso illapsu hypostatice assumens sibique efformans naturam humanam. — Quod alteram filiationis rationem spectat, quam repetunt ex speciali Christi missione, concedimus quidem, verba Jo. 10, 36 difficultatem forte exegeticam prae se ferre, sed nullatenus negare Christi divinitatem filiationemque naturalem, quam ipse sibi tam clare ib. vindicat. Christus de blasphemia accusatus v. 33, hanc a se amoliri nititur. Utitur autem argumento a minori ad majus: Si Scriptura absque blasphemia illos dixit deos, quos Deus judices constituit: neque blasphemia erit, si meipsum Filium Dei dicam, quem Pater sanctificavit tantoque signorum splendore atque tot missionis divinae indiciis (v. 32. 37. 38) misit in mundum: cum tantus sanctitatis (quomodocunque demum haec sanctificatio explicetur) missionisque divinae splendor plus sit quam constitui populi judicem. Quare Christus haec immediate non dicit ut explicet, quo sensu sit Filius Dei; sed ad re-

pellendam blasphemiae calumniam, quae repelleretur etiam, si esset filius tantum adoptione. Quo autem sensu revera se dixerit volueritque se intelligi Dei Filium, satis patet ex antecedentibus et consequentibus (n. 186). Cf. Petrus ven. in 1. ad Petr. de s. Joanne (Mig. 189, 493 ss.). — De tertia scil. de resurrectione Christi Act. 13, 33, quatenus refertur ad ejus filiationem, satis diximus 138 [3].

543. **Scholion II.** Quaeritur, *num Christus dici possit creatus:* creatura vel servus. De priori quaestione statuimus:

1. ex patribus alios hunc loquendi modum reprobare, alios vero permittere vel etiam eo uti.

2. Christum hominem considerari posse secundum naturas quas habet, secundum subsistentiam. Si priori modo consideratur, cum humana natura sit creatura, secundum hanc dici poterit creatus, minus bene creatura, cum hac voce fere semper designetur substantia secundum subsistentiam etiam creata. Si vero Christum consideras secundum subsistentiam, dici nequit creatura vel creatus; secundum hanc enim persona est divina.

3. Si voce creationis significatur actio, qua res non simpliciter, sed secundum quid esse incipit, poterit Christus dici creatus, factus, praesertim cum apposito quis sit factus, apostolus, pontifex, mediator etc.; nam Christus qua talis non erat ante incarnationem. Quibus positis patres facile ad harmoniam revocantur. Fatendum tamen est, melius esse hac loquendi ratione propter haereticorum abusum abstinere, nisi explicatio addatur. Cf. Thomas 3 q. 16; q. 20 a. 1; c. gentes IV, 48.

4. Quamvis dici possit Deus factus homo, dicere tamen non licet homo factus est Deus, quia terminus homo supponit pro persona Christi, quae semper fuit Deus. Quare si haec propositio reperiatur apud veteres, necesse est ut ita exponatur: Is qui factus est homo, est Deus etc.

544. Circa alteram quaestionem certum est, non deesse patres, qui Christum nolint appellare servum: alii praeeuntibus Scripturis ab hac appellatione non abhorrent, qui tamen facile ad harmoniam revocantur. Si enim **1.** vox servi accipitur sensu stricto et proprio (hypostatice), quatenus scilicet servus opponitur filio sive adoptivo, sive naturali, Christus dici nequit servus. Quandoque vero **2.** sensu latiori et minus proprie eum designat, qui etsi forte filius, alterius voluntati obsequitur et obedit: hoc sensu Christus dici potest servus Dei Patris, denominatione scilicet desumpta ex operationibus a Christo libere susceptis propter servilem susceptam oeconomiam. Quare hac appellatione non excluditur ratio filii naturalis, nec significatur inferioritas personae: sed includitur inferioritas naturae humanae, secundum quam solam potest Filius Dei exhibere obedientiam. Verum **3.** juxta loquendi rationem N. T., in quo Christus nunquam dicitur servus, hujusmodi locutio sine explicatione non est frequentanda. Cf. Petavius VII, 6 ss.

545. **Scholion III.** *De praedestinatione Christi.* — Paucis expedienda est etiam quaestio, num et quo sensu Christus dici possit praedestinatus.

1. Prae oculis habeas in hac quaestione: praedestinationem generatim esse aeternam ordinationem in mente divina operis, speciatim beneficii, supernaturalis: unde praedestinatum dici potest objectum ipsum seu opus supernaturale in complexu, i. e. aliquid alicui, vel praedestinatus aliquis ad aliquid. Porro praedestinatio et exsecutio in tempore sibi respondent. Quidquid ergo

in mysterio incarnationis factum est in tempore, id praedestinatum etiam est ab aeterno. Quare sicut dici potest: Christus factus est in tempore, ita dici potest praedestinatus ab aeterno; scilicet **a.** praedestinatum est ipsum opus incarnationis; **b.** humanae Christi naturae praedestinata est gratia unionis, seu humana natura est praedestinata ad unionem cum Verbo: in qua praedestinatione includitur **c.** praedestinatio ad omnes gratiae et gloriae thesauros, qui unione supposita huic homini sunt connaturales et consequentia qaudam debiti.

2. Quaeritur jam, num Christus dici possit praedestinatus esse Filius Dei, seu ad hoc, ut sit Filius Dei. Huic quaestioni occasionem praebuerunt Pauli verba Rom. 1, 3 s., ubi de Jesu Christo Filio Dei dicitur: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. Christi Domini nostri.* In textu graeco pro *praedestinatus* legitur ὁρισθέντος. Jam vero, inquit Chrysostomus h. 2 in h. l. n. 2, »quid sibi vult illud ὁρισθέντος? Ostensus, declaratus, indicatus, confessus, omnium judicio et calculo, a prophetis, ab inexspectato ortu secundum carnem, a potentia signorum, a Spiritu, per quem sanctificationem dedit, a resurrectione, qua mortis tyrannidem solvit.« Hunc in sensum alii etiam patres verba explicant, et hac explicatione omnis evanescit difficultas, quae alioquin haud levis est, si stricte sequimur vim verborum versionis. Quod si qui ob versionem vulgatam dixerint, Christum esse praedestinatum Filium Dei, propositio ita est intelligenda, ut significetur, praedestinatum est, ut Filius Dei sit homo et homo sit Filius Dei. Nam praedestinatum est illud, quod factum est in tempore. Atqui in tempore non homo Jesus praeexsistens factus est Filius Dei, sed factum est, ut Filius Dei sit homo Jesus et hic homo sit Filius Dei. Hoc ergo, non illud praedestinatum est.

3. Tenendum est personam divinam per se non esse subjectum praedestinationis. Qua de re bene Becanus theol. schol. p. 3 c. 19 q. 1: »Quamvis probabile sit, dici posse Filium Dei praedestinatum esse ab aeterno, ut fiat homo seu ad esse hominis: probabilius tamen est oppositum. Priorem tenet Suarez disp. 50 s. 1, et citat pro se d. Thomam et quosdam alios. Ratio ejus est, quia proprie dicimus, Verbum factum est homo: ergo etiam Verbum praedestinatum est, ut fieret homo. Posterior p. probatur **a.** ex dictis, quia Filius Dei non est subjectus gubernationi divinae providentiae (cujus proprie est praedestinari cf. n. 4); **b.** quia alias praedestinasset seipsum, ut fieret homo; **c.** quia nomen praedestinationis significat, praedestinatum ordinari ad aliquod beneficium vel gratiam suscipiendam: at respectu Filii Dei non est beneficium aut gratia, quod fiat homo. Vide Thomam q. 24 a. 2 ad 3 et Durandum in 3 dist 7.« Potest tamen secundum s. Thomam in ep. ad Rom. c. 1 lect. 3, »praedestinatio attribui personae Christi, secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuatur ei secundum quod subsistit in divina.« Quod ita jam expressit conc. toletanum XI: »Hic tamen pro eo, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum (nam neque factus, neque praedestinatus accipitur), per hoc tamen quod de Maria V. natus est, et natus et factus et praedestinatus esse credendus est.« Cf. Franzelin scholion post th. 38; De Rubeis in admonit. praevia t. 6 opp. Thomae ed. ven. n. 3.

546. **Thesis CLVI.** ***Christus homo 1. non solam immunis fuit a quovis peccato sive actuali sive originali, verum etiam 2. a concupiscentiae morbo, imo 3. fuit plane impeccabilis.***

Demonstratio p. I. Ex unione Verbi sponte sua et connaturaliter redundavit in humanam naturam summae sanctitatis praerogativa: de qua plures statuimus propositiones. Et primo quidem, Christum Sanctum sanctorum immunem fuisse a quovis peccato actuali testantur Scripturae 1. Petr. 2, 22: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* Is. 53, 9; 2. Cor. 5, 21; 1. Jo. 3, 5. Hinc Christus confidenter adversarios suos provocare potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8, 46 et 14, 30 testatur: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Talis enim decebat,* inquit Paulus Hebr. 7, 26, *ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus.*

547. Christum fuisse immunem etiam a peccato originali, patet tum ex doctrina Pauli Rom. 8, 3 docentis, Filium missum fuisse *in similitudinem carnis peccati* coll. Hebr. 4, 15, ubi idem apostolus testatur, eum tentatum fuisse per omnia pro similitudine *absque peccato;* tum ex appellatione *agni Dei, qui tollit peccatum mundi* Joan. 1, 29; tum ex ejus conceptione de Spiritu s. Luc. 1, 35. Et sane si nostra regeneratio de Spiritu s. et aqua, quae illius est tantum adumbratio, omnis peccati est impatiens et quodcunque adsit delet, quanto magis Christi nativitas omnem exclusit peccato aditum? „Quo Spiritu, inquit Atto vercell. in Rom. 1, 4, hic fit remissio peccatorum, eodem factum est, ut ipse nullum haberet omnino peccatum.“ Hoc inculcat conc. ephesinum can. 10: „Qui dicit, quod (Christus) pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum prorsus nescivit), A. S.“ et conc. florentinum in decr. pro jacobitis: „Firmiter credit, profitetur et docet, neminem ex viro feminaque conceptum diaboli dominatione fuisse liberatum nisi per meritum mediatoris Dei et hominum J. Christi D. N., qui sine peccato conceptus, natus et mortuus humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit.“

548. **Demonstratio p. II.** Caruit Christus et concupiscentia, quod probatur **1.** ex defectu causae. Consequitur enim illa in praesenti rerum ordine peccatum originale et conceptionem concupiscentia infectam. Atqui Christus et peccato originali funditus caruit, et ipsius conceptio utpote de Spiritu sancto a quavis concupiscentiae umbra fuit immunis. Id **2.** axiomatis instar erat non solum patribus, sed etiam haereticis arianis, apollinaristis, monotheletis, qui propterea negabant Christum habuisse vel animam vel animam rationalem vel voluntatem humanam, quod putabant, his semel admissis Christum non fore prorsus immunem a quavis interna pugna. Cf. Petavius IX, 11. Idem **3.** patres diserte testantur. Ita ex. gr. Augustinus op. imperf. IV, 47: „Quisquis credit

carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit;" et iterum c. eundem Julianum V, 15 n. 52: „Quisquis carnem Christi ita comparat carni nascentium hominum ceterorum, ut asserat utramque esse puritatis aequalis, detestandus haereticus invenitur." Et sane **4.** concupiscentia est in ratione inversa vigoris rationis voluntatisque in partem inferiorem; oritur enim ex defectu dominii. Atqui in Christo homine virtute perichoresis maximus erat vigor partis superioris in inferiorem. Quare conc. oecumenicum V. can. 12 statuit: „Si quis defendit Theodorum impiissimum mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum et alium Christum, et passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum, et a malis paulatim separantem se, et ita ex promotione operum melioratum, et ex vitae conversatione incontaminatum constitutum etc., A. S." Cf. Thomas 3 q. 15 a. 1. 2.

549. Imo »probabilius est, inquit Platelius in synopsi curs. theol. de incarn. c. 5 § 3 n. 286, Verbum non potuisse assumere naturam cum motibus inordinatis appetitus sensitivi; ita Suarez, Praepositus, Amicus et alii communius contra Vasquez et Lugo. Probatur, quia isti motus fuissent interpretative voluntarii supposito, a quo processissent, adeoque peccaminosi.« Quare sicut nobis non licet motus concupiscentiae inordinatos admittere, si illos cavere possumus: ita videtur Christus non potuisse illos assumere, cum illos impedire potuerit.

550. **Demonstratio p. III.** Tenendum praeterea est, naturam humanam Christi, impeccabilitatis praerogativa fuisse donatam, quod recentiori aetate schola güntheriana in dubium vocat. Et sane

1. Christum hominem esse impeccabilem principii inconcussi instar erat tum patribus, tum haereticis, quos supra nominavimus. Praeterea

2. patres (cf. n. 456) saepe inculcant, eum tantum potuisse redimere genus humanum, delere peccata, morbos sanare, qui ipse in servitutem incidere, peccatum committere non posset, quique esset supra omnem vim morbi. S. Thomas hanc rationem urget in 3. d. 12 q. 2 a. 1, quod Christus fuerit dux noster „dirigens nos secundum viam rectam. In quolibet autem genere oportet primum regulans torqueri non posse, quia alias esset error in omnibus, quae ad ipsum regulantur." Ad haec

3. Christus si peccasset, egisset contra propriam voluntatem (divinam) quae certe in ipso dominabatur. Omnia quae hactenus statuimus, docentur in schemate cit. patribus conc. vaticani proposito c. 4 n. 5 (coll. lac. VII, 560) hisce verbis: „At vero carni et sanguini participans cum infirmitate naturae culpae maculam nequaquam suscepit, et licet vero libero arbitrio praeditus, non solum non peccavit, sed nec peccare potuit. Qui neque passionibus animae aut carnis concupiscentiis molestatus (est, neque) a malis paulatim sese separavit (conc. oecum. V. can. 12), verum

in purissimae Virginis utero de Spiritu s. sanctus conceptus et natus est." Cf. Kleutgen n. 268 ss.

551. Hujus vero impeccabilitatis radix una est visio beatifica, qua donata erat jam a conceptione anima Christi (n. 556); praecipua vero unio hypostatica atque perichoresis, ut passim docent patres. Et sane **1.** si visio beatifica reddit sanctos impeccabiles, a fortiori unio hypostatica naturam assumptam: est enim unio longe arctior; et quo magis quis unitus est Deo regulae omnis boni et recti, eo minus est peccato obnoxius. Quare natura humana substantialiter Verbo unita impeccabilitate veluti imbibita fruitur. Tum **2.** certum est, sanctitatem substantialem non posse deficere i. e. peccare; Verbum vero esse ipsam sanctitatem substantialem et quidem etiam in natura assumpta. Atqui naturae assumptae actus, in primis liberi, personae i. e. Verbo sunt imputandi. Si ergo Christus peccaret, ipsum Verbum peccare dicendum esset, quod cum infinita ejus sanctitate conciliari nequit. Quare humana Christi natura peccato est plane inaccessa. Ad haec **3.** si vel gratia sanctificans componi nequit cum peccato 1. Joan. 3, 9: quanto magis sanctitas substantialis hypostatice unita absterget omnem peccandi possibilitatem. Dein **4.** deficiendi possibilitas in creaturis inde videtur etiam repetenda, quod sunt naturae et personae a Deo distinctae, quod de Christo nullo modo dicere licet. Insuper **5.** peccatum consistit in prosecutione boni Deo contrarii: repugnat autem amori Christi proprio, ut prosequatur bonum sibi contrarium. Cf. Atzberger die Unsündlichkeit Christi, Monachii 1883.

552. *De sanctitate Christi.* — Hucusque recensuimus elementa negativa sanctitatis Christi: jam ad positiva accedamus. In primis tuentur theologi unanimes, Christum fuisse sanctum sanctitate substantiali. Quod patres (cf. Petavius XI, 7 s.; Kleutgen n. 176 ss.) tunc potissimum significant, quando affirmant, humanitatem ipsa divinitate inunctam fuisse et non tantum operatione, ut in aliis christis seu unctis, sed totius unguenti praesentia, ut loquitur Gregorius naz. or. 30 n. 21. Idem hac ratione suaderi potest: Certum est, homines sanctificari participatione divinitatis, quae est ipsa sanctitas essentialis. At nulla potest esse major divinitatis participatio quam per unionem substantialem cum persona divina, atque hinc cum ipsa natura divina. Ergo hac maxime natura humana assumpta sanctificatur. Quod ita cum Antoine plenius explicari poterit theol. univ. tr. de incarn. c. 6 a. 2 § 1: „Humanitas Christi sanctificatur per Verbum formaliter seu tamquam per formam aut quasi formam sanctificantem ei substantialiter unitum. Ergo sanctificatur sanctitate substantiali per Verbum: nam Verbum est sanctitas substantialis, cum sit esse divinum substantiale. Probo antecedens: Illud humanitatem sanctificat formaliter, quod reddit illam parti-

cipem esse divini, Deo gratam et dignam supernaturali amicitia Dei, excludit ab ea omne peccatum, tum actuale, tum habituale, et dat ei jus ad beatitudinem aeternam: nam haec omnia sunt effectus formales sanctitatis. Atqui Verbum haec omnia humanitati suae praestat propter unionem hypostaticam. Nam Verbum seipsum formaliter communicat etiam physice humanitati suae hoc ipso, quod ei personaliter unitur: et humanitas propter Verbum sibi communicatum physice est specialissimo modo gratissima Deo, dignissima supernaturali amicitia Dei, habet jus infrustabile ad beatitudinem aeternam, fit non solum immunis a peccato, sed etiam impeccabilis. Ergo humanitas Christi sanctificatur formaliter per Verbum ratione unionis hypostaticae."

553. Ad difficilem quaestionem, quare humana Christi natura a Verbi sanctitate dici possit sancta, non autem ab hujus omnipotentia omnipotens, respondet Petavius c. 12 § 12: »De hoc nihil apud patres legere memini, quare a scholarum docotribus mutuo sumere oportet, quod illi respondeatur. Ajunt igitur hoc interesse inter sanctitatem et attributa cetera, quod sanctitas sit morale quiddam, nec mere, ut loquuntur, physicum, quod nimirum ex hominum more et prudenti judicio rationis aestimationem habet ac dignationem, quam non solum derivat in possessores, sed in pleraque alia, quae cum ipsis utcunque cohaerent et copulantur: quemadmodum regia vel pontificia dignitas praeter eos, quibus insunt, afficit etiam ac denominat alia pleraque cum illis juncta et utcunque copulata, quae itidem pretium et excellentiam nescio quam accipiunt. Multo ergo magis divina et increata sanctitas tamquam illius generis forma cohaerentem sibi et in personae communionem receptam hominis naturam sanctam faciet et peccati funditus expertem.« Remittit dein lectores ad Maeratium de incarnat. disp. 31 a. 1 § 5 s.

554. Sed praeterea in Christo admittendam esse gratiam sanctificantem accidentalem, creatam, dona s. Spiritus, virtutes infusas, verbo plenitudinem gratiarum distinctam a sanctitate substantiali, communis est theologorum doctrina, quam ita egregie probat s. Thomas 3. p. q. 7 a. 1: „Dicendum, quod necesse est ponere in Christo gratiam habitualem propter tria: primo quidem propter unionem animae illius ad Verbum Dei: quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo, et ideo maxime fuit conveniens, ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae [1]); secundo propter nobilitatem illius animae, cujus operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem, ad quod necesse est, elevari rationalem naturam per gratiam; tertio propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus

---

[1]) Joan. Damascenus F. O. III, 22: »Nam si caro a primo statim ortu vere Deo unita est . . . qui fieri potuit, ut non omnibus prorsus sapientiae et gratiae dotibus affluxerit?«

enim in quantum homo, est mediator Dei et hominum, et ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem secundum illud Joan. 1, 16: *De plenitudine ejus omnes accepimus et gratiam pro gratia.*" De qua gratiarum plenitudine praeclare disserit Chrysostomus in Ps. 44 n. 2. 3, ubi inter alia habet: „Omnis gratia effusa est in illud templum. Non dat enim ille Spiritum in mensura: nos enim de ejus plenitudine accepimus; illud autem templum integram et universam accepit gratiam. Hoc Isaias quoque significans dicebat: *Requiescet super ipsum Spiritus sapientiae et intelligentiae, Spiritus consilii et virtutis, Spiritus scientiae et pietatis. Spiritus timoris Dei implebit ipsum* (11, 2. 3). Sed illic quidem est integra et universa gratia: in hominibus parum quid et gutta ex illa gratia etc." Et revera si Christus est caput nostrum, ex quo in nos sua membra omnis virtus et vita supernaturalis redundat; si est vitis, quae justis velut palmitibus virtutem ferendi fructus manentes in vitam aeternam subministrat, fons esse debet inexhaustus omnis gratiae. Merito ergo theologi triplicem in Christo distinguunt gratiam, substantialem, accidentalem et gratiam capitis. Cf. Scheeben Mysterien § 51.

555. Disputant theologi de certitudine assertionis, in Christo fuisse gratiam habitualem creatam. Suarez censet eam ad fidem catholicam pertinere; acriter refragatur Vasquez, secundum quem haereticum non foret, quamvis temerarium, hanc reprobare sententiam. Vasquesio adstipulantur Valentia, Lugo, Maeratius, Petavius. De quaestione num gratiarum plenitudo in Christo fuerit infinita, cf. s. Thomas de verit. q. 29 a. 3; in primis Comp. theol. c. 215. »Scilicet est infinita non in ratione entis, sed secundum propriam rationem gratiae, pro quanto se extendit ad omnes gratiae operationes et effectus (et sic accipitur infinitas extensiva); tum praeterea est in summo gradu, qui possibilis est haberi in actuali (non in omni possibili) ordine a divina sapientia definito (et sic accipitur infinitas intensiva).« Ita Billot de Verbo incarn. p. 1 c. 2 th. 17, qui ibidem notat, »evidentissimum est, non posse dari summum in gratia, hoc sensu quod de potentia etiam absoluta repugnet gradus major et perfectior. Quare s. Thomas q. 7 a. 12 ad 2 expresse dicit, quod virtus divina potest facere aliquid majus et melius, quam sit habitualis gratia Christi.« Cf. Bonaventura Breviloquii p. 4 § 5; Thomassinus l. 6 c. 1 ss.; Franzelin th. 41; Schäzler, die Lehre von der Wirksamkeit der Sacramente § 4, ubi erudite doctrinam scholae de gratia Christi exponit.

556. **Thesis CLVII.** ***De intellectus humani in Christo praerogativis statuimus: 1. animam Christi ab ipsa origine donatam fuisse visione Dei beatifica; 2. scientia insuper amplissima infusa, praeter quam tamen 3. admittere in ipso licet scientiam etiam experimentalem propriis actibus successive acquisitam, secundum quam crevisse dici potest.***

Demonstratio p. I. Doctrinam veram de scientia Christi ita paucis complectitur conc. coloniense a. 1860: „Fuisse in anima Christi praeter scientiam acquisitam etiam scientiam infusam, imo et visionem bea-

torum et quidem inde ab ortu magno consensu docent theologi." Revera animam Christi donatam fuisse visione beatifica ab ipso suae exsistentiae exordio colligitur ex dignitate Filii Dei naturalis et ex unione hypostatica, quam consequitur plenitudo gratiarum ac donorum spiritualium in intellectu et voluntate, ultra quam nullus possit esse profectus. Cujus consecutionis veritas comprobatur unanimi theologorum consensu. Imo ut recte scribit Petavius XI, 4, „nulla est hactenus, non dicam inter doctos ac theologos, sed inter christianos de ea re controversia . . . tametsi nec Scripturae disertis hoc verbis expressisque testificentur et paucissimi ex antiquis patribus illud aperte prodiderint." Quocirca sententiam contrariam, quam recentiori aetate schola güntheriana amplexa est (etiam Klee, Schell etc.), passim temerariam pronunciant. Et sane si Christi dignitas exigit, ut fuerit gratiae consummatissimus, gratia ultra omnem profectum repletus, fruebatur visione beatifica, quae est secundum theologos gratiae consummatio. Ad haec humana natura vi unionis hypostaticae, qua nulla sublimior concipi potest, in unitatem personae fuit assumpta. Qui ergo concipi potest, eam minori, quae visione beatifica habetur, fuisse privatam, fuisse peregrinam et exsulem a Deo? peregrini enim sunt a Domino, teste Paulo 2. Cor. 5, 6 ss., qui per speciem illum non contemplantur. Neque omni probandi vi carent Jo. 3, 11—13: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur . . . Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si vobis dixero coelestia credetis?* Atqui Christus testis erat divinorum qua homo. Cf. v. 31. 32; 8, 48: *Ego quod vidi apud Patrem meum loquor.*

557. **Scholion.** *Exceptioni satisfit.* — Haud levis tamen difficultas petitur ex Christi passione, praesertim ex summa ejusdem tristitia et desolatione, quae vix conciliari potest cum visione beatifica, cum gaudium inde obortum natura sua omnem angorem, tristitiam, desolationem excludat. Verum si potuit Verbum ita uniri naturae humanae, quin propterea exluderet ab ea miserias et gloria redundaret in corpus; potuit etiam esse in anima Christi gaudium beatificum, quin propterea redundaret in vires inferiores ita, ut has omnes absorberet: quare divina dispensatione factum est, ut locus relinqueretur tristitiae; neque repugnat in eadem facultate ex objecti diversitate simul esse gaudium et dolorem, ut subinde etiam in sanctis contingit. »Virtute divinitatis Christi, inquit s. Thomas 3. p. q. 13 a. 5 ad 3, dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabat ad corpus, ut ejus passibilitas et mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur;« et s. Bonaventura in 3. dist. 16 a. 2 q. 2: »Non tantum hujusmodi dolor et gaudium non sunt contraria, sed unum est materiale respectu alterius. Et ideo simul eidem inesse poterunt, sicut in vero poenitente videmus, quod simul dolet et de dolore gaudet. Sic et anima Christi secundum naturam corpori patienti compatiebatur, tamen de illa passione et compassione laetabatur.« Cf. Bautz Katholik 1881. I, 251 ss.

558. **Demonstratio p. II.** Praeter visionem beatificam amplissimà rerum aliarum scientia Christum hominem ab ipsa conceptione divinitus fuisse praeditum, quae propterea infusa dici solet, manifestum videtur, siquidem in ipso omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi erant (Coloss. 2, 3); super ipsum requievit teste Isaia 11, 2 Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et scientiae, quem ei non ad mensuram dedit Deus (Joan. 3, 34); ipse constitutus fuit magister supremus noster (Matth. 23, 10), rex, judex et caput nostrum. Quod insuper ita suaderi potest: Nulla perfectio est deneganda Christo homini, nisi opponatur vel visioni beatificae, ut fides; vel impeccabilitati, ut poenitentia; vel officio Redemptoris, ut gloria consummata. Atqui scientia rerum in se perfectio est intellectus creati, nec adversatur visioni beatificae (nam theologi praeeunte Augustino in beatis distinguunt scientiam matutinam et vespertinam, quae est distincta a visione beatifica), nec etiam adversatur Redemptoris officio. Ergo ea non caruit Christus.

559. Scientia autem Christi neque tanta fuit ut comprehenderet Deum, damnata enim fuit prop. Augustini de Roma in concilio basileensi sess. 22: „Anima Christi videt Deum tam clare et intense, quam clare et intense Deus videt seipsum;" neque ea fuit infinita, perfectissima tamen et amplissima est censenda. Nam generatim cognitio rerum extra Deum beatis divinitus concessa respondet perfectioni, statui, auctoritati ac potestati uniuscujusque in res et personas aliqua ratione sibi subjectas et a se pendentes. Atqui Christus secundum humanam naturam est lapis angularis, fastigium et ultima perfectio totius ordinis creati; et humana natura in Christo in ordine ascendente ab imis ad summa ac velut in scala conjunctionis cum Deo et participationum divinarum est in gradu supremo, ultra quem non modo alius non est, sed nec esse potest; potestati ejus ac moderationi subjecta sunt omnia, et universum creatum, qua late patet, est ejus regnum; creata omnia ad eum vergunt velut ad suum solem, in ipso, cum ipso et per ipsum sunt in honorem et gloriam Dei tam per decursum historiae mutabilem quam in consummatione immutabili; ipse omnium est mediator, judex vivorum et mortuorum, centrum totius historiae. Quare ejus scientiae objectum est amplissimum, omnia scil. quae aliquando actu fuere, sunt et erunt complectens. Cf. Bonaventura Breviloquii p. 4 § 6; Franzelin thes. 32; Kleutgen 195 ss. et patrum suffragium apud Thomassinum VII, 1 ss. — De exceptione agnoëtarum, qui Christo adscribebant ingnorantiam propter verba Marc. 13, 32, cf. supra n. 161. Ad testimonia patrum, quae objici possunt (cf. Petavium XI, 1), notetur, patres quamdiu adversus arianos solliciti solum erant de vindicanda Christi divinitate, satis aliquando habuisse respondere, verba illa non de divina, sed de humana Christi natura esse intelligenda, praetermissa interim quaestione, qualis esset haec ignorantia, quae illi adscribitur; verum in controversia alia, ubi data opera loquuntur de Christo homine nominatim adversus Theodorum mops., Nestorium et agnoëtas, damnant quamvis ignorantiae suspicionem etiam secundum naturam assumptam. Cf. Nat. Alexander diss. 7 in sec. VI; Schmid die Lehre der Agnoeten Zeitschr. für k. Theol. 1895 p. 651 ss. — Alias subtiliores controversias de scientia Christi cf. apud Thomam 3 p. qq. 9—12 et commentatores in has qq.

560. **Demonstratio p. III.** Potest Christo adscribi scientia etiam acquisita, cujus nomine intelligitur scientia, quae comparatur naturalium exercitio facultatum et cujus usus dependet a phantasmatibus, qua ergo cognoscimus omnia secundum modum nostrae naturae. Nam Christus habuit humanam naturam, naturales facultates, connaturales operationes; nisi igitur illas plane inertes fuisse asserere velimus, quod vel monotheletismum vel docetismum saperet, illarum exercitio eam quoque acquisivit cognitionem, quae ejusmodi operationibus est connaturalis. Cum vero haec, ut diximus, ab usu et exercitio facultatum pendeat, tempore crevisse merito dici potest. Quare verba Luc. 2, 52: *Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate et gratia apud Deum et homines,* non solum de successiva scientiae manifestatione deque profectu secundum effectus, sed etiam de vero profectu scientiae acquisitae intelligi possunt. Crevit scil. non cognitionis objectum, sed plura ex iis, quae jam noverat scientia infusa, novo modo scientia acquisita et propria experientia gradatim cognovit.

561. **Thesis CLVIII.** ***Distinctione facta inter objectum formale et materiale adorationis statuimus: unica eaque latreutica adoratione colendum esse Christum Deum hominem: ideoque 2. humanitatem, quatenus hypostatice Verbo unitur, objectum esse partiale, quod adoratur quidem in se, non tamen propter se, cum 3. motivum adorationis formale sit divinitas Verbi.***

Declaratio. Expendimus praerogativas, quae generatim ex unione hypostatica in naturam humanam assumptam, speciatim vero in ejus intellectum atque voluntatem redundarunt. Praetermissis vero iis dotibus, quae redundarunt in ejus virtutem agendi atque in ipsum corpus [1]), de honore, qui in ordine cultus ad eam derivatur, modo disseremus. Quare notetur **1.** nomine objecti materialis adorationis intelligi objectum, ad quod adoratio et cultus dirigitur; formalis nomine excellentiam illam, quae est propria ratio seu motivum adorationis et cultus. Patet autem **2.** objectum, quod adoratur, debere esse conjunctum aliquo modo cum objecto formali. Quomodo enim adorari posset, si nulla illi inesset excellentia ad cultum movens et quodammodo provocans? Haec vero **3.** conjunctio habetur vel **a.** identitate, ut in Deo; vel **b.** informatione seu per modum formae, ut in creatis spiritibus, qui coluntur propter inhaerentem ipsis sanctitatem; vel **c.** objectum, quod est terminus adorationis, potest esse aliquid substantialiter unitum tamquam pars vel partis instar alteri propter se et ratione suae formalis excellentiae colendo: qua in hypothesi illud substantialiter unitum est objectum directum quidem, sed partiale, objectum in se, non propter se, illius cultus, qui ad totum unum substantiale dirigitur. Sic dum colimus hominem propter sapientiam, una eademque veneratio dirigitur ad totum hominem, hinc ad corpus etiam, licet ratio formalis venerationis immediate afficiat animam, et ad corpus eatenus tantum

---

[1]) De quibus cf. Thomas 3. p. q. 13; Petavius X, 1 ss. et Suarez disp. 32 in 3 p.; de ejus pulchritudine disputant Thomassinus IV, 7; Vavasseur in l. de forma Christi et Stentrup th. 60. 61.

pertineat, quatenus corpus est pars substantialis hominis colendi propter sapientiam.

Christum hominem adorandum esse adoratione latreutica, adoratione uni Deo exhibenda, ut affirmamus parte prima, docet Cyrillus al. anathem. 8: „Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum Deo Verbo et conglorificandum et nuncupandum Deum tamquam alterum cum altero (nam syllaba σύν superadjecta haec cogit intelligi), ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuelem unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum factum est caro, A. S.“; conc. oecumenicum V. can. 9: „Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur semotim Deo Verbo et semotim homini; aut si quis ad peremptum carnis aut in confusionem deitatis et humanitatis unam naturam sive essentiam convenientium portentuose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit.“ Et conc. nicaenum II. act. 5: „Cum Christus adoratur, non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur.“

562. **Demonstratio p. I.** Ratio asserti est evidens, quia profecto Verbum adorandum est, quacunque forma vel habitu se adorandum exhibet: sicut rex colendus est, quocunque habitu sit indutus. Atqui Verbum carne indutum atque in forma humana se nobis exhibet; ergo Verbum carofactum, Verbum homo eadem ratione est adorandus, qua Verbum colendum erat antequam indueret carnem. Quapropter statutum est Joan. 5, 23, *ut omnes honorificent Filium* (sane incarnatum, de quo ibi est sermo), *sicut honorificant Patrem;* et Pater, *cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae,* praecipit ut *adorent eum omnes angeli* Hebr. 1, 6, utique ea adoratione, de qua sermo est Ps. 96, 7, cujus verba apostolus allegat, scil. uni Deo debita; et magi ex Oriente procidentes adoraverunt Jesum Matth. 2, 11, et Joannes in Apoc. 5, 8 ss. vidit ab angelis omnique alia creatura adorationem exhibitam Agno.

Praeclare Athanasius ep. ad Adelphium n. 3: »Neque corpus, inquit, a Verbo dividentes seorsim adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disjungimus: sed cum sciamus Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore tuo, ut te adorem?« et n. 6: »Noverint nos cum Dominum in carne adoramus, non rem creatam adorare, sed Dominum creato indutum corpore.« — Cyrillus adv. Nestorium II, 11: »Adoratur etiam cum carne ut ante carnem adorandus erat. Erat enim et est secundum naturam Deus et ante exinanitionem et cum exinanitionem subiisse dicitur.«

563. **Demonstratio p. II.** Ex his sponte sua consequitur, objectum totale adorationis Christo exhibendae esse non solum Verbum, sed Verbum caro factum, hinc humanam naturam esse objectum partiale adorationis: quod praeterea probatur **1.** ex calumnia apollinaristarum, qui propter hanc doctrinam catholicos vocarunt hominicolas; **2.** ex studio patrum, quo ostendere nituntur, adoratione naturae a Verbo assumptae nullum idololatriae committi crimen; **3.** ex similitudinibus, quibus doctrinam catholicam illustrant. Belle Damascenus de F. O. III, 8: „Timeo prunam tangere propter ignem ligno unitum; adoro Christi naturas ambas propter unitam carni Deitatem.“ **4.** Ex doctrina patrum de adoratione carni Christi in eucharistia exhibenda, de qua alias. Ratio vero **5.** est, quia honor et adoratio (absoluta) non exhibetur nisi personae et si persona honoratur, tota honoratur; Christi vero persona complectitur utramque naturam; ergo adorari nequit, quin coadoretur etiam ejus humanitas, seu quin adoratio partialiter terminetur ejus humanitate.

564. **Demonstratio p. III.** Motivum formale adorationis Christo exhibendae esse divinitatem, hinc humanam naturam esse quidem adorandam in se, non tamen propter se, patet jam ex dictis; sed confirmatur praeterea definitione contra Paulum samosatenum conc. nicaeno olim adscripta (p. IV. conc. ephesini), quae ita habet: „Totus quippe est Deus etiam cum corpore, non secundum corpus; totus adorandus etiam cum corpore, sed non propter corpus;“ et ex damnatione prop. 61 synodi pistoriensis: „Propositio, quae asserit, ‚adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;‘ quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; ex concil. CP. V. gen. can. 9 falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitatis Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et injuriosa.“ Confirmatur assertio luculento patrum suffragio, qui docent, idcirco adoratione humanitatis Christi non committi crimen idololatriae, quod ea non propter se, sed propter Verbum, cujus propria facta est, adoratur. Quare Athanasius apollinaristas, qui Christi carnem adoratione esse indignam judicabant, ita redarguit de incarn. Verbi I, 6: „O stulti, cur non illud cogitatis, corpus Domini etiamsi creatum minime creaturae propriam adorationem requirere, quippe quod increati Verbi factum est corpus? nam cujus est corpus, huic adhibetur adoratio.“ Cf. Petavius XV, 3.

Prae ceteris doctrinam catholicam dilucide expressit Damascenus IV, 3: „Dei Filium simul cum Patre et Spiritu s. adoramus, corpore quidem nudum, antequam humanitatem assumpsisset: nunc autem eundem incarnatum hominemque factum cum eo quod Deus est. Ac proinde ipsius caro suapte quidem natura, si subtili quadam consideratione id, quod visibile est, ab eo, quod ratione tantum intelligitur, distinxeris, nequaquam adoranda est, utpote creata: at cum Deo Verbo unita sit, propter ipsum et in ipso adoratur. Quemadmodum enim rex et nudus et vestibus indutus adoratur; ac purpura quidem velut simplex purpura calcatur et projicitur; postquam autem in regium indumentum adhibita est, tum honore et gloria afficitur eaque conditione est, ut qui eam indecore tractarit, morte plerumque mulctetur: velut etiam simplex lignum non sic comparatum est, ut tangi non possit: ceterum ubi admoto igne carbo evasit, non quidem suapte vi, sed ob adjunctum ignem nec propius adiri, nec tangi omnino potest; non quod ea ligni natura sit, ut propiorem ad se accessum non ferat, sed quod jam carbo sit seu lignum accensum; ad eundem quoque modum caro suapte quidem natura nequaquam est adoranda, sed cum incarnato Verbo adoratur, non quidem propter seipsam, sed propter Deum Verbum, quod secundum hypostasim ipsi copulatum est. Neque enim fatemur nudam simplicem carnem adorari, verum Dei carnem, sive Deum incarnatum.“ Ratio ergo formalis, cur Christus homo sit adorandus, non est humana natura, sed haec est ratio, cur Christus adorandus sit homo.

565. Si quaeras, *cur Christo homini*, qui est adorandus, *non etiam offeratur sacrificium*, quod adorationis est expressio, respondet Antoine de incarn. c. 7 a. 1: „Disparitas est, quia unicum in L. N. sacrificium offerri potest, nempe eucharistiae sacrificium, quod a sacerdotibus offertur in persona ipsius Christi, in quo proinde Christus ipse, ut homo, est offerens ministerio sacerdotum: Christus autem quatenus homo non potest sibi ut homini, sed solum ut Deo sacrificare; nam idem sub eodem respectu non potest esse offerens sacrificium et is cui offertur. At quando Christum adoramus, illum adoramus non in persona ipsius, sed in nostra propria persona, in qua recte possumus illum adorare cultu latriae absolutae non solum qua Deum, sed etiam qua hominem.“

566. **Corollarium.** *De cultu ss. cordis Jesu.* — Hinc sponte sua consequitur legitimum esse ss. cordis Jesu cultum. Nolumus fusius de eodem disputare, cum id alii viri eruditi luculenter praestiterint [1]): sed quaedam tantum principia statuemus, quibus ille vindicetur atque ab omni superstitionis umbra liberetur.

1. Objectum cultus, qui Verbo incarnato exhibetur, totus est Christus; cum vero Christus duplicem complectatur naturam, divinam et hu-

---

[1]) E recentioribus cf. ex. gr. eruditum opus Nic. Nilles de rationibus festorum ss. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae Oeniponte 1885 ed. 5, in quo reperiuntur omnia, quae ad historiam hujus cultus spectant; speciatim II, 520 amplissima auctorum sylloge, qui de ss. Corde Jesu egerunt; Jungmann 5 Sätze zur Erklärung der Andacht zum h. Herzen Jesu; Meschler Stimmen aus Maria Laach 1876. II, 316 die Andacht zum göttlichen Herzen Jesu; Leroy de ss. Corde ejusque cultu tr. philosophicus, historicus, dogmaticus, asceticus etc.

manam, objectum partiale est ejus humanitas, hinc etiam corpus, et quia corpus pluribus constat membris, singula corporis membra.

2. Motivum formale, quare etiam in haec dirigatur talis tantusque cultus, est divinitas Verbi, cujus sunt propria vi unionis hypostaticae. Quocirca damnata fuit prop. 63 synodi pistoriensis: „Item in eo, quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine (synodus) arguit, quod non advertant, ss. carnem Christi aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae, quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est cor Jesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro: captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.“

3. Ratio autem, quare fideles colendo Christum cultum suum speciatim dirigant in ejus ss. cor potius quam in aliud sanctissimi ejusdem corporis membrum v. gr. oculos, aures etc., haud est arbitraria, sed admodum rationi consentanea: est enim **a.** cor symbolum naturale infiniti illius amoris, quo Christus nos dilexit usque ad effusionem sanguinis, quique fons exstitit inexhaustus tot gratiarum, quibus nos ditavit. Cum vero dicimus cor Jesu, quod colimus, *symbolum* esse divini amoris, non propterea dicimus, objectum immediatum vel unicum hujus cultus esse cor symbolicum: nam objectum immediatum, directum, proximum, in quod hic cultus tendit, est ss. cor Jesu carneum, naturale, proprium, quod propter multiplicem nexum cum infinita Christi caritate et tota sanctissima ejus vita interna utramque nobis in memoriam revocat, ob oculos sistit et sensibiliter repraesentat, ideoque rationem induit *symboli* amoris Christi etc. **b.** Cor sponte sua quasi verbum reale in memoriam revocat et oculis mentis contemplandas sistit omnes illas sanctissimas affectiones, quae reddunt Christum adeo amabilem atque omnis sanctitatis exemplar. **c.** Cor fons fuit, ex quo tam copiose scaturivit sanguis redemptionis nostrae pretium atque **d.** sedes illius amarissimae passionis et doloris in primis interni, qui amabilissimum magistrum et salvatorem nostrum afflixit. Quare fieri nequit, ut quis attentionem in ipsum dirigat, quin in memoriam revocetur omnis ille amor divinus indeque noster accendatur amor; quin recordemur tot beneficiorum, quae inde profluxerunt, in primis dirissimae ejus passionis, atque ita excitetur gratitudo atque compassionis affectio compensationisque studium; quin menti repraesentetur omnis Christi sanctitas et ad imitationem provocemur. Quis autem indigne ferat, si quis miser speciali affectu illam deosculetur manum, quae eum eripuit a morte, eleemosynam pinguem largita est, liberationis sen-

tentiam firmavit? Quis non singulari honore prosequeretur linguam s. Joannis Chrysostomi, si eam possideret, quae tam aureae et salutaris eloquentiae fuit instrumentum?

4. Divinae providentiae nutu factum est, ut cultus ss. cordis Jesu speciali modo per Ecclesiam diffunderetur. Ecclesia enim non solum in docendo regitur a s. Spiritu, qui eam ducit in omnem veritatem et pro temporum, adjunctorum necessitatumque opportunitate inducit ad alias atque alias veritates disertius et explicatius inculcandas, sed etiam in moderanda vita practica et cultu religioso fidelium. Sicut ergo impietas haereticorum negantium realem Christi in eucharistia praesentiam occasio exstitit, ut refloresceret et multiplici modo se proderet pietas et gratitudo fidelium erga hoc tam insigne divinae bonitatis pignus: ita cum janseniani, praeeuntibus calvinianis, suis erroribus impeterent bonitatem praesertim et amorem Christi negata redemptionis universalitate etc., et cum jam instet tempus, quo refrigescit caritas multorum propter moram adventantis judicis: nil opportunius cultu, quo Christi prosequimur caritatem, et quidem, quia sensibilibus sumus immersi iisque assueti, sub visibili forma cordis, ut via plana nobisque accommodata ignem divini amoris in nostris accendamus cordibus.

5. Temere autem ille cultus damnatur vel irridetur, quem Ecclesia, sicut fidei morumque, ita et cultus, quo sponsus et caput ejus coli debeat velitque, magistra, tam theoretice quam practice comprobat. Atqui Ecclesia impense commendat hunc cultum institutione festi cum missa et officio proprio de ss. corde; indulgentiis, quibus fideles ad illum allicit; approbatione congregationum in ss. cordis honorem institutarum; damnatione propositionum synodi pistoriensis 63 et 62, quarum illa ita sonat: „Doctrina, quae devotionem erga ss. cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (synodus illa) velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica sede probata: falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam sedem injuriosa.“ Temere ergo cultus ss. Cordis S. carpitur.

6. Quod si ex fructibus dignoscere licet arborem, fructus plane laetissimi, quos haec devotio in dies ubique locorum in fidelium animis, etsi omnibus vitiis quondam deditis, profert, splendidissimum argumentum sunt cultum hunc esse secundum cor Jesu, Deo gratissimum, Spiritus s. inspirationi et ductui, quo Dei regitur Ecclesia, adscribendum.

7. Neque mirum eum Deo esse acceptissimum, excellit enim quinque praerogativis: est enim **a.** cultus vere internus et spiritualis, quo Jesum in spiritu et veritate colimus, et de quo vere dicere licet: *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei:* ideoque et homines mun-

dani et carnales devotionem hanc non capiunt; **b.** est cultus p r a c t i c u s, qui consistit non tam in caeremoniis externis multarumque precum vocalium recitatione, quam potius in virtutum exercitio, imitatione ss. Cordis, spiritu satisfactionis et reparationis; hinc **c.** est cultus e f f i c a x, quo ipse cultor secundum interiorem hominem reformatur. Fieri enim nequit, quin cultu ss. Cordis Jesu sensim ejus imbuamur spiritu et sensibus. Est **d.** cultus s o l i d u s, ipsam enim radicem vitae internae afficit, instituit, informat et reformat, proprium scil. cor, de quo scpriptum est: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* Prov. 4, 23; est demum **e.** Deo gratissimus atque p r e t i o s u s in conspectu ejus, quia in eo et per eum sequimur consilium s. Spiritus ib. 23, 26: *Praebe fili mi cor tuum mihi:* offerimus enim optima quae habemus, cor cum suis affectibus amoris, gratitudinis, compassionis etc. Hinc videmus cultum hunc criterium esse fervoris et impensi studii virtutum, probi, sinceri, fervidi catholici.

567. **Thesis CLIX.** ***Ex unione hypostatica consequitur etiam idiomatum communicatio.***

Demonstratio. Communicatio idiomatum gr. ἀντίδοσις, ἀντιμετάστασις, κοινοποίησις ἰδιομάτων eo continetur, ut idiomata i. e. proprietates, propria Dei Verbi, affirmare liceat de Christo homine; et quae propria sunt Christi hominis, praedicare de Deo Verbo: unde oritur illa admirabilis praedicatorum commutatio et permixtio, vi cujus dicimus Deum Verbum esse passum, Vitam esse mortuam, et Christum hominem esse Deum, filium Mariae fuisse, antequam Abraham fieret etc. Jam vero tria praestanda sunt: probandum est f a c t u m talis permutationis; aperienda est illius r a d i x; indicandae sunt r e g u l a e, quas in illa prae oculis habere oportet, ne ultra fas vagetur.

I. Quod attinet factum, illud est adeo evidens ex divinis literis et ex patribus, ut adductis testimoniis non sit comprobandum. Sufficiant patrum effata a nobis disputationis cursu adhibita (n. 495), in quibus idiomatum communicatio manifesta est. Quibus adde s. A u g u s t i n i verba serm. 187 n. 1: „Ineffabiliter sapiens sapienter infans: mundum implens in praesepio jacens; sidera regens ubera lambens; ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur." Belle quoque s. B e r n a r d u s serm. 3 in Vig. Nativ.: „Tanta dignatione Deus descendit in limum tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quod in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quidquid limus pertulit, Deus in eo pertulisse dicatur." Cf. hom. 2 super *Missus est* n. 9 opusc. XII, 83 s.

568. **II.** R a d i x et causa hujus nominum permutationis non est licentia poëtica, sed in primis unio hypostatica seu unitas hypostaseos: quae ratio ut rite intelligatur, haec prae oculis habeantur principia:

Hypostasis seu persona est subjectum praedicationis, de quo scil. omnia affirmari possunt, quae ei conveniunt atque propria sunt. Ita dicimus Petrus intelligit, loquitur, ambulat, non vero, humana natura seu natura Petri intelligit etc. Atqui persona Christi est composita, seu Christus habet duas naturas, divinam atque propterea omnia, quae hanc consequuntur, et humanam cum omnibus hujus proprietatibus. Ergo de persona Christi merito praedicantur humana et divina: unde s. Cyrillus: „Cujus proprium est, inquit ep. ad Valer., corpus, huic merito quae corporis sunt propria adscribuntur omnia.“ Sed persona Christi a natura divina, quam possidet, velut a forma denominari potest Deus, nam omnis habens divinam naturam est Deus; et ab humana natura dici poterit homo, cum omnis habens naturam humanam sit homo. Ergo de eodem subjecto, quod a natura divina dici potest Deus, praedicari possunt non solum divina sed et humana: et de eodem, quod a natura humana, quam hypostatice assumpsit, verissime denominatur homo, possunt praedicari non tantum humana, verum etiam divina. „Dicendum, inquit s. Thomas lect. 2 in 1. Cor. 2, quod Christus est una persona et hypostasis in utraque natura consistens, divina scilicet et humana: unde potest utriusque naturae nomine designari; et quocunque nomine significetur, potest praedicari de eo id, quod est utriusque naturae, quia utrique non supponitur nisi una hypostasis; et per hunc modum possumus dicere, quod homo creavit stellas et quod Dominus gloriae est crucifixus; et tamen non creavit stellas secundum quod homo, sed secundum quod Deus; nec crucifixus est secundum quod est Deus, sed in quantum homo.“

569. Possumus itaque verissime dicere non solum Deus Verbum est omnipotens, sed etiam Deus Verbum natus est ex Maria V., sanguine suo nos redemit, pependit in cruce etc.; et non solum Christus homo natus est ex Maria Virgine, sed etiam filius Mariae est Filius Dei, Christus homo est Deus super omnia benedictus in secula, omnipotens, creator: quibus in propositionibus nomine hominis non designamus naturam humanam, sed suppositum subsistens in humana natura, a qua tamquam a forma denominari potest homo, quod quamvis habeat naturam humanam, certissime simul est Deus, omnipotens, creator. Sensus igitur non est: humana natura est Deus, omnipotens etc., neque hic: Christus secundum humanam naturam est Deus etc.; sed non alius quam hic: iste qui habet naturam humanam ideoque homo dicitur, est omnipotens, Deus etc. non secundum humanam naturam, sed secundum divinam, quam praeter humanam possidet. Et iterum cum dicimus, Deus natus est ex Maria V., sensus non est: natura divina nata est, vel Deus secundum naturam divinam natus est ex Maria V., sed hic: Filius Dei, qui propter naturam divinam est diciturque Deus, natus est ex Maria V. non quidem secundum naturam divinam, sed secundum humanam, quam dignatus est hypostatice assumere. Praeclare Augustinus de pecc. mer. et remiss. I, 31 n. 60: »Per distantiam divinitatis et infirmitatis Filius Dei manebat in coelis, Filius hominis ambulabat in terris: per unitatem vero personae, qua utraque

substantia unus est Christus, et Filius Dei ambulabat in terra et idem ipse Filius hominis manebat in coelo.« Cf. Jo. Damascenus F. O. III, 4; IV, 16.

570. **III.** Haec tamen proprietatum permutatio non est exlex et arbitraria. Qua de causa theologi plures proponunt regulas in ea sedulo servandas, quarum potiores breviter indicabimus.

1. Propter unitatem hypostasis in duplici natura de hypostasi nomine Dei vel hominis significata praedicari debent idiomata tum humana tum divina in concreto enunciata, ex. gr. Deus est homo, est natus; hic homo est Deus, aeternus etc. Ratio est, quia nomina concreta tum in subjecto tum in praedicato supponunt pro hypostasi. Si ergo de Deo praedicantur humana, de Christo homine divina, hypostasis in subjecto designatur secundum unam, in praedicato secundum alteram naturam. Atqui hypostasis subsistens in natura divina et hypostasis in natura subsistens humana est eadem. Ergo potest et debet enunciari ejus identitas spectata secundum unam et secundum alteram naturam. Nihil enim aliud est dicere: Deus mortuus est, quam dicere: Is, qui est Deus secundum unam naturam, est ipsemet, qui est mortuus secundum alteram.

2. Cum ergo illae praedicationes non sint verae nisi propter identitatem hypostasis, sequitur, non posse de subjecto formaliter secundum unam naturam seu sensu reduplicativo sumpto praedicari attributa alterius naturae: quia inter hypostasin reduplicative sumptam secundum unam naturam et alteram tale est discrimen, quale inter naturas i. e. reale. Hinc dici nequit Deus, quatenus Deus, natus est in tempore.

3. Quamvis de hypostasi Verbi praedicentur praedicata divina abstracta propter ejus identitatem cum divina natura: tamen, quia inter hypostasim Verbi et naturam assumptam non est identitas, ideo de illa non possunt in recto praedicari humana abstracte sumpta; haec enim supponunt pro natura seu designare solent naturam; dici ergo nequit Verbum est humanitas. „Quia porro partes, subdit Stentrup th. 37, sive essentiales sive integrales ad instar abstractorum significant; quod de idiomatibus humanis in abstracto enunciatis statuimus, idem de partibus humanae naturae repetendum est. Hinc dicere non licet: Deus est anima, aut, est corpus . . . sed solum licet dicere: Deus est habens animam et habens corpus . . . Quamvis scil. partes concrete exhibeantur, nihilominus, quoniam partes sunt, non possunt supponere pro persona, neque sunt id quod habet, sed sunt id quod habetur."

4. Propter diversitatem naturarum in Christo unius de altera proprietates affirmari nequeunt, ideoque dicere non licet; divinitas est mortalis, humanitas est increata; et quia divina abstracta non supponunt pro persona, seu per se non solent adhiberi ad significandam personam, sed supponunt potius pro natura, praedicata humana de illis enunciari nequeunt,

ut omnipotentia est mortua. Quod si quidam ita liberius locuti sunt, resolvi ea locutio ita debet: Is, qui est omnipotens seu ipsa omnipotentia, scil. Filius, mortuus est.

5. Quamvis quae Christo conveniunt secundum unam naturam, possint de eo simpliciter affirmari: non tamen simpliciter de eo negari possunt, quae ei juxta unam tantum naturam non conveniunt, quia negatio removet praedicatum a toto subjecto. Hinc licet simpliciter dici possit, Christus est mortuus; propterea tamen quod Christus non est mortuus secundum naturam divinam, dici nequit: Christus non est mortuus.

6. Denique cum communicatio idiomatum innitatur unione jam facta, neque Verbo, quatenus praeexstitit incarnationi, licet tribuere humana, neque Christo, qui supponit incarnationem jam factam, ea quae sunt via ad illam, ut Christum assumsisse naturam humanam, vel ea quae Verbum peregit ante incarnationem. Quare dici nequit, Christum creasse coelum et terram, apparuisse patriarchis in V. T. Quod si patres ita quandoque loquuntur, nomen Christi tribuunt Filio per quandam anticipationem et propter identitatem hypostasis: ille enim idem, qui creavit mundum vel apparuit patriarchis, post incarnationem dictus est Christus. Cf. Petavium, qui IV, 16 duodecim tradit regulas; X, 7. ss.; Franzelin th. 27.

571. **Corollarium I.** *Ubiquistarum error.* — Hinc liquet, rejiciendam esse communicationem idiomatum tratidam ab ubiquistis, secundum quos praedicata divina de humanitate affirmari possunt, ut ex. gr. humanitas est infinita, immensa etc. Cum enim **a.** propositiones enuncient quandam identitatem inter subjectum et praedicatum; cum **b.** praedicata, quae in sua notione includunt rationem infiniti, communicari nequeant formaliter naturae finitae, exigunt enim subjectum proportionatum scil. infinitum: cum **c.** in Christo duae naturae non identificentur, sed realiter distinguantur: liquet, de natura humana deque humanitate non posse affirmari praedicata, quae Verbo secundnm naturam conveniunt divinam.

572. **Corollarium II.** Patet ex dictis formulam: *Unus de Trinitate crucifixus est,* sanum posse habere sensum. Quare si illam Hormisdas noluit approbare, id non factum est, quod eam falsam censuerit: sed quod necesse non est, novas semper, quamvis veras, cudere loquendi formulas; vel quod eorum, qui illius approbatioem instantius, quam par esset, urgebant, fides et intentio ipsi fuerit susspecta. Cf. Petavius V, 2 ss.; Nat. Alexander diss. 2 in sec. VI; de aliis loquendi formulis Thomas 3 p. q. 16: Thomassinus III, 24; Becanus theol. schol. p. 3 tr. 1 c. 7 q. 2; De Lugo disp. 23 s. 1.

Caput IV.

Mariologia.

573. **Thesis CLX.** ***Cum mysterio incarnationis intime consertum est b. V. Mariam credi dicique oportere Dei Genitricem.***

Declaratio. Decet theologum, postquam diu multumque in contemplando Deo divinisque mysteriis versatus est, ad considerationem transire b.

Virginis, tum quia creaturas reliquas omnes dignitate antecellit, »nam quid nobilius Dei matre, inquit Ambrosius de virg. I, 7, quid splendidius ea, quam splendor elegit?« tum quia teste Bernardo in hom. 4 super *Missus est* n. 1, »non est dubium, quidquid in laudibus matris profertur, ad Filium pertinere;« tum gratitudinis ergo, »per Mariam enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data.« Ita idem s. doctor hom. 4 in assumpt. b. M. V. n. 8. Hinc etiam gloriosa dicta sunt a Scripturis et universa christiana antiquitate de hac civitate Dei (Ps. 86, 3); et Goffridus ab. vindocinensis (Migne 157, 269) nos provocat: »Nihil in hujus Virginis laudibus haesitemus: honorat siquidem Filium qui laudat matrem, sine cujus laude Deo placere impossibile est et cum laude ejus ei displicere nemo potest. Hanc igitur ss. et admirabilem Virginem laudemus, quia Virginis Filio placere sine matris virginis laude non possumus.« Ideo Petrus cellensis l. 2 ep. 171 protestatur: »Mallem certe non habere linguam quam aliquid dicere contra dominam nostram; ante eligerem non habere animam, quam vellem ejus extenuare gloriam.« Ipsa quoque historia theologiae magistra discimus, eos patres atque theologos, qui prae ceteris b. Virginem laudibus extulerunt, in Filii quoque laudem, amorem, obsequium fuisse effusissimos: contra vero protestantium plerosque, qui in laudibus b. Virginis adeo sunt parci, eo demum devenisse, ut vel Christi divinitatem negaverint. Vere hinc dici potest, cultum Virginis munimentum esse fidei in divinitatem Christi. Quo enim sublimius cogitabimus de matre, eo excelsius quoque sentiemus de Filio, propter quem illa ideo fuit sublimata; quo vero dejectius aliquis de ipsa sentiet, eo pronior erit, abjecte et de ejus filio opinari [1]).

574. Jam vero »quidquid est in b. Maria laude et praedicatione dignum, notat scite Petavius de incarn. XIV, 8 n. 2, quodcunque gratiae ac gloriae inest decus et ornamentum, totum id illa maternitati suae refert acceptum. Ab hac enim ceu fonte et origine cuncta fluxerunt, quae in ea mirifica et stupenda congessit divina largitas, quae nusquam alias se copiosius atque uberius effudit.« Quare ab hac praerogativa, reliquarum matrice, contemplanda auspicabimur: eoque magis quod tantum est hujus dogmatis, quo b. Virginem

---

[1]) Cf. Preuss Zum Lobe der unbefleckten Empfängniss der allersel. Jungfrau p. 124 ss. Ad rem Linsemann Tüb. Qtlschr. 1887 p. 206: Die alte Kirche wie die heutige kennt Maria nicht ohne Christus; daher kennt aber auch umgekehrt die Kirche keinen Christus ohne Maria. Et paulo superius p. 205: Die Marienverehrung geht in der Kirchengeschichte gleichen Schritt mit der Entwicklung der Lehre von der Person Christi, und der Kampf um die Gottheit Christi war es, welcher den Namen der Gottesgebärerin für Maria schuf, wie umgekehrt der Kampf um die wahre Menschennatur des Erlösers es dahin brachte, dass man Maria eine persönliche Aufgabe und Mitwirkung im Erlösungswerke zutheilte. »Neque enim poterant, inquit Suarez in praef. ad suas de b. M. V. disputationes n. 1, qui et sanguine et dilectione adeo conjuncti sunt, disputatione sejungi.« Et n. 2 fatetur: »Ego post ipsius Dei et Christi cognitionem nullam aut utiliorem aut viro theologo digniorem esse existimo.« Quam effusi fuerint theologi catholici in laudes b. V. Mariae, vel exinde collige, quod Roskovány in t. 6 op. b. V. Maria in suo conceptu immaculata, Budapestini 1873 supra 20,000 scripta mariologica recensere potuerit. Jos. Capelladas O. S. Ben. composuit Onomatologiam b. M. V. t. 4 in f. msc., in qua collegit 7600 nomina, encomia, praedicata etc. ipsius ex christiana antiquitate. Cf. Mittheilungen aus dem Benedictinerorden etc. 1885 I, 470.

θεοτόκον profitemur, momentum, ut vere affirmari possit, ita fuisse sec. V. a tempore Nestorii τῆς θεοτόκου professionem orthodoxae fidei tesseram, quemadmodum sec. IV. contra arianos erat του ὁμοουσίου confessio. »Merito et vere, inquit s. Jo. Damascenus F. O. III, 12, Mariam θεοτόκον apellamus. Hoc enim nomen totum incarnationis mysterium adstruit. Nam si Dei mater est, quae genuit, profecto Deus est, qui ex ipsa genitus est: profecto etiam homo. Nam qui fieri potuisset, ut Deus, qui ante secula exstabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset? Qui enim filius est hominis homo etiam ipse sit necessum est. Quod si ille ipse, qui ex muliere natus est, Deus est, unus procul dubio atque idem est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam et initii expertem substantiam attinet, quique extremis temporibus ea substantia, quae initium habuit temporique subjecta est, hoc est humana, ex Virgine natus est. Hoc vero unam D. N. Jesu personam duasque naturas et duas generationes significat.« Et revera quanti momenti habita fuerit hujus dogmatis professio, liquet ex gestis Pauli ep. emeseni, qui Alexandriam missus fuit de pace inter orientales et Cyrillum alex. seu potius catholicos acturus. Cum enim prae concione dixisset: »Parit itaque Dei genitrix Maria Emmanuelem,« populus acclamavit: »Ecclesiae fides haec est, Dei hoc donum est, orthodoxe Cyrille: istud audire quaerebamus. Qui ita non loquitur, A. S.: moxque pax confecta fuit.

575. Statuitur thesis in primis contra Nestorium, qui negata unione hypostatica concessit quidem, Mariam esse χριστοτόκον, sed nullatenus esse θεοτόκον; quod si aurium christianarum offensionem timens, hanc appellationem permittere videtur, illius sensum plane pervertit. Tenendum autem est, Mariam esse vere Deiparam, imo Dei Genitricem, idque non sensu diviso, quasi eum genuerit, qui postea factus sit Deus, quo sensu dici potest Monica genuisse sanctum Augustinum, qui scil. postea fuit sanctus; sed omnino in sensu composito, quatenus terminus generationis erat persona divina carne utique induta [1]). Sane si Maria genuisset tantum hominem, qui postea factus est Deus, improprie diceretur Dei Genitrix, imo impune hoc nomen ei denegari posset, sicut negari potest, Monicam genuisse sanctum, episcopum, doctorem Ecclesiae, nec possent tam facile damnari qui Mariam dicunt tantum Christiparam. Definitum fuit hoc dogma anathematismo 1. s. Cyrilli al. a conc. oecumenico III. probato: „Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea genitricem s. Virginem: peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum . . . A. S.;“ conc. V. can. 6 collat. 8: „Si quis abusive, sed non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, A. S.;“ et iterum in conc. lateranensi sub Martino I. can. 3. Ceterum jam s. Gregorius naz. ep. 101 n. 4 scribit: „Si quis s. Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem sit.“

---

[1]) Dogma catholicum praeclare exponit Vincentius lirin. common. c. 15. Quaestiones subtiliores de parte quam habuit b. Virgo in ipsa Christi conceptione cf. Morgott die Mariologie des h. Thomas pag. 12 ss.; 28 ss.

576. **Demonstratio. 1.** Maria est mater et genitrix Jesu Christi, ut evidens est ex divinis literis. Atqui Jesus Christus verus est Deus (th. 145) et quidem a conceptionis exordio (th. 154). Ergo Maria est genitrix Dei. „Si dicant adversarii, inquit Cyrillus [1]), s. Virginem nulla ratione Deiparam appellari debere, sed potius Christiparam, manifeste blasphemant, et Christum Deum ac vere Filium esse negant. Nam si ipsum revera Deum esse credunt . . . cur ipsius genitricem Deiparam appellare verentur, secundum carnem, inquam?"

2. Sacramentum incarnationis in eo est situm, ut Deus Verbum in plenitudine temporum novam subierit generationem, qua fieret homo. Atqui hanc subiit ex Maria Virgine. Ergo Maria genuit Deum utique secundum naturam, quam ex ea assumpsit. Ad rem Facundus hermianensis pro defensione trium capit. IV, 4: „Si Deus vere est homo, nec aliunde vere homo nisi nascendo ex Virgine, cur non dicatur: Deus vere natus est ex Virgine? et si Deus proprie factus est homo, nec aliunde proprie factus est homo, nisi nascendo de Virgine, cur non dicatur etiam proprie natus ex Virgine?"

3. Unus idemque est Filius Patris genitus e Patre secundum divinitatem et Filius hominis genitus ex Maria V. secundum humanitatem. Neque enim duos filios agnoscit Ecclesia (th. 148). Atqui Filius Patris est Deus; ergo Deus est Filius Mariae. „Proprie est nata, scribit Ferrandus ad Anat. n. 17, de Patre divinitas pura (i. e. Verbum absque carne), proprie est nata eadem divinitas incarnata: et hoc distat inter unius Filii duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas."

4. Accedit traditionis suffragium. Nam b. V. Mariam Dei Genitricem diserte vel aequivalenter creditam fuisse jam diu ante Nestorium, patet ex Cyrillo, qui contra Nestorium ad traditionem provocat in dial. quod unus sit Christus; adv. Nestorium I, 1; de recta fide ad reginas n. 9; ep. ad. Coelest. n. 5 opusc. XVIII, 196; patet ex Joanne antiocheno, teste non suspecto, qui ad Nestorium scribens testatur ep. 1 n. 4: »Hoc nomen (Dei Genitrix) nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et multi eo usi sunt, iique celebres et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt; egregiamque subjicit rationem: »Etenim si id, quod nominis significatione offertur, non recipimus, restat ut in gravissimum errorem prolabamur; imo vero ut inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei oeconomiam abnegemus. Quandoquidem nomine hoc sublato vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox illum non esse Deum.« Patet ex Theodoreto de haer. IV, 12: »Antiquissimos orthodoxae fidei praecones secundum apostolicam traditionem docuisse, Matrem Domini dicendam credendamque esse Dei Genitricem, clarum est.« Patet de-

---

[1]) In dial. quod unus sit Christus; cf. ep. 1 (Mig. 77, 14 s.), et Cassianus l. 2 de incarn. Patrum testimonia cf. apud Facundum hermian. l. c.; Petavium V, 14; Thomassinum III, 15; Stentrup th. 42 etc.

nique vel ex ipso Juliano apostata, qui apud Cyrillum alex. VII, 262 christianos arguens: »Atqui vos, inquit, Mariam non cessatis vocare θεοτόκον.« Cf. etiam pag. 276; De Magistris in praef. ad opera Dionysii alex. § 15. 16. Teste Socrate H. E. VII, 32 jam Origenes in ep. ad rom. latissime exposuit, qua ratione Maria V. dici possit Deipara. Quare concludere licet cum Maximo M.: »Qui non dicit dominam nostram superlaudabilem, sanctissimam, intemeratam et omni naturae intellectuali venerandam, naturalem veraciter matrem Dei effectam . . . sit anathema a Patre et Filio et Spiritu s. . . . ac ab omni supercoelesti virtute, atque a choro sanctorum apostolorum, prophetarum et infinita plebe ss. martyrum, omnique spiritu in justitia consummato, nunc et semper et in secula seculorum, amen.« Ita in relatione de dogmatibus, quae mota sunt inter s. Maximum et Theodosium ep. Caesareae Bithyniae in Migne patrol. 129, 656.

577. Ut *difficultates* solvantur, notetur, necesse non esse, quo Maria possit dici Dei Genitrix, ut ipsam genuerit divinam naturam, sed sufficit, ipsam genuisse naturam humanam hypostatice Verbo unitam; sicut mater quaevis merito dicitur hominis genitrix, etsi animam non gignit, sed corpus tantum, quod substantialiter animae unitur. Qua similitudine Cyrillus passim dogma catholicum illustrat (cf. n. 283 [2]). Ratio est, quod nomen filii, quamvis supponat naturae communicationem, non est nomen naturae, sed personae, quae in Christo fuit divina. Quare merito dicitur b. Virgo genuisse Deum, i. e. personam Verbi, non quidem secundum divinam naturam, sed secundum humanam: et hinc cum sit Dei Genitrix, prior dici potest suo Filio, quod de ratione est matris, sed utique secundum eam naturam, secundum quam is est Filius et ex ipsa genitus, non simpliciter. Cf. s. Thomas compend. theol. c. 222. De quaestione, num b. V. Maria dici posset Dei genitrix, si unio hypostatica facta esset post partum, seu si genuisset hominem, quem Verbum postea in unitatem personae assumpsisset cf. Suarez, qui respondet negative.

578. **Thesis CLXI.** ***Summa est Dei genitricis dignitas, cui ex divinae sapientiae ordine ea respondet gratiae plenitudo, ut ipsa prae omnibus creaturis majora privilegia gratiae acceperit.***

Demonstratio p. I. Haud immerito infert Albertus M. in Mariali q. 197: „Filius infinitat Matris bonitatem, infinita bonitas in fructu infinitam quandam adhuc ostendit in arbore bonitatem.“ Et Bruno ast. in Matth. p. 1 c. 9: „Quaeris fortasse qualis mater? quaere prius, qualis Filius? Non habet Filius in hominibus parem, non habet mater in mulieribus similem. Speciosus ille prae filiis hominum; speciosa illa quasi aurora consurgens. Fecit ille matrem suam, quod nemo alius fecit: peperit illa filium et virgo permansit, quod nulla alia fecit.“ Ad hanc Matris bonitatem uberius illustrandam considera

1. b. Virginem ipsa communicatione humanae naturae affinitatem naturalemque cum Dei Filio cognationem contraxisse, in qua mirabilis ac plane singularis relatio includitur matris Christi ad Deum Patrem generantem eundem Filium secundum naturam divinam, et ad Spiritum sanctum, cujus ipse Filius Virginis secundum divinitatem est principium et secundum humanitatem fructus quidam specialis.

Ad rem s. Bernardus serm. 3 super *Missus est* n. 4: „Cum Dominus sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac de sua Virginisque substantia . . . unus Christus fieret; qui etsi nec totus (secundum totum) de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei et totus Virginis esset, nec duo filii, sed unus utriusque Filius . . . Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis, et Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum: Filius tecum . . . Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum." Hinc etiam factum est, ut in omnibus, etiam vetustissimis, symbolis mentio Mariae fiat, nomen Mariae inter nomina Patris et Filii et Spiritus utpote cum personis divinis intimae familiaritatis nexibus conjunctae occurrat. Cf. Eadmerum de excellentia V, c. 3; Morgott l. c. p. 42; Scheeben § 240 b; 277.

Ratione suae maternitatis passim exhibetur Maria ut pons et annulus, quo divina et humana, coelum et terra, Deus et creatura junguntur; thalamus, in quo desponsantur; scala, qua Deus ad nos descendit, unionis naturarum officina, salutaris commercii nundinae, secundi Adami paradisus. Ita ex. gr. s. Proclus in pulcherrima orat. I. inter alia haec plane aurea habet n. 1: „Maria, inquam, ancilla et mater, virgo ac coelum, Dei ad homines unicus pons, horrendum incarnationis textorium jugum, in quo ineffabili quadam ratione unionis illius tunica confecta est: cujus quidem textor extitit Spiritus s., nectrix, virtus obumbrans ex alto; lana, antiquum Adami vellus; frama, impolluta caro ex virgine; textorius radius, immensa gestantis gratia; artifex tandem, Verbum per auditum illabens." Lege et n. 3; or. V. n. 2.

3. Ratione hujus dignitatis Maria maternitatis habitum induit etiam erga omnia membra omnesque fratres Christi, praestantorique ratione mater est viventium quam Eva (cf. iefra n. 593); quocirca dici poterit, qui Mariam non habet matrem, nec Deum habet Patrem.

Titulo autem quintuplici merito salutatur Maria mater nostra: **a.** titulo cognationis cum Christo: dignatus enim est Dei Filius secundum naturam frater noster fieri, et gratia nos adoptare in Dei filios, hinc in fratres Cf. Ambr. Autpertus s. in purif. b. M. V. n. 7.

b. Titulo cooperationis (cf. th. 167) ad nostram reparationem, qua facti sumus filii Dei. Ipsa enim fuit janua salutis, sicut Eva janua mortis: hinc Anselmus or. 52 ab. 51: „Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit, et sic omnia quae fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est Pater rerum creatarum et Maria mater rerum recreatarum; Deus est Pater constitutionis omnium, et Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta; et Maria peperit illum, per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum, sine quo nihil penitus est, et Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O vere Dominus tecum, cui dedit Dominus, ut omnis natura tantum tibi

deberet secum.« — Et s. Augustinus de virginit. c. 6: »Illa una femina non solum spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est . . . sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt.« Ceterum hoc patres toties significant, quoties Mariam vocant alteram, sed priori longe praestantiorem Evam (n. 593). Atqui Eva fuit mater omnium viventium, sed naturalis. Ergo et Maria est omnium mater non quidem secundum naturam, sed secundum gratiam.

c. Titulo eo, quem innuit s. Thomas 3 p. q. 30 a. 1, quatenus Maria loco totius humanae naturae assensum dedit in illud spirituale matrimonium, quod vi incarnationis Dei Filius iniit cum humana natura: ideoque generis redemptio quadamtenus pependit a Virginis consensu: ut id rhetorice admodum Bernardus h. 4 n. 8 super *Missus est* exponit.

d. Titulo amoris et sollicitudinis de nostra salute, qui si sufficit, ut quis dici possit pater spiritualis: sufficiet etiam, ut Maria dicatur nostra mater.

e. Denique titulo hereditatis, cum ex fidelium sensu Christus in cruce moriens in persona Joannis nos ipsi assignaverit in filios.

4. Mirum ergo non est, si a patribus praefertur sanctis omnibus. „Dominus tecum, ita Sophronius de annunc. n. 21, et quisnam tecum contendere ausit? Deus ex te, ecquis e vestigio tibi non cedat, et non magis tibi primatum praecellentiamque gaudens tribuat?“

Quapropter auctor pius, sed anonymus in tr. de concept. s. Anselmo olim tributo n. 14 (opusc. XII) tantam Mariae dignitatem admirans exclamat: »Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est: omne enim quod est aut supra te est, aut subtus te est. Quod supra te est, solus Deus est; quod infra te, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? quis attinget?« His similia habet Anselmus or. 1; Gregorius M. (vel alius auctor) in 1. Reg, n. 5: »Potest hujus montis (1, 1) nomine bb. semper V. Maria Dei Genitrix designari: mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium* (Is. 2. 2). Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit . . . Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra angelorum altitudinem hanc divina fecunditas non levaret; et domus Domini non fieret, si in ejus ventre per assumptam humanitatem Verbi divinitas non jaceret.« Cf. Vega Theologiae marianae palaestra prooem. cert. 1.

579. **5.** Propter tantam dignitatem Ecclesia et patres ubique Mariam in Scripturis vident praefiguratam. Nam „multa, inquit Ambrosius de instit. virg. c. 34, in figura Ecclesiae de Maria prophetata sunt.“ Quadruplicis praesertim generis testimonia referunt ad Mariam:

a. Ex psalmis illa, in quibus celebratur splendor et sanctitas tabernaculi, templi, civitatis Dei, coeli solisque ut throni Dei magnificentia. Merito qui-

dem; fuit enim b. Maria V. speciali ratione tabernaculum et templum Domini. Quare longe plenius ea de Maria quam de tabernaculo materiali intelligi debent, seu de his eatenus praedicantur, quatenus praefigurant et adumbrant Mariam Dei genitricem. Ita Ps. 86, 1—3: *Fundamentum ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei* etc.; Ps. 45, 5. 6: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei; sanctificat tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur; adjuvabit eam Deus mane diluculo;* Ps. 131, 13: *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi;* 18, 6; *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo* etc.

b. Referunt omnia ad Mariam V., quae in laudem sponsae dicuntur in cantico canticorum. Quaecunque enim sponsae nomina designatur, sive natura humana seu melius Ecclesia in suis membris electis sive animae singulae justae: sponsae hujus idea prae primis in b. Virgine verificatur: unde de ipsa praeter alia illa intelligunt 4, 7: *Tota pulchra es et macula non est in te;* 2, 2: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; 6, 9: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* 4, 7: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus* etc.

c. Referunt quae in libris sapientialibus, praesertim Prov. 8, Eccli. 24, et Sap. 7, de Sapientia divina praedicantur, ad b. Virginem, quae utpote incarnationis aurora et sapientiae incarnatae mater hujus ex redundantia praerogativis refulget. Cf. in primis Scheeben § 274 ss.

d. Referunt demum patres praeeunte Ecclesia in sua liturgia ad Dei genitricem quidquid splendidum, quidquid eminens, quidquid singulare sparsim in divinis literis V. T. reperitur: ubique enim eam vident adumbratam, praefiguratam, praenunciatam. Omnium nomine audiatur Damascenus ita paucis praecipuos Virginis typos complectens or. 1 in Deiparae dormit. n. 8. 9: »Tu spiritualis es Eden, antiqua illa sanctior ac divinior. In illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus, qui de coelo descendit. Te olim arca figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit. Tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit, ejusque fluctus sedavit. Te rubus delineavit (Ex. 3, 2), tabulae a Deo exaratae expresserunt, legis arca praenunciavit, urna aurea, candelabrum, mensa, virga Aaronis, quae floruit, aperte praesignarunt. Nam ex te flamma divinitatis, Patris terminus (ὅρος) et Verbum, suavissimum illud et coeleste manna, nomen illud nominis expers, quod est super omne nomen, lumen illud sempiternum et inaccessum, vitae panis coelestis nulla cultura editus fructus, ex te corporaliter pullulavit. Quid? annon te fornax illa praemonstravit (Dan. 3, 50), cujus ignis roridus simul ac flammeus erat, quae divini ignis in te habitantis figuram praeferebat? Quin Abrahami tabernaculum te manifestissime significabat. Deo quippe Verbo in utero tuo velut in tabernaculo degenti humana natura subcinericium panem, sui primitias, ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas panemque factas, in divina ejus persona subsistentes, et ad veram corporis anima rationali et intelligente instructi existentiam venientes. Parum abfuit, quin me Jacob scala praeteriret. Quid enim? annon cuivis perspicuum est, te ea praesignatam figuratamque esse? ut enim ille per extremas scalae partes coelum cum terra copulatum, et angelos per eam descendentes et ascendentes, quin etiam illum, qui vere fortis

insuperabilisque est, typice secum luctantem vidit: sic tu quoque mediatricis munus obiens, effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret, sibique copularet et uniret, adeoque hominum mentem videntem Deum redderet, ea quae dirempta erant, collegisti. Quocirca angeli ad eam descenderunt, uti Domino ac Deo inservirent: homines autem angelicum vitae genus amplectentes, in coelum evehuntur. . . . Quodnam est dominicum illud vellus, in quod regis omnium Dei Filius, qui Patri coaeternus est ejusque regni consors, pluviae instar descendit (Ps. 71, 6)? annon tu perspicue? Quaenam item ea Virgo, quam Isaias (7, 14) provido Spiritu in utero habituram Deumque, qui nobiscum foret, seu qui, cum factus esset homo, simul maneret Deus, parituram praedixit? Quid mons ille Danielis (2, 24), ex quo lapis angularis Christus sic abscissus fuit, ut viri scalprum non subierit? Nonne ipsa es, quae nullo semine suscepto peperisti, ac rursus Virgo permansisti? Veniat divinissimus Ezechiel clausamque portam ostendat (44, 2), Domino perviam, nec tamen apertam, quemadmodum prophetico instinctu praenunciavit. Dicta sua eventu comprobata monstret. Te dubio procul ostendet, per quam transiens, qui super omnia Deus est, assumpta carne, virginitatis portam nequaquam aperuit. Signaculum quippe in aeternum perseverat. Quocirca te prophetae praedicant: tibi ministrant angeli, inserviunt apostoli, virgo ille ac theologus perpetuae virgini Deique genitrici.« Cf. hom. 2 de annunc. n. 2 ss. opusc. XXXIV, 15 ss. Plura de his b. Mariae V. typis cf. apud Passaglia de immac. Deiparae semper V. conceptu sect. 3. De paradiso, typo Mariae, cf. Nicolaus s. Bernardo ab epistolis serm. 11 inter serm. P. Damiani (Mig. 144, 558 ss.).

580. **6.** Huc referri possunt, quae scriptores magno consensu tradunt de mira Dei circa b. Virginem providentia et cura, unde a s. Bernardo dicitur hom. 2 super *Missus est* n. 4 „a seculo electa, ab Altissimo praecognita et sibi praeparata, ab angelis servata, a patribus praesignata, a prophetis promissa"; et s. 2 de Pentec.: „Centrum et negotium seculorum, in quam intenti sunt omnes."

7. Non desunt qui Mariae dignitatem vocent ineffabilem. „Quemadmodum intelligere Deum, inquit Basilius seleuc. or. 33, et eloqui non est facile, imo prorsus impossibile: sic ingens Dei genitricis mysterium intelligentiam omnem excedit ac linguam." Sane sicut incarnatio est mirabilium, imo ut audacter loquamur, impossibilium (apparentium n. 443[2] **a.**) summa, ita quadamtenus etiam Dei Genitricis mysterium mirabilium est complexio. Ipsa enim **a.** manens virgo concepit perperitque filium factaque est mater; ipsa **b.** Adami est filia et tamen sine macula concepta; **c.** creatura filiaque hominis et tamen mater Creatoris auctorisque sui suoque filio junior; ipsa **d.** ancilla Domini exaltata super choros angelorum mater Dei praecipiens Domino suo; ipsa **e.** pauper et tamen, utpote mater regis regum, regina coeli et terrae; ancilla humilis et quondam despecta, quam beatam dicunt omnes generationes; ipsa **f.** vitam plane absconditam degens et tamen benedicta inter mulieres atque omni

gratia plena etc. Unde belle Alanus in Anticlaudiano V, 9 Mig. 210, 538 V. laudes enarrans canit:

Hic natura silet, logicae vis exsulat, omnis
Rhetoricae perit arbitrium ratioque vacillat.

8. Denique hinc factum, ut tantae dignitati specialis in universa Ecclesia respondeat cultus, qui sua universalitate, perennitate, varietate, splendore, intensione quadamtenus saltem adumbret sublimissimam Dei Matris excellentiam. Cf. Suarez d. 1 s. 2; Passaglia l. c. s. 6 c. 1.

581. **Scholion I.** Quod si quaeras, *quare de Mariae dignitate Evangelia tam parce loquantur,* notamus **1.** inter matrem et Filium quandam vigere analogiam: sicut enim se exinanivit Filius, servi formam accipiens, in qua per triginta annos vitam plane absconditam degit, adeo ut vix innotuerit, hacque humilitatis via conscendit summam gloriam, ut in ejus nomine omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum (Phil. 2, 5): ita et Maria prius humilitatis et cujusdam exinanitionis viam debuit incedere, donec illam beatam dicturae essent omnes generationes Luc. 1, 48. »Sicut gloriam in Filio, inquit Guibertus ab. de laude s. Mariae c. 2 (Migne 156, 511) praecessit humilitas: sic matris humilitatem, quae redundabat a Filio, nimirum est subsecuta siblimitas.«

2. Id exigebat oeconomia salutis, ut scil. prius omnium attentio et admiratio figeretur in Christum Deum incarnatum: cujus promulgata et stabilita gloria, sponte sua Mariae quoque gloria latius diffundebatur.

3. Ceterum negamus, ss. literas parcas esse in laudibus Virginis. Magnificentius enim ea nequit extolli, quam si dicitur *Mater Jesu,* si exhibetur mater Dei: quae verba pauca quidem sunt, sed sensu plenissima, grani sinapis instar, quod specie est minimum, sed virtute maximum: complectitur enim vel eminenter vel virtualiter omnia encomia et honorum titulos, quos in litaniis lauretanis ei tribuimus. Ita etiam respondet s. Thomas a Villanova conc. 2 in Nativ. V.: »Sufficit ad ejus plenam historiam, quod scriptum est in themate, quia *de illa natus est Jesus.* Quid amplius quaeris, quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod mater Dei est. Quaenam, obsecro, pulchritudo, quaenam virtus, quae perfectio, quae gratia, quae gloria Matri Dei non congruit? . . . Quidquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum hoc clauditur breviloquio: *de qua natus est Jesus.* Haec longa et plenissima historia ejus est.« Quod fassus est ipse Lutherus, qui ita scribit in comment. ad b. V. M. cant. (op. IX, 85 Wittembergae 1554): »Qua re (quod mater Dei facta est) tam praeclara et ingentia bona ei data sunt, ut superent captum cujuscunque; hinc enim omnis honos ac beatitudo provenit, ut in universo genere humano unica sit persona superior cunctis, cui nemo sit par, quod cum coelesti Patre Filium tantum habeat communem . . . Ergo propterea unico verbo totus ejus honos concluditur, si Parentis Dei insignietur nomenclatura, quandoquidem nemo majora vel de illa praedicare vel illi nunciare possit, etiamsi tot linguas habeat, quot flores terra herbulasque, coelum stellas ac mare sustinet arenas.« Cf. Nicolas, die allerseligste Jungfrau Maria t. 2 c. 2: Hettinger, die Dogmen des Christenth. d. 9.

582. Quod si quis excipiat, Christum ipsum videri matrem suam non tanti facere, cum eam non apellet matrem, sed mulierem Jo. 2, 4; 19,

26, imo ei dicat: *Quid mihi et tibi est mulier* 2, 4 coll. Matth. 12, 46 ss., respondemus **a.** falsum esse Christum Mariam non fecisse magni: quis enim major concipi potest honor, quam quod Filius Dei respexit humilitatem ancillae suae eamque sibi elegit in matrem, eique dein subditus erat annis triginta (Luc. 2, 51)? Quare ad rem Leo XIII. in ep. encycl. de rosario mariali 7. Sept. 1892: »Eo namque illustrius menti apparebat, quanto illa esset et amore et honore digna, quam Deus ipse amavit et dilexit primus, atque ita dilexit, ut unam ex universitate rerum sublimius evectam amplissimisque ornatam muneribus sibi adjunxerit matrem.« Illa **b.** agendi loquendique ratio Christi refertur ad tempus, quo jam fungebatur munere Messiae. Voluit autem ea significare se non duci in eo motivis carnis et sanguinis, respectus humani etc., sed motivis supernis, unice voluntate paterna: nam in iis, quae Patris ipsius erant, oportebat eum esse Luc. 2, 40; voluit se jam ostendere Filium Patris, non solum matris humanae: ideo tunc quandam affectabat independentiam a matre et dependentiam totalem a Patre coelesti. Hinc **c.** et matri benedictae occasionem praebuit exercendae manifestandae suae virtutis [1]). Ceterum **d.** vel illis in occasionibus maxime honoravit matrem suam patrato ad ipsius nutum miraculo tam singulari, esti nondum venerat hora ejus Jo. 2. 4, et commendatis ipsi in filios (ex sensu fidelium) hominibus, cum pendebat in cruce abiturus ex hoc mundo.

583. **Scholion II.** Quaeritur, *num praeferenda sit filiatio adoptiva maternitati Dei.* Patres nonnulli videntur id affirmare, occasione responsi Christi ad verba mulieris: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti* Luc. 11, 27: cui reposuit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Suarez disp. 1 s. 2 n. 6 respondet: »Primo, si praecise conferantur, ita ut una ab alia omnino separetur, praeferendam esse dignitatem filii adoptivi . . . Secundo vero addi potest, dignitatem matris moraliter consideratam, et prout includit omnia quae quodammodo ex natura rei et secundum ordinem divinae sapientiae illi debentur, altiorem esse dignitate filii adoptivi « Qua duplici propositione testimonia majorum ad speciem inter se pugnantia ad harmoniam revocantur. Scheeben tamen, qui fuse de maternitatis dignitate et praestantia § 276 disputat, praeunte Ripalda de ente supernat. d. ult. censet, eam fuisse formam seipsa Mariam sanctificantem gratamque facientem.

584. **Demonstratio p. II.** Tantae divinitus concessae dignitati proportione respondisse gratiae plenitudinem **1.** manifestum videtur.

Ad rem Basilius seleuc. or. 39 in annunc.: »Quis non miretur, quantopere supereminent (Maria), quotquot honoramus sanctos? Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiae, qualem matri virtutem inesse cogitabimus? An non multo majorem, quam ei subjectis? Cuivis id notum est. Si Petrus beatus appellatus est clavesque regni coelorum creditas habuit, cur non prae omnibus una beata praedicetur, cui datum est eum eniti, quem ille ore confessus est? Si Paulus *vas electionis* cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit illudque ubique terrarum evulgaverit, quale vas erit Dei mater?«

---

[1]) Imo si vera est interpretatio cl. Mittermaier theol. prakt. Monatschr. 1893 p. 713 ss. secundum loquendi usu orientalium Jo. 2, 4 commendatur Mariae gratia apud Filium suum, cum sensus sit: Nichts ist zwischen uns; was in deinem Herzen ist, das ist auch in meinem; gallice: Nous n'avous eu qu'une pensée.

2. Hanc gratiae plenitudinem s. Thomas infert 3 p. q. 27 a. 4 ex principio indubio, Deum „illos, quos ad aliquid eligit, ita praeparare et disponere, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei;" hinc gratiis per sacramenta homines exornat, ut idonei sint Dei filii, Christi milites et ministri, conjuges; hinc gratia vocationis etc. Et a. 5. eam uberius ita confirmat: „Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii . . . Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter . . . b. autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere."

Dionysius carthus. de laud. V. l. 1: »Quemadmodum decentissimum fuit, ut illam naturam, quam Creator voluit suae personae unire, omni charismate gratiae et gloriae, omni virtute perfecta ac dono Spiritus s. summe et incomparabiliter decoraret eodem instanti, quo assumpsit: ita omnino condecens fuit, ut Virginem illam, quam sibi matrem elegit, post humanitatem assumptam, universalis gratiae ac gloriae charismatibus inenarrabiliter excellentius munificentiusque ornaret, quantum sine dubio decuit matrem Dei prae ministris ornari, exaltari atque deificari. Etenim sicut non decuit naturam humanam nisi pulcherrimam atque incomparabiliter decoratam assumi a Verbo: ita nullatenus decens fuit personam humanam effici Dei matrem, nisi speciosissime ac gloriosissime ornatam.« Quod praeclare significatur apolcalyptica illa visione mulieris sole amictae (Apoc. 12, 1), qua b. Virginem adumbrari haud immerito censetur. Eam respiciens ad rem disserit s. Bernardus serm. in oct. assumpt. b. M. V. n. 3: »Illo nimirum igne (divinae Sapientiae) prophetae labia purgantur, illo igne seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non veluti summatim tangi, sed operiri magis undique et circumfundi et tamquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus; cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari.«

3. Gratiae plenitudinem in Christi matre honor exigebat Patris, cujus filia Maria κατ' ἐξοχήν salutatur; exigebat Filii honor, quem nonnisi ex matre sanctissima decuit prodire; exigebat honor Spiritus s., cujus singularis et electa sponsa praedicatur ss. virgo.

Alterum hujus rationis membrum confirmat Jacobus sarugensis, cognomento doctor (sec. VI), Batnarum in Mesopotamia episcopus (sed monophysita) serm. 1 de s. V. Dei Genitrice n. 21 in Assemani biblioth. orient.: »Si qua macula aut defectus animae ejus inesset, aliam utique sibi matrem quaesivisset, quae omnis labis expers foret.« Quod ita paulo fusius enunciat Guibertus de laude s. Mariae c. 4 s.: »Si via Deo, per quam ad cor veniat cujusque fidelis, parari jubetur, mater, cui se generandum contulit, squalori et incuriae dimittetur? Verbi gratia, certe si secundum platonicam sententiam spiritus nostri prius creantur quam corpora, posset Deus cuipiam spiritui

optionem dare, qua vellet procreari ex matre. Quod si fieret, quam putas ille personam sibi ipsi consciret? De corporis forma ac habitudine sileam. Quid honestatis, quid prudentiae animo ejus ac moribus comportaret, nihil procul dubio illi adimeret, quo ipsa aliis invidiosa non esset. Si sic hominis spiritus, civitatem virginalis uteri, quam sibi fundat Altissimus, quo potentior est, nonne Dei multo magis perornat Spiritus? Securus dico, si civium pariter supernorum cordis ejus apparatum explicare proponerent organa, ante deficerent quam dicerent digna.« Cf. Bernardus super *Missus est* h. 2 n. 1. Cum ergo ss. Trinitatis honor tantum exposceret Virginis ornatum atque dotem, concludunt majores nostri, tantam quoque fuisse gratiarum plenitudinem Mariae, ut digna esset, quae fieret mater Dei. »Nullum dicendi finem facerem, testatur Ballerini in sylloge monument. ad mysterium concept. immac. Deiparae V. illustrandum II, 154 annot. ed. paris., si exscribere hic vellem quaecunque ad manum habeo testimonia ss. patrum affirmantium pulchritudine sua Mariam effecisse, ut Deus velut attractus in eam descenderet carnem assumpturus.« Quem in sensum explicant Ps. 44, 12: *Concupiscet rex decorem tuum.* Cf. Passaglia l. c. n. 778 ss.; 1171 ss.

585. **4.** Vere igitur beata virgo ab angelo salutari meruit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* Luc. 1, 28.

Hujus salutationis vim praeclare illustrat s. Thomas in expos. in salut. angel. (opusc. XXXIV, 320) inter alia n. 3 ita scribens: »B. Virgo excessit angelos . . . in plenitudine gratiae, quae magis est in b. Virgine, quam in aliquo angelo, et ideo ad insinuandum hoc, angelus ei reverentiam exhibuit, dicens: *Gratia plena;* quasi diceret: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae. Dicitur autem b. Virgo plena gratia quantum ad tria. Primo quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia Dei datur ad duo, scil. ad bonum operandum et ad vitandum malum: et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit b. Virgo: nam ipsa omne pecatum vitavit magis, quam aliquis sanctus post Christum . . . . Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam . . . et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum . . . sed b. Virgo in exemplum omnium virtutum . . . Sic ergo plena est gratia b. Virgo et quantum ad boni operationem et quantum ad mali vitationem. Secundo plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia, quod sanctificet animam: sed anima b. Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ea conciperet Filium Dei . . . Tertio quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum, et hoc est in Christo et in b. Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa . . . item in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium . . . Sic ergo plena est gratia et excedit angelos in plenitudine gratiae.« Unde triplicem distinguit gratiae plenitudinem lect. 10 in Jo. 1: »Est plenitudo sufficientiae, qua aliquis et sufficiens ad actus meritorios et excellentes faciendos sicut in Stephano. Item est plenitudo redundantiae, qua b. Virgo excellit omnibus sanctis propter eminentiam et abundantiam meritorum. Est etiam plenitudo efficientiae et effluentiae, quae soli homini Christo com-

petit quasi auctori gratiae.« Reliqua quoque verba evangelicae salutationis gratiae plenitudinem innuunt. Anima enim sanctificatur et repletur gratia ex conjunctione cum Deo. Fuit porro Dominus cum Maria ut pater, sponsus, filius. Cum vero simpliciter dicatur benedicta prae reliquis, inferri potest eam semper, eam totam fuisse benedictam: semper scil. in initio (per immaculatam conceptionem), tempore vitae (per immunitatem a concupiscentia), in fine vitae (per incorruptionem et gloriosam resurrectionem); fuisse benedictam totam secundum spiritum per originalem et perrennem sanctitatem, secundum animam per integritatis praerogativam, secundum corpus per inviolatam virginitatem et anticipatam corporis resurrectionem.

Patrum in salutationem angelicam commentaria paucis complectitur Pius IX. in bulla »Ineffabilis Deus«, cum secundum illos docet: »Hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatis exornatam, imo erundem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui* (Luc, 1, 42).« »Quid sanctitatis, inquit s. Damianus serm. 46, quid justitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? Sic namque ab angelo dum salutaretur audivit: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quod, rogo, vitium in ejus mente vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae ad instar coeli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium?« Cf. s. Sophronius in annunc. n. 29 ss. et Virginis idea apud Damascenum h. in V. nat. n. 9 opusc. XXXIV, 280 s. et 49; Passaglia n. 1093 ss.

586. **5.** Hinc Epiphanius Deiparam dicit[1]) „secundum omnia gratia plenam;“ Joannes geometra[2]) „solam totam factam domicilium gratiarum universarum s. Spiritus,“ et „omnium charismatum coelestium ac miraculorum mare indeficiens;“ Epiphanius junior[3]) ejus gratiam „immensam“; auctor anonymus[4]) „interminabilem“; Albertus M. „summam[5])“. Secundum Gregorium thaumaturgum[6]): „Cum ipsa totus gratiae thesaurus reconditus erat . . . Vere enim arca est ss. Virgo intrinsecus deaurata, quae universum sanctificationis thesaurum suscepit.“ „Integrum gratiarum abyssum in te reconditum esse agnoscimus“ profitetur Joannes euchaita[7]). Quod ut significantius exprimerent majores nostri, axiomatis instar statuebant[8]): „Aliis ad mensuram gratiam dari, hanc autem gratia plenam dici.“

---

[1]) Haer. 58 n. 24. [2]) Serm. in Deip. annunc.
[3]) Or. de V. laud. Mig. patrol. gr. 43, 419.
[4]) H. in Chr. nativ. inter op. Chrysostomi. [5]) Bibl. mar. n. 177.
[6]) Hom. (nonnihil dubia) in Mig. patrol. gr. 10, 150.
[7]) In can. Deip. od. 1 apud Migne patrol. graecae 29, CCCLIV.
[8]) Bruno ast. in Luc. § 3.

»Ave gratia plena, inquit Petrus Chrysologus [1]), quia singulis gratia se largita est per partes, Mariae vero se tota infudit gratiae plenitudo;« et sic dictus sapiens idiota: »Quodcunque donum alicui sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Nemo aequalis est tibi, nemo major te nisi Deus [2]).« Nam, ut inculcat s. Thomas in 4. d. 30 q. 2 a. 1 qcl. 1, »in b. Virgine debuit apparere omne illud, quod fuit perfectionis. Merito ergo Pius IX. in bulla citata: »Concors eorundem (patrum et scriptornm ecclesiasticorum) est sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculornm apex ac digna Dei mater exstiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae quam proxime accedens qua humanis qua angelicis praeconiis celsior evaserit.« Cf. Damascenus h. 1 de nat. V. n. 2 op. XXXIV, 32 ss.

587. **Thesis CLXII.** ***Inter haec privilegia eximia primo loco referri debet immaculatus ejusdem Virginis conceptus. Catholica enim fide tenendum est, „b. Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem.„***

Declaratio. In thesi, qua exhibemus dogmatis definitionem ex bulla Pii IX. ‚Ineffabilis Deus‘, non quaerimus, num conceptio activa seu generativa, quae est opus parentum, fuerit immunis a quavis concupiscentiae macula, ut nonnulli conjiciunt; sed agimus de conceptione passiva seu personali quae continetur infusione animae: contendimus enim, animam b. Virginis, dum corpori infunderetur, fuisse praeservatam, quominus contraheret sicut alii homines actu peccatum originale. Neque quaerimus, num b. Virgo fuerit praeservata etiam a debito peccatum originale contrahendi. Est enim controversia inter theologos, num b. Virgo caruerit hoc debito. Distinguunt vero theologi debitum proximum et re-

---

[1]) Serm. 143, quae repetit auctor antiquus in ep. de assumpt. b. M. V. n. 5 inter op. Hier. Mig. 30, 127.

[2]) In contempl. de V. M. c. 2. Hoc axioma ex terminis per se notum esse affirmat Albertus M. in l. de b. Maria cc. 69. 70. 71. Eo praeterea utuntur Rupertus tuit. in cant. cantic. l. 1 (Mig. 168, 841); Godefridus admont. hom. fest. 70 (ib. 174, 986); Hermannus tornac. de incarn. c. 8 (ib. 180, 30); Gerson serm. de nativit. Virg.; Vincentius Ferreri l. 1 de nativit. b. V. M.; Ildephonsus tolet. s. 6 de virg. assumpt.; Bernardus s. in Virg. nativitate n. 6; Laurentius Justinianus de casto connubio animae et Verbi c. 9 et serm. de assumpt.; Petrus Damianus serm. 41 et 46 de Virg. nat. 3; auctor de concept. b. M. V. inter op. Anselmi n. 11; Eadmerus de quatuor virt. b. V. c. 7; Petrus cell. serm. 6; s. Thomas 3. p. q. 27 a. 1; Bonaventura de laud. V. c. 7; Bernardus tolet. in antiph. Salve Regina serm. 4 n. 3; Jo. Geometra serm. in deip. annunc. n. 36 (apud Ballerini II, 203); Radulphus Ardens h. 16 (Mig. 155, 1360) etc. Cf. Plazza Causa immac. conceptionis ss. Matris Dei Act. 2 append. post a. 3; Suarez d. 4 et 18 s. 2. 4 collato Petavio de incarn. l. 14 c. 8 § 9 ss.; Scheeben § 278.

motum: proximum dicunt, quod oritur ex inclusione in pactum vel quasi pactum cum Adamo initum seu ex lege et oeconomia divinitus instituta, vi cujus homo quivis naturaliter ex Adamo progenitus ob hujus praevaricationem in primo conceptionis instanti privatus gratia sanctificante exsistit (n. 390), atque ita contrahit peccati originalis maculam (n. 381), nisi ipso illo instanti Deus ex misericordia sequelas hujus debiti suspendat ac gratiam praeter debitum donet. Debitum remotum dicunt fundari in origine ab Adamo via generationis naturalis: nam homo quivis ita genitus, etsi singulari Dei privilegio non inclusus pacto seu lege illa divina, debuisset ea includi, nisi Deus speciali favore cum ipso dispensasset. Communiter docent theologi Mariam saltem obnoxiam fuisse debito remoto; a debito proximo eam plures eximunt cum Vega [1]): alii contendunt, Mariam debito proximo fuisse obnoxiam. Ita ex. gr. Bellarminus, Vasquez, Suarez disp. 3 s. 2, qui de sententia eximente Deiparam a debito contrahendi peccatum originale ait: „Haec sententia licet speciem quandam pietatis prae se ferat, tamen nec Scripturis ss., nec patribus videtur consentanea." Cf. infra n. 596[4].

Demonstr. Pro tam insigni Virginis privilegio plures initio suppetunt rationes congruentiae, quae quidem ad dogma probandum non sufficiunt, illud tamen reddunt probabile admodum atque rationi consentaneum.

1. »Prorsus decebat [2]), ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit.« Ita Pius IX. in bulla definitionis.

2. »Si Jeremias, inquit piissimus auctor antiquus de concept. V. n. 9, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus; et Joannes Dominum in spiritu et virtute Eliae praecessurus Spiritu sancto est ex utero

---

[1]) Theol. marianae palaestra 5 cert. 1 ss., qui auctores utriusque sententiae diligenter enumerat; theol. wirceburgensis t. 4 de peccatis n. 126 ss. Cum utilitate cf. de hac quaestione Plazza op. cit. in apparatu praevio a. 2; Scheeben Dogm. l. IV n. 1677 ss. et KL. IV, 460, ubi quaestionem paulo secus proponit. Censet scil. Mariam materialiter consideratam, ratione naturae communis vi generationis naturalis acceptae debito obnoxiam dici posse, non vero si consideretur formaliter, quatenus est nova Eva, mater redemptoris divino consilio specialiter electa.

[2]) S. Franciscus Sal. tr. de l'Amour de Dieu II, 6: ›Ainsi il (Dieu) destina premièrement pour sa très sainte mère une faveur digne de l' amour d' un fils, qui étant tout sage, tout puisant et tout bon, se devait préparer une mère à son gré et partant il voulut que sa rédemption lui fût appliquée par manière de remède préservatif afin que le péché, qui s' écoulait de génération en génération, ne parvînt point à elle; de sorte qu' elle fut rachetée si excellement, qu' encore que par après le torrent de l' iniquité originelle vînt rouler ses ondes infortunées sur la conception de cette sacrée Dame avec autant d' impétuosité comme il eût fait sur celle des autres filles d'Adam, cependant, étant arrivé là, il ne passa point outre, mais s'arrêta court, comme fit anciennement le Jourdain du temps de Josué (Jos. 3, 14 ss.), et pour le même respect; car ce fleuve retint son cours en révérence du passage de l' arche de l'alliance, et le péché originel retira ses eaux, révérant et rédoutant la présence du vrai tabernacle de l' éternelle alliance.‹

matris repletus: quis dicere audeat singulare totius seculi propitiatorium ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium mox in suae conceptionis exordio Spiritus s. gratiae illustratione destitutum?« Conjecturae vim auget s. Thomas in 4. d. 6 q. 1 a. 1 qcla. 2: »In Joanne B. etiam fuit expressior (sanctificatio) quam in Hieremia . . . ut secundum gradum propinquitatis ad Christum sit gradus sanctificationis.«

3. »Horremus dicere, ita Dionysius carth. in 3 d. 3 q. 1, mulierem, quae caput serpentis contritura erat, quandoque ab eo contritam, et quae diaboli filia fuit matrem Domini futuram: insuper dominam angelorum servam fuisse peccati, et amantissimam Dei Patris filiam quandoque fuisse filiam irae. Horremus dicere Dei inimicam, diaboli servam, immundam et foedatam, etiam per unicum instans fuisse illam prae ceteris electam creaturam, quae quidem ex ore Altissimi prodivit primogenita ante omnem creaturam et quae in omni gente et in omni populo primatum habuit (Eccli. 24, 5).«

4. Adde rationem, quam ita proponit Scotus in 3 d. 3 q. 1 n. 4: »Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personae, pro qua mediat. Sed Christus est perfectissimus mediator. Ergo Christus habuit perfectissimum gradum mediandi respectu alicujus creaturae sive personae, respectu cujus erat mediator. Sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum, quam respectu Mariae. Igitur etc. Sed hoc non esset, nisi meruisset eam praeservari a peccato originali.« Cf. Gerson in ep. ad Jo. Fr. Bassandi de suscept. humanitatis Chr. n. 11 op. I, 450 s.

5. Accedunt omnes rationes congruentiae, quibus d. Thomas 3. p. q. 27 a. 4 probat, b. V. Mariam ab omni peccato actuali, etiam veniali fuisse immunem; nam eae non minori probabilitate immunitatem a peccato originali suadent, ut ostendit Ambr. Catharinus l. 3 de immac. conc. Earum primam ita enucleat Suarez d. 3 s. 5: »Dat Deus unicuique gratiam eo tempore, modo et perfectione, quo secundum rectam et prudentem rationem maxime congruit fini, dignitati, officio, in quo ab ipso Deo constituitur. Sed prima dignitas Virginis fuit, esse Matrem Dei, quo titulo illi debetur maximus amor et honor, et cum hac conjuncta est alia, scilicet, cooperari redemptioni, cui fini nil potest magis esse contrarium quam peccatum. Et ex his sequitur tertia, scilicet ut singulari modo sit domina omnium et regina angelorum. Non decebat autem dominam esse inferiorem servis, scilicet sanctis angelis in perpetua sanctitate et vitae innocentia ac puritate.«

6. Alias duodecim rationes congruentiae ibidem congerit eximius doctor, quarum quintam ita proponit n. 31: »Quia Christus dispensavit cum matre in aliis legibus, ut in lege fomitis (cf. infra n. 606), in illa: *In dolore paries filios* Gen. 3, 16; et in illa: *In pulverem reverteris* ib. v. 19. Ergo multo magis oportuit, ut in hac lege cum illa dispensaret, qua omnes nascimur filii irae. Quia non est minus potens ad dispensandum in hac quam in ceteris, neque erat minor causa dispensandi, sed major, cum ad honorem matris et filii hoc magis necessarium sit quam reliqua,« et quia, ut addit n. 32, »majus malum est originale peccatum quam corruptio carnis vel similes defectus. Cf. Perrone de immac. V. conc. an dogmatico decreto definiri possit p. 1 c. 14.

589. Jam argumenta pro dogmate ordine ascendente proponamus. *Primum* et, judicio Petavii, forte praecipuum, petitur *ex sensu fidelium*,

cujus momentum ut rite perspiciatur, sedulo expendantur conspirationis factum, historia, dotes, fructus et demum probandi vis. Sane

1. negari nequit, a seculo saltem XII. invaluisse in Ecclesia fidem explicitam de immaculato Virginis conceptu, eamque gradatim praevaluisse totamque pervasisse ecclesiam occidentalem, ut ante dogmaticam definitionem e tot centenis pastoribus vix unus alterve esset, qui de eo dubitaret. Neque solum ecclesiam occidentalem haec fides pervasit, sed orientalem etiam tam orthodoxam quam schismaticam; imo vel apud haereticos et a christiana fide alienos ejus reperiuntur vestigia.

Ita Gregorius narekiensis, sec. X. scriptor armenus, Mariam dicit »primae reae mulieris filiam inculpatam;« »carentem peccati fomite, maledictione humani generis liberam;« Georg. Vardanus, scriptor sec. XIII. etiam armenus »immunem crimine Evae,« apud Mai bibl. nova patrum I, 452 annot. 3; item Georg. Varda hymnographus nestorianus sec. XIII. sub initio (Directorium spirituale ed. Elia Joan. Millos, archiep. acrensi, Romae, 1862 p. 252. 257) ita habet: »Quis mente cogitare, ore eloqui et explicare posset illam castam, puram, sanctam, sanctificatam, absconditam semper Virginem, quae sanctificata est jam in ipso momento conceptionis suae et segregata inde ab utero? Benedicta es, o vellus, quo viso Gedeon tuum cognovit mysterium; ros enim, qui in te descendit, in alium nullum locum se demisit: et imber ille, qui alios omnes locos invasit, ne unicam quidem guttulam tibi aspergere potuit.« Cf. Isidorum thessalonic. (graecum) orat. de b. Virgine in sylloge cit. Ballerini t. 1 cum hujus praefat.; Passaglia l. n. c. 1805 ss.; Martinov in anno eccles. graeco-slavico ad d. 9 Dec. De consensu ecclesiae russiacae cf. Gagarin l' Église Russe et l'Immaculée Conception, Parisiis 1876. Sed luculentissimum argumentum pro consensu sectarum Orientis cum Ecclesia catholica de hac veritate exhibet P. Josephus Besson S. J. superior missionum soc. Jesu in Syria et Perside († 1691), qui invitatis tribus patriarchis et uno archiepiscopo probavit, productis ducentis circiter locis ex orientalium libris liturgicis vetustissimis, hanc fuisse constantem sententiam ecclesiarum omnium et populorum orientalium circa immunitatem Virginis beatissimae ab omni originalis peccati labe atque festum ipsum immaculatae conceptionis; quam declarationem solemniter subscripserunt praesentibus testibus et Francisco Baron, Galliarum consule, tres illi patriarchae et archiepiscopus et quidem non sola nominis appositione, sed hunc in modum: »Ego pauper Ignatius Andreas patriarcha antiochenus nationis syrorum confirmo hanc sententiam orthodoxam, quam explanavit P. Josephus e S. J., dominam nostram Virginem purissimam s. Mariam semper liberam exstitisse et immunem a peccato originali, ut explicuerunt antiqui ss. patres longe plurimi, magistri orientalis Ecclesiae.« Simili forma subscripserunt reliqui [1]).

---

[1]) Cf. Civiltà cattolica 1876 t. 11 fasc. 635 pag. 541 ss., ubi plura sectarum Orientis testimonia pro hac veritate e codice a P. Besson magna diligentia conscripto, sed adhuc inedito, proferuntur. Lutherus decennio post suam defectionem a. 1527 ita scribit in Kirchenpostill (op. ed. Walch Hallae 1745 XI., 2616): »Wie die andern Menschen empfangen werden in Sünden, beide an der Seele und am Leibe,

2. Crevit autem haec persuasio non obstante oppositione doctissimorum theologorum, non obstante auctoritate s. Bernardi et d. Thomae, qui huic sententiae adversari credebantur, et quorum alioquin in universa schola summa erat auctoritas.

3. Conspirarunt vero in hanc sententiam non solum rudes, sed **a.** doctissimi quique, adeo ut Simon Santagata exeunte sec. XVI. recensere potuerit ad sex millia auctorum, qui huic suffragarentur sententiae: et ipse Cajetanus adversarius noster fateatur de concept. c. 5: »Doctores tenentes b. Virginem esse praeservatam ab originali peccato, sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus;« non tantum viri privati, sed **b.** integrae academiae, quae edito jurejurando ad hujus sententiae defensionem se obligarunt, teste Bar-

---

Christus aber ohne Sünde, beide an Leib und Seele; also ist Maria die Jungfrau empfangen worden nach dem Leibe wohl ohne Gnade, aber an der Seele voller Gnade. Das wollen nun diese Worte, da der Engel Gabriel zu ihr saget: *Gebenedeit bist du unter den Weibern.* Denn man könnte zu ihr nicht sprechen: *Gebenedeit bist du,* wenn sie je unter der Vermaledeiung gelegen wäre. Es war auch recht und billig, dass diese Person ohne Sünde enthalten würde, von welcher Christus nehmen sollte das Fleisch, das da überwinden sollte alle Sünden (utitur verbis Augustini, quae cf. infra n. 596[2]). Denn das heisst eigentlich gebenedeit, was mit göttlicher Gnade begabt ist, das ist, was da ohne Sünde ist. Davon haben Andere viel mehr geschrieben und schöne Ursachen angezeigt, welche zu lang wären sie zu erzählen.« Et recentiori aetate en quomodo doctor protestans in Protestantische Kirchenzeitung für das evang. Deutschland 9. Dec. 1854 de nexu hujus praerogativae cum aliis dogmatibus judicat: Die Bedeutung der Frage ist den Meisten so fremd, dass sie nicht begreifen können, wie und zu welchem Zwecke man sie heutzutage nur aufwerfen und um ihretwillen so viel Lärm machen könne. Und doch ist sie vom Standpunkte des orthodoxen Systems betrachtet eine sehr natürliche Consequenz, und man möchte sich nur darüber verwundern, dass sie so lange in der Schwebe geblieben, und dass nicht auch schon die neu belebte protestantische Orthodoxie sich ihrer bemächtigt hat, der sie keineswegs so ferne liegt, als man auf den ersten Anblick glauben möchte . . . Denn die Wurzeln des Dogma von der unbefleckten Empfängniss Mariä erstrecken sich tief in das von der orthodoxen Theologie auch der evangelischen Kirche noch unerschüttert festgehaltene dogmatische System hinein, und geben einen Fingerzeig auf seine schwachen Stellen und faulen Flecke. Es ist die geschichtliche Thatsache der sündlos heiligen Person Jesu, um die es sich handelt! . . . Will man sich nicht dem Doketismus in die Arme werfen, oder will man nicht etwa die bisher im orthodoxen System geltende Erbsündentheorie einmal gründlich revidiren . . . so bleibt nichts Anderes übrig, als den Einfluss der Erbsünde auf die menschliche Natur Jesu auch von mütterlicher Seite her abzuschneiden, d. h. man muss annehmen, dass auch Maria schon frei von den Wirkungen der Erbsünde gewesen sei, und da diese durch die Zeugung fortgepflanzt werden soll, dass auch Maria schon ohne Erbsünde, d. h. unbefleckt empfangen worden sei. Und das ist es, worauf jetzt in der römischen Kirche hingearbeitet wird, nicht aus irgend welcher Willkür, sondern aus dem Zwange nothwendiger Consequenz, und es ist daher kaum daran zu zweifeln, dass das Dogma von der unbefleckten Empfängniss Mariä jetzt in Rom die kirchliche Sanktion empfangen wird. Wenn das nun auf die evangelische Kirche auch keinen Einfluss hat, so werden consequente orthodoxe Theologen sich doch nicht enthalten können, die Folgerichtigkeit des römischen Verfahrens anzuerkennen, und sich innerlich dadurch dem Mariencultus sehr genähert zu fühlen. Ipse Mohammed in Koran III, 37: »Angeli, inquit, Mariae dixerunt: Deus te elegit, te ab omni macula liberam fecit, ipse te ex omnibus mulieribus mundi elegit.«

tholomaeo Medina in 3. q. 27 a. 2: »Suffragantur huic sententiae omnes universitates studiorum, in quibus viri docti et magistri sequuntur hanc sententiam et maxime schola parisiensis reliquarum parens et magistra.« Academiarum statuta cf. apud Plazza act. 7 a. 3.

c. Conspirarunt non solum oves, sed et pastores, et pastorum principes, romani pontifices, quorum alioquin quam maximi interest, ne quid ad depositum fidei spectans innovetur: qui tamen fere singuli a Sixto IV. nullam praetermisere occasionem, ut sententiam de immaculata conceptione foverent, promoverent, tuerentur, ut ostendit Plazza ib. act. 5.

d. Conspirarunt sancti, imo fere dici potest, quo sanctiores erant eo impensius huic sententiae favisse. Conspirarunt

e. non levitate ducti, sed excussis rationum momentis, circa objectum amori proprio vel cupiditatibus non favens: nam professio immaculati conceptus b. V. professio est nostrae originis maculatae et miseriae.

f. Haec conspiratio non erat tacita et theoretica tantum, sed solemnis et practica, prodens se libris scriptis, institutis festis, congregationibus, fusis precibus, murmure populi fidelis de sententia opposita, quod testantur facta a Plazza allata a. 7 n. 284. 286. 394 ss. Quare b. Canisius de Maria Deip. I, 7 affirmare potuit: »Qui secus modo sentiunt, sane eorum rarus est numerus, hique pudore impediti, quod in animo gerunt et secum ipsis tacite loquuntur ac sentiunt, palam efferre non satis tutum arbitrantur; tum, si id facere quidem audent, haud sine publica contradictione vulgique offensione audiuntur; usque adeo et invisa et debilitata et quodammodo ejecta est nunc opinio adversariorum; et contraria sententia cunctorum fere mentes occupat.«

4. Fructus vero conspirationis erant plane laetissimi, ut patet ex tot congregationibus sub invocatione immaculatae Virginis institutis, ex studio virtutum, castitatis praesertim angelicae, ejusdem cultu excitato et efficaciter promoto etc., quae fructuum bonitas arboris bonitatem i. e. cultus pietatem et hinc veritatem hujus sententiae prodit; non secus ac mira vitae christianorum sanctitas et Ecclesiae unitas (Joan. 17, 21) argumentum sunt veritatis fidei, cujus sunt fructus [1]).

5. Atqui conspirationi talibus praeditae dotibus probandi vis triplex inest: philosophica, theologica, analogica. Philosophica quidem, quia vel secundum sanae philosophiae principia talis consensio explicari nequit, nisi ei subesset veritas, nisi veritas (immediate vel mediate) perspecta mentes ad consensum induceret. Theologica, quia talis consensio in ipso Ecclesiae sinu invalescens et gradatim praevalens, si est erronea, conciliari nequit cum praesentia et assistentia sancti Spiritus Ecclesiam regentis et in omnem veritatem inducentis et tutantis illam adversus omnes errorum tenebras [2]). Analogica, sicut enim

---

[1]) Cf. Preuss, qui op. cit. fere idem argumentum ex fructu derivatum pag. 153 ss. proponit inscriptum: Der Beweis des Geistes und der Kraft. De fidelium et doctorum sensu per Germaniam sec. XV. cf. Katholik 1878. II, 553 ss.

[2]) Cf. Tertulliani verba de praesc. n. 28 cf. t. I n. 120; th. 28.

philosophi merito admittunt communem naturae sensum, fundatum in communi natura rationali, fontem veri: ita analogice admittendus est sensus communis fidelium, communi fide innitens, vi cujus sub illustratione s. Spiritus et ductu magisterii ecclesiastici fideles veluti quodam instinctu percipiunt consonantiam vel dissonantiam alicujus sententiae a fide communi. Hinc illud s. Paulini nolani consilium (ep. 23 n. 36): „Ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.“ Cum autem veritas de immaculato Virginis conceptu sit superrationalis, unice ex revelatione poterit cognosci. Quare conspiratio haec cum omnibus adjunctis argumentum est, eam veritatem revera revelationis deposito contineri, alioquin haberetur effectus sine ratione sufficienti eique proportionata.

590. Huic argumento *alterum* est affine, quod petitur *ex festo conceptionis b. Virginis*, quod saltem jam sec. VII. vel VIII. fuit celebratum in Ecclesia graeca, ut colligitur ex hymnis Andreae cretensis (c. a. 676), ex homiliis Joannis euboeensis (c. a. 740) et Jo. Damasceni, deinde gradatim in universam Ecclesiam inductum. Atqui Ecclesia celebrat et colit tantum, quod est sanctum. Fuit ergo ipsa conceptio Virginis sancta, hinc immaculata.

1. Probatur prop. minor auctoritate patrum. Ita Augustinus serm. 310 n. 1: »Quando natus sit (Cyprianus) ignoramus; et quia hodie passus est natalem ejus hodie celebramus; sed illum non celebraremus, etsi nossemus: illo enim die traxit originale peccatum, isto autem vicit omne peccatum.« — Luculentiora sunt verba Pasch. Radberti († c. a. 865) de partu V. l. 1: »Si non beata esset (Dei Genitrix) et gloriosa, nequaquam ejus festivitas celebraretur ubique ob omnibus. Sed quia tamen solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata originale peccatum . . . Nisi in utero matris sanctificata esset, minime nativitas colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiae veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur.«

2. Confirmatur auctoritate scholae. Ita enim ex. g. s. Bonaventura scribit in 3. d. 3 a. 1 q. 3: »Dicendum quod pro indubitato habet hoc Ecclesia, videlicet quod b. Virgo fuerit in utero sanctificata: et illud ex hoc patet, quod ejus nativitatem tota Ecclesia celebrat, quod non faceret, nisi sanctificata esset.« Certum ergo erat patribus et scholae doctoribus non celebrari, nisi quod sanctum est. Probatur

3. quoad conceptionem Deiparae ex ipso celebrationis modo. Nam in precibus et ceteris Ecclesiae officiis, quibus in hoc festo utitur, conceptionem praedicat sanctam, puram, immaculatam etc. Ita e. g. graeci in suo officio canunt: »Chorus olim propheticus eam praedicavit, quam Anna sterilis et infecunda intemeratam et puram ac Dei filiam concepit; hanc hodie ceu solam ex omni parte immaculatam omnes nos per eam salutem consecuti cordis ex-

sultatione beatam dicamus.« Tanti fecit hoc argumentum Bellarminus, ut in congregatione generali s. inquisitionis coram Paulo V. die 31 Aug. 1617 hoc dederit votum: »Si non placet nunc ulla formalis definitio (hujus veritatis), saltem deberet fieri praeceptum omnibus ecclesiasticis, secularibus et regularibus, ut recitarent officium de conceptione, quomodo recitat Ecclesia. Sic enim sine definitione haberetur intentum.«

591. **1.** Contra hoc argumentum excipies, celebratam fuisse conceptionem activam, quae contigisse traditur 8 vel 9 Dec., unde nihil pro dogmate catholico sequi. Resp. Concedimus quidem festum assignatum esse diei, quo censetur facta conceptio activa: quod scil. lateret tempus conceptionis passivae; hanc tamen primarium esse festi objectum colligitur tum ex eo, quod illa ad hanc ordinatur et hac proprie absolvitur; tum ex multis conceptionis encomiis, quae supponunt foetum jam anima informatum.

2. Excipies, celebratam fuisse in Ecclesia graeca et etiam latina conceptionem s. Joannis Bapt. 23 vel 24 Sept., quem tamen non credimus a peccato originali immunem. Verum **a.** objectum hujus festi non tam fuit ipsa conceptio, quam potius mysteria ipsius diei, quo sterilibus parentibus praecursoris Domini nativitas divinitus fuit promissa et praedicta ab angelo. Hinc **b.** non tam insignia encomia puritatis Joannis concepti legimus, qualia de b. Virgine concepta patres pronunciant. Ideoque forte **c.** hoc festum jam a sec. XV. in Ecclesia saltem latina omissum fuit, ne ansa daretur opinioni, Joannem B. sine peccato originali esse conceptum; dum contra festum conceptionis b. Virginis altiores semper egerit radices. Cf. Nilles Kalendarii man. I, 283; Plazza act. 3 a. 2.

592. *Tertium argumentum* petitur *ex traditione.* Neque enim recens est fidelium persuasio, sed vetusta, a majoribus derivata; quod evidens fiet, expensis aliquot capitibus doctrinae patrum, quae vel implicite, vel aequivalenter vel diserte hoc dogma enunciant.

1. Sane tam excelsa est ex patrum sententia Virginis sanctitas et perfectio, ut ad illam exprimendam adhibeant **a.** apposita gradu positivo et superlativo, quae omnem labem et culpam ab ea prorsus removeant: vocant enim eam non semel aut iterum, sed saepissime immaculatam, immaculatissimam, per omnia et funditus immaculatam.

Ita Germanus in Anthologia die 7 Sept.: »Salutis totius initiatores bb. Joachim et Anna glorisam, innocentem et immaculatam penitusque illibatam Dei matrem genuerunt, atque hanc suae pietatis retributionem acceperunt.« Ita s. Rabulas episcopus edessenus (sec. V) inter s. Ephraemi aliorumque opera sel. ed. Overbeck (Oxonii 1865) p. 362: »Quomodo laudem te, quae sola omnino sancta es?«

b. Adhibent praedicata, quae puritatis culmen innocentiaeque fastigium designant, imaginibusque solis, coeli, paradisi etc. illam depingunt.

Ita ex. gr. Damascenus in Deip. annunc. h. 2 n. 6: »Salve sis sola Dei Mater, coelestium, terrestrium et infernorum magnificum ac splendidissimum decus; salve sis sola Dei Mater, quae omni radio lucidior es et omni puritate purior . . . omni re nobili nobilior et omnibus divitiis affluente lo-

cupletior . . . quae in omnes generationes generationum ab angelis et hominibus una voce cum reverentia magnificaris.« Cf. h. 1 n. 2.

c. Praeferunt illius puritatem sanctitatemque puritati omnium hominum et angelorum omnisque creaturae.

Ita Germanus CP. or. in annunc. n. 24: »Quae autem purissimam materiam suppeditat, praestantissimum sane muliebris generis ornamentum, ipsorum quoque spirituum coelestium nitentissimam obscurat puritatem, utpote quae comparatione instituta istam immenso intervallo superat.«

d. Docent illius sanctitatem summam esse Deique sanctitati proximam.

Qua de causa salutatur a s. Ephraemo op. gr. lat. III, 528: »Dei genitrix, Domina mea supersancta . . . tota casta, tota immaculata, tota illibata, tota intemerata, tota incontaminata, tota celebranda, tota incorrupta, tota beatissima . . . Tu janua coelestis, per quam terrigenae coelum petunt . . . Post ss. Trinitatem omnium Domina, post Paracletum altera consolatrix et post Mediatorem mediatrix totius mundi; sine comparatione superior et gloriosior cherubim et seraphim . . . verae fidei fundamentum firmissimum . . . Plenitudo gratiarum Trinitatis, secundas post divinitatem partes ferens.« »Decens enim erat, inquit Anselmus de conc. virg. et pecc. orig. c. 18, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum . . . ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius« etc. Cf. innumera patrum testimonia ad hoc argumentum illustrandum apud Passaglia t. 1. sect. 1. 2.

Atqui cum tanta puritate nulla nubecula peccati sive actualis sive originalis conciliari potest. Ergo ex patrum sententia censenda est b. Virgo semper immunis a peccato etiam originali fuisse.

2. Patres de b. Virgine disserentes eam vocant **a.** Dei palatium, Dei templum non manufactum, proinde praeter et supra naturae conditionem evectum, quae est vis locutionis οὐ χειροποίητον. Cf. Hebr. 8, 2; 9, 11. 24; Marc. 14, 58; 2. Cor. 5, 1 etc. Idcirco vero **b.** dicunt illam templum non manufactum, quod divinitus fuerit exstructum, divinitus haec Virgo praeparata. Ita graeci in menaeis ad 8. Sept.: „Hodie Deus . . . thronum sanctum sibimetipsi super terram praeparavit: qui coelos in sapientia stabilivit, animatum coelum in sua erga homines benignitate adornavit.“ Ideo etiam passim b. Virgini accommodant illa Prov. 9, 1 verba: *Sapientia aedificavit sibi domum,* vel eam conferunt paradiso θεοφυτεύτῳ a Deo plantato. Hujus autem **c.** conditionis, praeparationis, jacta esse censent fundamenta in ipsa Virginis conceptione.

Speciminis gratia sint verba Petri argorum episc. (sec. IX) de concept. Deip. n. 1: »Hodie primi parentes . . . certiores dum fiunt, modo in agro sterili fragrantissimam illam rosam plantari, quae suo odore, quidquid sub sole est, perfundet ac praevaricationis foetorem abiget, laetitiam gratulationemque ingeminant. Omnes, quotquot sunt creaturae, dum purissimi templi Regis om-

nium Christi nunc jaci fundamenta cernunt, gratanter tripudiant . . . Nunc arido in utero divinus ille plantatur paradisus, qui nos a priori expulsos mortique damnatos per vivificum germen ex ipso oriturum ad vitam revocabit« etc. Cf. Damascenus de nativ. V. n. 1; Passaglia s. 4 a. 2 n. 727 ss.; s. 6 n. 1208 ss.; 1301 ss.

Atqui **d.** fieri non potuit, ut illud templum, quod praeter et supra naturam fuit exstructum, cujus architectus fuit singulari ratione ipse Deus quod Deus sibi ab ipsa ejusdem conceptione elegit, praeparavit, ornavit in dignum habitaculum, in ipsis fundamentis esset corruptum sibique exosum. Hinc **e.** factum est, ut b. Virgo passim vocaretur nova creatura, Dei germen, opus artis divinae, immune ergo a vetustate peccati. Concludere igitur licet, cum patres affirmant, s. Annam filiam genuisse sanctam, immaculatam, eos intelligendos esse non in sensu, quem dicunt, diviso, quod scil. Anna genuerit puellam, quae postmodum fuerit sanctificata; sed in sensu composito, quod genuerit puellam, quae in ipsa conceptione fuerit sancta et ab omni peccati labe pura [1]).

3. B. Virgo a patribus exhibetur in ipsa nativitate et conceptione a reliquo humano genere peccato originali infecto secreta ut lux a tenebris, innocentia a peccato, lilium et rosa a spinis, incorruptio a culpae infectione. Censent igitur non ipsi statutam esse legem illam, qua omnes ex Adamo in inquitatibus concipimur, sed eam fuisse a communi naufragio immunem.

Ita e. g. Germanus (a. 714—729) or. in praesent. Deip. n. 15: »Ave amoenissimus et rationalis Dei paradisus, benevolentissima et omnipotenti ejusdem dextra hodie ad orientem plantatus, et ipsi suaveolens lilium et rosam immarcescibilem germinans in eorum medelam, qui pestiferam animaeque exitialem amaritudinem mortis ad occidentem ebiberant.« Et Petrus argorum episc. l. c.: »Cantemus Deo, consona voce laudemus, nam per Annam et Joachim immaculata prorsus Domina et Virgine ditati sumus, quae nos peccati servitute devinctos asseret in libertatem.« Cf. Passaglia n. 1264 ss. et opusc. XII, 205 an.; XXXIV, 177 an.; 206; 216; 219; 221; 227 etc.

4. Maria passim a veteribus salutatur „Deipara omni tempore pura," ut a coptis in suis theotokiis; „natura formosa et peccati omnis incapax," ut a s. Ephraem in or. in Deip. (op. III, 530); „omni ex parte simillima originalis venustatis repraesentatio," ut ab Andrea cretensi (fl. sec. VII) in or. in Deip. dormit.; „civitas munitissima, in qua nunquam dominatum est peccatum," ut a syris in prooemio primi nocturni in festo nativ.; „Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati," ut a s.

[1]) Cf. Passaglia l. c. n. 682 ss.; 1573 ss.; 1629 ss.; 1662 ss.; auctor de concept. b. M. V. inter op. Anselmi n. 13 opusc. t. XII, 215 s. et praeclara verba Guiberti ab. († 1124) de laude s. Mariae (Mig. 156, 550) c. 5.

Ambrosio in serm. 22 in Ps. 118 n. 30: „Virgo Christo oppignerata in utero, cum fieret," a s. Petro Chrysologo serm. 140; „a pedibus usque ad caput benedicta," a Dionysio alex. († 265) q. 10 contra Paulum samosatenum; „Agna pariens agnum tollentem peccatum mundi," a s. Jo. Damasceno or. in Deip. dormit. III, 5; cf. de nativ. h. 1 n. 2. 7. Absolvimus verbis s. Sabae ode 2 ad Deip.: „In te, quae nulli unquam culpae affinis fuisti, spem omnem meam repono: nemo ut tu, Domina, inculpatus est aeque, nec praeter te incontaminatus quisquam, o naevo nulli subjecta." Alia cf. infra n. 596[3].

Praetermittere non possumus testimonia quaedam insigniora pro veritate dogmatis catholici. Ita legimus in ep. presbyterorum et diaconorum Achajae de martyrio s. Andreae ap. (Mig. patrol. gr. 11, 1226): »Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per ligni praevaricationem mundo mortem intulerat: necessarium fuit, ut de immaculata (eo sensu, quo dicitur antea terra immaculata i. e. nullo maledicto originali obnoxia) Virgine nasceretur perfectus homo Filius Dei, vitam aeternam, quam per Adamum perdiderant homines, repararet, ac per lignum crucis lignum concupiscentiae excluderet.« Scimus quidem hujus epistolae genuinitatem in dubium revocari, sed etsi non sit seculi primi, venerandae tamen est antiquitatis, cum ex ea desumpta sit praefatio in Missali gothico vetustissimo apud Mabillonium lit. gallic. l. 3 n. 17 pag. 221. — S. Hippolytus M., qui floruit ineunte sec. III. apud Theodoretum dial. 1 p. 36: »Porro autem arca, inquit, ex lignis, quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers ejus tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit... Dominus autem peccati expers erat et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem h. e. ex Virgine et ex Spiritu sancto, intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus.« — Ephraem in carm. nisibenis ed. Bickell p. 122: »Tu revera (Domine) et mater tua, soli estis, qui omnino omni ex parte pulchri estis; in te enim, Domine, nulla est labes, nec ulla in matre tua macula.« — In libro apocrypho, sed antiquissimo sec. IV, de transitu b. Mariae in Journal of sacred literature 1865 l. 3: »Ipsa benedicta erat etiam sancta et Deo electa inde a tempore, quo in utero matris concepta est.« — Augustinus in serm. 118 de Evang. in quo narratur Dominum de aqua vinum fecisse (Bibl. N. PP. ed. Mai I p. 1 pag. 248) n. 1, postquam humanum genus exhibuit quasi conjugio sociatum daemoni, suo in protoparentibus deceptori, ita prosequitur: »Dum itaque in unius discubitionis instramento (pro stramento, strato) jactati diabolus et anima lascivirent, invitato Jesu... (desunt aliqua in cod. ob vetustatem attritto) dum vina luxuriae defecerunt. Genitrix autem Christi illa, quae facinorosi concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore, verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata conditione generis, non participatione criminis; universitate nascendi, non societate peccandi, quae... Christo, non quae mundo consentiret immundo. »Vix melius, clarius et tanto ingenio dignius dogma catholicum enunciari potest. Cf. Perrone de immac. V. conceptu p. 1 c. 10 s.; p. 2 c. 6 § 4; Passaglia n. 1418—1568; Plazza act. 2 et 6; Zeitschr. für k. Theol. Oeniponti 1880 p. 147 ss.

593. *Quartum argumentum* ad haec principia revocatur: Docent

1. patres, Deum pro admirabili sua sapientia iisdem veluti gradibus eademque via seu quadam recirculatione, ut ait Irenaeus III, 22, reparare voluisse humanum genus, qua illud lapsum est.

Ita Augustinus serm. (nonnihil dubio) 3 n. 4: »Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, a Domino J. Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus; per feminam mors, per feminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem, haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit et viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi; haec gratia coelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari.« Ita et Tertullianus de carne Chr. c. 17: »Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis: in virginem aeque introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitae, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit.« Ante hos idem docuit Justinus in dial. cum Tryphone n. 100. Cf. praeterea Chrysostomus h. 3 de pasch.; Paulinus nol. ep. 11 n. 4; Petrus Chrysologus serm. 99. 142; Joannes Geometra or. in Deip. annunc. n. 8; Beda hom. 1; Bernardus de 12 praerog. b. M. V. n. 1 opusc. XII, 149 ss. Cf. opusc. XXXIV, 286 annot.

2. Hinc Maria in reparationis ordine eum prope locum occupat, quem Eva in ordine lapsus. Quod nitidissime significant syri, dum canunt auctore s. Ephraemo op. syr. II, 327: „Duae innocentes, duae simplices, Maria et Eva, sibi quidem prorsus aequales factae erant; postea vero altera facta est causa mortis, altera vitae nostrae.“

»Manifestum est, ita ille iterum serm. 4 exeg. ib. p. 329, Mariam esse lucis (salvatoris) portam, quia per ipsam illuminatus est mundus ejusque habitatores, qui obscurati erant per Evam omnium originem malorum. Similes sunt corpori, cujus alter oculus coecus et tenebrosus, alter autem purus et luminosus est illuminans omnia. Ecce mundo infixi sunt duo oculi. Eva erat oculus coecus sinister, Maria autem lucidus est oculus dexter.« Cum hoc syrorum splendidissimo lumine conspirant reliqui patres. Ita gloriosissimus martyr s. Irenaeus III, 22 n. 4: »Quemadmodum illa (Eva) . . . inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria . . . obediens et sibi et universo generi humano facta est causa salutis.« Cf. V, 19. Theodotus ancyranus or. in s. Deip. n. 11 apud Gallandi IX, 475: »Loco virginis Evae, quae nobis instrumentum mortis facta est, Deus elegit ad dandam vitam virginem sibi placentissimam et gratia plenam, quae femina exsistens ab iniquitate feminae aliena fuit: virginem innocentem, immaculatam, sanctam spiritu et corpore, productam ut lilium inter spinas, quae non novit mala Evae . . . quae fuit filia Adam, sed ipsi dissimilis.« Quibus similia habent Augustinus de peccat. meritis et remiss. l. 1 c. 28; serm. 1 n. 3. 4; 102 n. 4. 5; 117 n. 3 in bibl. nova PP. ed. Mai t. 1; auctor hom. 1 in annunc. b. M. V. inter op. Greg. Thaumaturgi; Zeno veron. l. 1 tr. 2 n. 9; auctor s. 45 inter op. s. Ambrosii n. 2; Severianus gabalit. or. 6 de creat. mundi n. 6; Arator l. 1 v. 57 ss.; Bernardus super *Missus est* h. 2 n. 3. 5. 13 etc. Cf. Plazza act. 6 a. 2.

3. Sicut igitur teste Paulo Rom. 5, 14 Adam fuit τύπος τοῦ μέλλοντος forma futuri scil. Adami i. e. Christi, ita et Eva typus erat alterius praestantioris Evae i. e. Mariae.

Quod praeclare inculcat Epiphanius haer. 78 n. 18 scribens: »Haec (Maria) est, quam adumbravit Eva, quae viventium mater quodam aenigmatis involucro nuncupatur. Siquidem Eva tum viventium est appellata mater, cum jam illud audisset: *Terra es et in terram reverteris* (Gen. 3, 19), post admissum videlicet peccatum. Quod quidem admiratione dignum est, post illam offensionem tam praeclarum ei cognomen attributum. Ac si exteriora dumtaxat et sensibus obvia consideres, ab hac eadem Eva totius est in terris humani generis origo deducta. Revera tamen a Maria virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat et viventium Maria sit mater. Quocirca viventium mater adumbrata similitudine Maria dicitur . . . Eva illa prior sapiens mulier Adamo, quem ipsa nudaverat, aspectabilia quaedam vestimenta contexuit: quippe hujusmodi labore est damnata . . . At Mariae divinitus illud obtigit, ut agnum nobis atque ovem pareret, cujus ex splendore ac gloria tamquam e vellere per ejusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter est confecta. Aliud praeterea in utraque, Eva scil. et Maria, considerari potest et quidem admiratione dignum: siquidem Eva generi hominum causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta; Maria vitae causam praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta.«

4. Quare sicut Eva jungitur Adamo causae principi in ordine lapsus, ruinae, mortis: ita ex opposito in ordine reparationis et salutis sociatur mulier cum semine conterente serpentis caput Gen. 3, 15, cum Emmanuele virgo Is. 7, 14; radix cum flore Is. 11, 1 (patrum explicationem cf. Passaglia l. 1 s. 5 c. 2); femina circumdans virum Jer. 31, 22; mater cum Jesu, qui salvum faciet populum suum Matth. 1, 22, benedicta cum benedicto fructu suo Luc. 1, 42; puer cum Maria matre ejus Matth. 2, 11; mater cum infante, qui lumen est ad revelationem gentium et gloriam plebis Israel Luc. 2, 32; mulier cum filio, qui coelitus fuit missus, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus Gal. 4, 4. 5; mulier sole amicta cum filio, qui recturus est omnes gentes in virga ferrea Apoc. 12, 1 ss.

5. Hinc triplex oboritur relatio seu respectus b. Virginis: **a.** relatio oppositionis ad Evam: quapropter Maria et Eva oppositis plane praedicatis describuntur, ut patet ex testimoniis supra allatis; ideoque dum Eva maledicto subjicitur Gen. 3, 16, *benedicta in mulieribus* Maria ab angelo salutatur Luc. 1, 28. Cf. Thomas in expos. sal. ang. n. 9. 10. **b.** Relatio concausae (instrumentalis) cum Christo in reparationis opere; ex quo fit, ut multiplex similitudinis atque consortii habitus inter Christum hominem et Mariam genitricem exsistat, et ea, quae Christo primario et ex sese competunt, Mariae secundum analogiam et ex filio in matrem redundantiam tribuantur: quae paucis complectitur Anselmus or. 51: „O femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis,

per quam elementa renovantur, inferna remediantur, daemones conculcantur, homines salvantur, angeli redintegrantur! O femina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic revirescit omnis creatura." Cf. 578[a] b. Habitus denique **c.** maternitatis in ordine salutis prae universo genere humano redempto, adeo ut ipsi excellentiori longe ratione nomen conveniat matris viventium quam Evae, ut Epiphanium audivimus docentem.

Atqui triplex hic habitus, quo Maria constanter Evae in ordine opponitur lapsus, in reparationis opere sociatur Filio, nova et praestantior est Eva et vere viventium mater: clare ostendit, b. V. Mariam ad ordinem lapsus non spectare et vel ab originibus illius ordinis fuisse participem ideoque et vitae consortem, quam peccato protoparentum amisimus, restituit vero Dei Filius caro factus i. e. Dei Genitricem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam propter ejus arctissimam cum Filio conjunctionem. Cf. Passaglia s. 6 c. 2. 4. 5.

494. *Quintum* denique *argumentum* derivamus *ex protoevangelio* Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* [1]). Quod testimonium considerandum est in lumine revelationis, quae gradatim usque ad Christum crevit, exsecutionis et interpretationis ecclesiasticae. Atqui hoc triplice lumine claret *semine mulieris* designari si non exclusive, in primis saltem Christum Jesum Redemptorem nostrum, cujus virtute contritum fuit caput serpentis i. e. diaboli.

Haud immerito interpretes regulis hermeneuticae innixi tuentur, nomine *seminis mulieris* designari Redemptoris personam, ideoque nomine *mulieris* non Evam sed Redemptoris matrem i. e. Mariam: nam notant **a.** nomen quidem *seminis* saepe in s. Scriptura collective accipi, non tamen *semen mulieris*. **b.** Semen *mulieris* eum tantum apte dici posse, qui de patre humano non conceptus natus solum est ex matre virgine, quod unius Redemptoris proprium praedictum est Is. 7, 14. Quare **c.** hoc semen non aliud esse atque illud, cujus fit mentio Gen. 22, 18, quod Christum esse authentice docet Paulus Gal. 3, 16. 19. Et revera **d.** vix intelligi, quid sit *calcaneum* seminis mulieris, si hoc non singulariter de Christo, sed collective de omnibus ejus asseclis accipiatur. Ad haec **e.** credibile omnino esse, cum in statu lapsus salus non sit nisi per Christum, hunc statim ab initio humano generi fuisse propositum, ut in eum omnes crederent atque sperarent. Neque obstat **f.** serpentis *semen* accipi collective, cum evidens sit vel ex ipso contextu, multo magis ex reliquo revelationis lumine, semen in utroque inciso non accipi univoce eademque ratione. Accedunt rationes, quae evincunt nomine *mulieris* non designari Evam. Si enim

---

[1]) Praetermittimus quaestionem *criticam,* utrum legi debeat: *Ipsa* (mulier) an *ipsum* (semen) conteret caput tuum. Si ratio habetur sive textus hebraici, sive versionis LXX, semen videtur esse subjectum.

a. nomine *seminis mulieris* intelligendum esset humanum genus, mentio potius facta fuisset Adami, hujus enim semen sunt homines. Et revera **b.** nihil dein narratur de Eva, ex quo possit colligi eam fuisse divinitus electam ad inimicitias gerendas contra daemones, neque ejus semen adeo excelluit in pugna cum daemone: potius fere deletum fuit diluvio ob sua peccata. Imo **c.** si patres audimus (n. 593) alia praestantior mulier Evae fuit substituta, quod ipsa suas partes adeo male egerit.

Hac interpretatione sane legitima praestituta mirus in protoevangelium splendor refunditur: illius verba sunt prophetica, plena novique ordinis ad ruinam reparandam divinitus instituendi gravida. Satanae enim de sua victoria, qua ordinem originalem divinitus institutum subverterat in hominum perniciem, triumphanti Deus ad ipsius confusionem praedicit, se novum ordinem ipsi prorsus fatalem instituturum, *ponam* [1]), ego omnipotens, auctor et dominus universi, ultor injuriae mihi illatae et humani generis in ruinam impulsi vindex, ponam ordinem novum, qui non amplius frustrari possit, sicut praecedens, quamvis omnem adhibiturus sis conatum. *Inimicitias ponam inter te et mulierem. Quia fecisti hoc* (v. 14) i. e. quia fallacem cum muliere Eva simulasti amicitiam, qua fausta accepisti auspicia triumphi in hominum perniciem: ideo ego aliam suscitabo mulierem priori praestantiorem, quam inter et te veram firmabo inimicitiam, ut quantum tibi prior favorabilis exstitit et propitia, tantum altera infesta sit ac funesta; et sicut per mulierem in ruinam traxisti humanum genus, ita ego per mulierem novum suscitabo semen generis redemptorem, qui plenum de te reportabit triumphum genusque humanum lapsum reparabit. Sicut ergo dissidium inter semen, quod est Christus et daemonis semen (*peccatores* peccato naturae i. e. peccato originali infectos, a daemone propemodum satos, vel, ut aliis videtur, vitium ipsum daemonis fraude in naturam inductum) ne morulam quidem admisit pacis, sed fuit plane originale, a prima scil. seminis illius origine: ita

---

[1]) Haud inepte expressit hujus verbi sensum auctor ep. de viro perfecto inter opera spuria s. Hieronymi ed. paris. 1706 t. V. p. 52, quam Vallarsi incunctanter, sed immerito, s. Maximo taur. adscribit. Ita in ea inter alia legimus (pag. 57): „Mater itaque D. N. J. Christi in illa jam tunc muliere promissa est. Haec inimicitiis opposita est serpentis. *Ponam,* inquit, *inimicitias inter te et mulierem:* non certe *pono* dicit, ne ad Evam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. *Ponam,* inquit, *inimicitias inter te et mulierem.* Illam utique mulierem, quae Salvatorem parturiat, non quae generet fratricidam. *Ponam,* inquit, *inimicitias inter te et mulierem,* quae repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, si aut suavitatem pomorum pro adapertione monstraveris oculorum, aut diis similem esse promiseris: sed etiam ipso Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat novitate dicendo: *Quemadmodum erit istud, quoniam virum non cognosco* (Luc. 1, 34)?“ Cf. de argumento ex Gen. 3, 15 deducto Palmieri th. 87; Patrizi de immaculata Mariae origine a Deo praedicta disquisitio; Billot de Verbo inc. p. 2 c. 1 in q. 27—30.

etiam inimicitia inter Redemptoris matrem, in qua eadem post Christum attigit suum fastigium, et daemonem originalis fuit adeo ut nullum unquam admiserit consortium hujus mulieris cum adversario. Brevius, omnia exigunt, ut verba Gen. 3, 15 sensu plenissimo adimpleta censeantur in Christo Jesu Redemptore ejusque sanctissima matre. Atqui sensus plenus exigit, ut, sicut inter Filium Mariae et daemonem nullum exstitit unquam consortium, ita neque inter ejus matrem et daemonem fuerit conjunctio, sed potius inimicitia summa. Quare nunquam mulier illa fortis, quae peperit daemonis peremptorem, daemoni fuit obnoxia, nunquam amica, semper inimica, ideoque Deo grata et a quovis peccato immunis.

595. Neque improbabilis videtur illatio ex salutatione angelica Luc. 1, 28. Scias enim **a.** hanc salutationem esse plane solemnem coelitus allatam per archangelum Gabrielem, **b.** singularem prorsus, nunquam ante auditam, qua **c.** propemodum inauguratur nova Messiae oeconomia. Quare **d.** omnia exigunt, ut accipiatur sensu pleno, tantae matri et Deo digno (n. 585). Quo sensu accepta gratiae plenitudo intensiva et extensiva nullam unquam admittet gratiae carentiam excludetque omnem prorsus peccati maculam, singularis cum Deo conjunctio censeri debet perennis, nunquam interpolata, originalis; benedictio tam eminens conciliari nequit cum ullo maledicto praesertim peccati. Ergo Maria sistitur Virgo plane immaculata, originaliter benedicta.

596. **Thesis CLXIII.** ***Neque 1. propositiones universales Scripturae et patrum, quibus edicitur, omnes in Adamo peccasse omnesque a Christo esse redemptos; neque 2. silentium patrum primorum Ecclesiae seculorum de hoc b. V. Mariae privilegio; neque 3. patrum effata, quibus affirmant, solum Christum, singularis conceptionis privilegio, peccati fuisse expertem, carnem Virginis fuisse carnem peccati, eam fuisse a Spiritu sancto mundatam et purificatam; neque denique 4. s. Bernardi oppositio adversus festum conceptionis b. V. Mariae et s. Thomae doctrina evincunt, Mariae V. conceptionem peccato originali fuisse infectam.***

Demonstratio p. I. Certum est, plane universales esse propositiones, quibus s. Paulus et post Paulum patres affirmant, omnes in Adamo esse mortuos, peccasse, peccato Adami fuisse infectos. Verum inde tantum sequitur, neminem licere ab iis eximere, nisi de ejus exceptione certo constet. Atqui certo nobis constat, b. Virginem utpote Dei matrem intuitu meritorum Christi fuisse exceptam. Constat

1. de hac exceptione infallibili Ecclesiae magisterio, cujus est revelationis instrumenta authentice interpretari. Ea confirmatur

2. conjectura, quam innuit pius scriptor antiquus [1]): „Non immerito excipitur (Maria) a quibusdam generalibus vera aestimatione, quam tanta servat gratia et attollit dignitatis praerogativa.“ Et sane quid universalius lege illa, qua conceptione et partu feminarum tollitur virginitas? Atqui ab hac lege excepta est sola b. Virgo. Quare acute auctor cit. suam confirmans conjecturam subjicit: „Quantum gratia possit, Mariae monstrat integritas.“ Huc spectat aurea s. Augustini regula de nat. et gr. c. 36 n. 42: „Excepta itaque s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem: inde (al. unde) enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum,“ quae non tantum de peccato actuali, verum etiam de originali esse intelligenda, ostendit Passaglia n. 1259 ss., qui praefert lectionem *inde* pro *unde*. Cf. Plazza act. 2 a. 3 test. 19. Constat de exceptione

3. patrum testimonio, qui eam vel aequivalenter vel diserte tuentur.

Aequivalenter quidem eam significant patres, quoties Mariam salutant solam, semper, totam immaculatam; neque enim sola vel semper vel tota esset immaculata, si cum ceteris omnibus vel ad momentum, etsi in origine tantum, culpae naevo fuisset infecta. Ita Leoni Augusto († 911) Maria est [2]) »perpetuo lumine collustratum candelabrum;« Andreae cretensi [3]) »germen semper viride semperque floridum;« Paulo diacono (fl. sec. VIII) »virga vitiositatis nodis funditus carens [4]).« — »Te excepta, Domina, legimus in menaeis ecclesiae graecae ad 9. Sept., nemo est inculpatus;« 20. Aug. »sola incorrupta et omnis labis funditus expers; in anthologia 9. Dec. »sola omni ex parte immaculata.« — »Ad hunc paradisum, inquit Damascenus [5]), serpenti aditus non patuit, cujus falsae divinitatis cupiditate flagrantes jumentis sumus comparati.« Huc spectant argumenta omnia, quibus immaculatus V. probatur conceptus.

Diserte vero eam excipiunt copti in suis theotokiis (quorum summa est antiquitas) canentes (p. 43): »Tu ex Adam sine seductione creata es: tu ex Eva effecta homo libera a doloribus partus ac morte.« — Graeci in suis menaeis d. 4. Maj. od. 6 eam salutant: »Evae quidem auribus perversissimus serpens venenum infudit: tu vero sola ipsum a te repulisti, o Dei mater, quae ejusdem interemptorem genuisti!« — Secundum Joannem Geometram Maria »vitii nostri nihil contraxit [6]);« secundum Pasch. Radbertum [7]) »ab omni contagione primae virginis est aliena;« secundum Theodotum ancyr. (fl.

---

[1]) Hom. de assumpt. b. M. V. c. 4 inter op. spuria s. Augustini (Mig. 40, 1145), quae olim adscribebatur s. Hieronymo. Similia habet Pasch. Radbertus de partu virg. l. 1 n. 2. Cf. supra n. 588[6].

[2]) Or. in Deip. dormit. [3]) Or. in Deip. nativ.

[4]) Or. in Deip. assumpt. [5]) In Deip. dorm. h. 2 n. 2.

[6]) Hymn. 3 in Deip. v. 17. [7]) De perp. virg. b. M. V.

sec. V): »Qui antiquam illam virginem sine probro condidit, ipse et secundam sine noxa et crimine fabricatus est. [1]« — »Hodie Adam, inquit Andreas cret., ex nobis pro nobis primitias Deo offerens, Mariam primitias facit, et quae ex tota massa non erat inquinata, per ipsam fit panis ad generis reformationem [2].« — S. Sabas de Maria pronunciat od. 14 (Wagnereck Pietas mariana p. 212): »In te primi parentis substitit lapsus, ultra progredi facultate sublata.« Cf. n. 605 [3].

Audiantur aliquot hymni. Prudentius Cathemer. 3 v. 146 ss.:

Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua femineis
Vipera proteritur pedibus.

Edere namque Deum merita
Omnia virgo venena domat;
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit
Gramine concolor in viridi.

Quae cum clara sint, clarissima redduntur verbis donationis factae (sec. XI) ab Ugone de Summo, in qua faciendam praescribit: »Unam nobilem et pulchram statuam de ligno incorruptibili sive de marmore ... quae repraesentet imaginem ejusdem s. Mariae matris nostrae coronatae duodecim stellis, in cujus ampla superveste sint sol et luna, et sub pedibus ejus habentem antiquum serpentem, cui in paradiso terrestri a Deo dictum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem* etc. (Gen. 3, 15). Volo autem, ut serpens ita sit sculptus, ut frustra virus inermis videatur vomere, et nequissimum ejus caput sic b. Virgo forti pede conterat, uti decet illam, quae gratia Filii ab originali labe anticipata redemptione praeservata semper fuit tam anima tam corpore integra, et ordino, ut omni anno in festivitate immaculatae conceptionis b. Mariae matris Dei in eodem oraculo in missa . . . canatur tropus:

Candidissima ut lilia
Salve aeterni Patris filia.
Salve mater Redemptoris,
Salve sponsa Spiratoris.

Sine macula concepta,
Salve Triadis electa.
Salve inferni victrix aspidis
Illius expers sola cuspidis.
»Salve Triadis electa
Sine macula concepta.«

In quod insigne christianae antiquitatis monumentum cf. quae doctissime annotat Ballerini Sylloge monument. I, 1 ss. ed. Parisiis 1885. Similia habentur jam in hymno, qui probabiliter videtur s. Ephraemi (sec. IV), vel saltem non est auctoris posterioris ex brev. Nestorianorum:

---

[1] Or. in Deip. et s. Simeon. n. 5. [2] Or. in Deip. nat.

Satanas autem mansit obstupefactus,
Uti et ipse derisus est,
Cum nunciatum fuit Annae
Prophetissae de prole.
Non cecidit in rete daemonis.
Neque ipsius arte et adinventis supplantata,
Neque in ejus puritate posuit unguem
Adversarius cum viribus suis.

(Civiltà catt. 1876 t. 12 p. 548.)

4. Ut secundum omnem theologiae rigorem difficultas solvatur, Suarez disp. 3 s. 2 ex ordine statuit: »Dicendum censeo primo, absolute et simpliciter fatendum esse, b. Virginem in Adam peccasse. Probatur, quia Paulus ad Rom. 3 et 5 absolute dicit omnes peccavisse in Adam et ideo indiguisse redemptione. Ergo non potest magis b. Virgo ab una quam ab alia generali clausula excipi... Dico secundo, b. Virgo ex vi suae conceptionis fuit obnoxia originali peccato, seu debitum habuit contrahendi illud, nisi divina gratia fuisset impeditum:« quod censet ita certum ut sine errore negari non possit (n. 587). Hinc tamen non sequitur, b. Virginem contrahere debuisse revera peccatum originale, »quia prior illa lex non includit absolutam ac definitam Dei voluntatem, ut peccante Adamo omnes filii sine gratia conciperentur, sed perderent jus ad gratiam, et ideo quantum esset ex vi conceptionis, sine illa conciperentur: non tamen privavit se Deus jure et libertate miserendi cujus vellet et quando vellet.« Perbelle applicat huic quaestioni Ulpiani verba in lege *Princeps:* »Princeps legibus subditus non est: Augusta vero licet sit subdita, princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipse habet.« Ita Christus nullatenus legi peccati originalis fuit obnoxius; ejus vero mater per se quidem fuit obnoxia, Filius tamem ipsam sui privilegii ex gratia reddidit participem. Apte huc transferuntur verba quoque Assueri ad Esther reginam, Mariae typum: *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus* (qui reginae praerogativa non potiuntur) *haec lex* (alioquin universalissima) *constituta est* Esth. 15, 13. Cf. Passaglia s. 5 c. 3.

597. Ut altera exceptio solvatur, duplex distinguatur redemptio: altera qua quis praeservatur a captivitate, quam alioquin inevitabiliter incurreret; altera, qua quis ex captivitate, in quam jam incidit, liberatur. Quamvis Dei Genitrix redempta non fuerit eo redemptionis genere, quae consequitur captivitatem; praestantiori tamen redemptione cautum fuit, ne in eam incideret. Cf. n. 588[4]. 596[3].

598. **Demonstratio p. II.** Exceptio petita ex silentio vetustissimorum patrum innititur

1. falso supposito, illos scil. tantum audiendos esse patres in rebus fidei, qui seculorum longaevitate incanuerint. Atqui hoc suppositum falsum esse ostendimus (cf. t. I. n. 134).

2. Ea supponit doctoratus charisma exspirasse jam sec. III. et IV. Atqui illud perdurat ad finem usque seculi Matth. 28. 20; Eph. 4, 11.

3. Ceterum falsum est, patres vetustissimos siluisse: argumento enim praescriptionis contrarium evincitur. Neque enim aliunde Ecclesia posteriorum seculorum, quae semper fuit novitatis osor, antiquitatis tenax, fidem suam quam a majoribus praecedentium seculorum accepit.

4. Quodsi hanc veritatem non ita clare docent, aequipollenter, virtute et implicite illam satis tradunt, cum Virginem Matrem Deo dignam, angelis puriorem, alteram Evam, reparationis mediatricem etc. salutant.

5. Hinc si quis ex patrum vetustiorum silentio inferat, dogma esse novum, triplicem doctrinae novitatem distinguimus: novitatem originis seu revelationis, propositionis et explicationis. Falsum porro est, hoc dogma esse novum novitate originis; coaevum enim est ipsi revelationi christianae; nam continetur, ut vidimus, revelationis deposito. Novum quidem est novitate propositionis, cum antea explicite credendum ab Ecclesia non fuerit propositum; novum forte etiam novitate disertae explicationis, cum primis Ecclesiae seculis non ita explicite cum clara exclusione oppositae sententiae traderetur: quam novitatem non adversari fidei ostendimus t. I. n. 149.

6. Non tamen desunt testimonia satis diserta ex seculis V. et IV., quae passim disputationis cursu dedimus. Cf. n. 592[4]; 596[3].

599. **Demonstratio p. III.** Testimonia patrum contra immaculatam Virginis conceptum collegit prae ceteris Bandellus O. Praed. in l. de singulari puritate et praerogativa conceptionis Salvatoris N. J. C., Bononiae 1481, in quo 216 patrum et doctorum effata adducit, quae dein Petrus a Vicentia exscripsit. Ad pauciora illa revocat Turrecremata in l. de veritate conceptionis; ad 40 Capreolus; ad 15 Cajetanus de conc. b. V. et Canus de locis theol. VII, 1 concl. 4. Verum pleraque sunt aut spuria aut praeter rem. Quae vim aliquam habent, adducunt Petavius XIV, 2 et Lampridius (Ant. Muratori) in l. de superstitione vitanda, qui a sec. III. usque ad seculum s. Bernardi triginta ordine chronologico affert. Cf. Perrone p. 1 c. 6; Plazza act. 2 a. 2; act. 7 n. 229 ss.

Illa ad quaedam capita revocemus. **1.** Plures ex patribus, qui opponuntur, inculcant, solum Christum fuisse omnis expertem peccati, et quidem ideo, quia ipse fuit Filius Dei solusque conceptus de Spiritu s. Quod cum affirmant, inculcare volunt, Christum non solum a peccato fuisse praeservatum, sed peccatum ad eum prorsus non pertinuisse; eum non tantum actu fuisse immunem a peccato, sed et a quovis debito; imo eum ne potuisse quidem peccato inquinari; idque non ex gratia et privilegio, sed naturaliter et jure proprio vi ipsius conceptionis. Atqui talem a peccato immunitatem Virgini non vindicamus.

2. Alii Virginis carnem dicunt carnem peccati. Verum patres aliqui idem vel de carne Christi affirmant, quem profecto peccato obnoxium non crediderunt; vel de carne Deiparae pro ipso incarnationis tempore,

quo certo nulla peccati macula fuit inquinata. Quare haec loquendi ratio per se non probat, b. Virginem fuisse peccato originali a c t u infectam, eodemque fere modo explicari poterit, quo ea de carne Christi adhibita intelligi solet. Significare scilicet volunt, carnem Virginis derivatam esse ex peccatoribus, carni peccato infectae fuisse consubstantialem; vel forte etiam eam non sine concupiscentia esse propagatam.

3. Nonnulli dicunt, Virginem gratia fuisse m u n d a t a m, purgatam etc. Sed scias triplicem esse mundationem: unam, qua maculae contractae eluuntur; alteram, qua quod mundum est, mundius redditur; tertiam, qua quis munditie donatur, ne sordescat et ut a maculis praeservetur. Atqui b. Virgo in sua conceptione non primo vel altero, sed tertio mundationis genere fuit mundata. Quapropter patres, quo clarius mentem suam exprimant, quandoque dicunt eam fuisse p r a e m u n d a t a m, praesanctificatam, sanctitate scil. praevertente omnem maculam. Ceterum tam paulum obest haec loquendi ratio, ut etiam dicant, b. Virginem tempore annunciationis purgatam fuisse ad digne concipiendum Verbum, quo tamen tempore profecto fuit sanctissima, utpote *gratia plena* et *benedicta inter mulieres* ex ipsius angeli testimonio (Luc. 1, 28). Cf. P a s s a g l i a n. 1543 ss.; C o u s t a n t praef. ad op. s. Hilarii n. 51.

600. Cum vero ita patrum effata, quae objici solent, explicare conamur, non contendimus, nullum patris effatum esse, quod veritati, quam defendimus, adversetur. Ultro enim concedere possumus, esse patres, qni immaculato b. Virginis conceptui favere non videantur, quin propterea dogmati catholico sit timendum. Si enim Cyprianus cum integris conciliis in re practica atque quotidiana errare potuit; si fere nullum est dogma, contra quod non possint obscura quaedam et difficiliora patrum effata objici: quid mirum, si de hoc dogmate in Scriptura non evidenter expresso, antequam ad liquidum est perductum expliciteque ab Ecclesia credendum propositum, unus alterve ex veteribus minus clare et exacte scripserit?

601. **Demonstratio p. IV.** Quod difficultatem attinet ex s. B e r n a r d i ep. 174 petitam, notamus, s. doctorem canonicos lugdunenses redarguere, quod inconsulta sede apostolica adoptaverint festivitatem conceptionis b. Mariae V. tunc novam: conceptionis vero cultum propterea impetere, quod careat objecto. Verum Bernardus prae oculis habere videtur conceptionem a c t i v a m seu seminalem vel generationem, quatenus est opus parentum, ut tunc temporis conceptionis vox accipi solebat: ut colligitur tum ex auctoritate veterum doctorum, qui paulo post B e r n a r d u m floruere et ipsum ita interpretati sunt, ut A l e x a n d e r halensis, A l b e r t u s M., d. T h o m a s et B o n a v e n t u r a, tum ex ipso contextu. Scribit enim in ep. illa n. 7: »Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus jam sancta conciperetur ac per hoc sanctus fuerit et conceptus: quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur, ut sanctus consequeretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse quam esse; siquidem non erat, antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quo-

modo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit?« Quae impugnant quidem sanctitatem et cultum conceptionis activae; sed ad rem non videntur esse, si referuntur ad sanctitatem cultumque conceptae animataeque Virginis. Quare cum de alia conceptione loquatur Bernardus, de alia sit sermo in dogmate, immerito illius doctrina huic contraria affirmatur. Cui haec responsio non placet, responsum dabimus Benedicti XIV. in comment. de festis b. Mariae V. n. 188 scribentis: »Difficile est ejusmodi tueri interpretationem, ut optime animadvertit Mabillonius in notis ad eandem ep. Quapropter concinnior responsio est, argumenta d. Bernardi ab aliis quam plurimis, qui hac de re scripserunt, satis esse eversa: praecipuum scopum, quo ille intenderit, fuisse auctoritatem apostolicae sedis, qua inconsulta invectam videret festivitatem in ecclesiam lugdunensem; ac propterea si viveret et ad immaculatam conceptionem sedem apostolicam esse intelligeret propensiorem ejusque auctoritate in tota Ecclesia hanc peragi celebritatem videret, disciplinam hanc romanae sedi tantopere probatam statim amplexurum, cujus judicio epistolam illam subjecerat.« Cf. Ballerini in diss. de s. Bernardi scriptis n. 20 ss. t. II. sylloges; Passaglia n. 1649 ss.; Perrone l. c. p. 1 c. 15 § 2; Scheeben KL. IV, 469.

602. **Demonstratio p. V.** Gravior est difficultas circa s. Thomam, de cujus mente quadruplex est principalis sententia. Prima statuit, d. Thomam immaculato conceptui adversari, quod tuentur plerique theologi (definitione saltem vetustiores) ex ordine s. Dominici et alii, qui propter illius auctoritatem hanc veritatem tamdiu negarunt [1]). — Secunda contendit, d. Thomam immaculatam Virginis conceptionem docere: locos vero (circa 15), in quibus contrarium adstruere videtur, plus minusve corruptos censet [2]). — Tertia statuit d. Thomam, sibi non satis in hac quaestione constitisse, cum negari nequeat, aliquoties eum dogmati favere catholico, aliis vero in locis illi adversari [3]). — Quarta censet, d. Thomam non adversari doctrinae catholicae vel saltem id testimoniis objectis certa ratione probari non posse [4]).

---

[1]) Recentiori aetate Knittel in Tüb. Qtlschr. 1879 p. 355 ss.; Schwane Dogmengesch. t. II § 94; quadamtenus Scheeben n. 1708; qui sagaciter controversiam, qualis in scholis agitabatur exponit; Toebbe die Stellung des h. Thomas v. A. zu der unbefl. Gottesmutter, Münster 1892 etc. Cf. Quodl. 6 q. 5 a. 7.

[2]) Ita Velasquez, P. de Alva, Nieremberg, Sfondrati, Frassen, ex recentioribus Lambruschini, Gual etc. Verum Bernardus Maria de Rubeis in dissert. criticis et apologeticis pro operibus s. doctoris omnem corruptionis suspicionem excludere nititur.

[3]) Ita Salazar, Malou de im. concept. b. V. t. II c. 13 etc.

[4]) Cf. recentiori aetate Spada in animadversionibus, quas proposuit in opus J. B. Malou ep. brugensis; Cornoldi in opusc.: sententia d. Thomae de immunitate b. Virginis a peccati originalis labe, Neapoli 1870; Morgott die Mariologie des Thomas v. A. IV b., qui plures quoque theologos vetustiores pro hac sententia citat; fuse admodum Schneider Kathol. Wahrheit t. 8. 9 etc.

603. Ultima sententia plus minusve ad haec principia revocatur: **1.** Certum est, d. Thomam et aequivalenter et diserte docere, b. Virginem a peccato originali fuisse immunem. Et aequivalenter quidem, quoties docet b. Virginem post Deum maxima nituisse puritate, summa praeditam fuisse gratiarum plenitudine, Christo fuisse proximam etc. »In Christo, inquit in expos. in Ps. 14, et in V. Maria nulla omnino macula fuit;« »corpus suum posuit (Dei Filius) in sole i. e. in Maria, quae nullam habuit obscuritatem peccati.« Ita in Ps. 18; cf. et 3 p. q. 27 a. 3 ad 3. — Diserte dogma catholicum tuetur in 1 d. 44 q. 1 a. 3 ad 3: »Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas b. Virginis, quae a peccato originali et actuali fuit immunis. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.« Cf. d. 17 q. 2 a. 4 ad 3. Negari vero nequit

2. reperiri apud ipsum testimonia, quae huic adversari videantur doctrinae. Ita in 3 d. 3 q. 1 a. 1 qcla 2: »B. Virgo in originali peccato concepta fuit;« 3 p. q 14 a. 3: »Caro Virginis concepta fuit in originali peccato«; in Comp. theol. c. 224: »Oportuit, ut cum originali conciperetur peccato, utpote quae ex utriusque sexus commixtione concepta fuit etc.«

3. Tamen oppositio est tantum in verbis, non in ipsa re. Nam hisce in locis d. Thomas de alia loquitur conceptione, de alio peccati originalis subjecto, de alia peccati originalis ratione atque dogma.

4. Sane quod primum attinet, d. Thomas illis in locis non videtur loqui de conceptione passiva seu de creatione et infusione animae, de animatione foetus, vel ut etiam dicitur de conceptione personae, de qua loquitur dogma; sed de conceptione activa, de conceptione primi foetus, seu de principiorum seminalium unione, quae infusionem animae, animationem, diu (secundum scholae principia) praecedit. — Quod alterum attinet, s. doctor non animam Virginis exhibet subjectum peccati originalis, sed corpus nondum animatum, primum foetum, quem censebat non illico post conceptionem animari anima rationali. — Quod tertium spectat, peccatum originis, in quo dicit b. Virginem vel ejus carnem conceptam, non formaliter, sed virtualiter seu instrumentaliter, hinc improprie est accipiendum: ut liquet ex q. 4 de malo a. 3: »Manifestum est, quod esse susceptivum peccati est proprium hominis: unde oportet, quod proprium subjectum peccati cujusque sit id, quod est proprium hominis, scilicet anima rationalis, secundum quam homo est homo et sic peccatum originale est in anima rationali, sicut in proprio subjecto (i. e. formaliter); semen autem carnale, sicut est instrumentalis causa traductionis humanae naturae in prolem, ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis et ita peccatum originale est in carne, i. e. in semine carnali, sicut in causa instrumentali (i. e. virtualiter).« Quod ita expressit Magister sententiarum 2. d. 31: »In conceptu dicitur peccatum transmitti, non quia peccatum orginale ibi est, sed quia caro ibi contrahit id, ex quo peccatum fit in anima cum infunditur.« — Alexander halensis 1. p. summae q. 11 m. 1: »Peccatum non dicitur esse in carne formaliter, sed causaliter: quia in carne est, unde postea contrahit anima peccatum.« Quare cum alia sit conceptionis significatio, aliud peccati originalis subjectum, alia peccati originalis ratio secundum Thomam in locis objectis, atque in definitione catholica, concedi poterit pugna in verbis, non vero de re.

5. Neque obesse videntur **a.** quae docet 4. d. 13 q. 1 a. 3 ad 3: »Hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur praeter Christum: quia ille, qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione, quae facta est per Christum et sic non esset Christus omnium redemptor.« Ad haec enim explicanda sufficit, ut putaverit, b. Virginem non fuisse praeservatam ab originali peccato in conceptione foetus, ante animationem: seu in foetu, qui animae praecessit infusionem, peccatum originale fuisse virtualiter sicut in causa instrumentali adeo, ut nisi haec causalitas virtute divina fuisset suspensa et praepedita, anima mox infundenda maculata fuisset peccato; quae doctrina non differt a theologorum sententia, qua incolumi dogmate statuunt, b. Mariam V. debito proximo contrahendi peccatum originale fuisse obnoxiam. Neque obstat **b.** d. Thomam affirmare 3. p. q. 27 a. 2, Mariam sanctificatam fuisse post animationem. Possunt enim haec intelligi de posterioritate non temporis, sed naturae, quod etiam secundum dogma catholicum admittere licet. Neque enim sanctificari potuit Virgo, antequam esset anima, cum ipsa anima sit subjectum gratiae; d. Thomas vero nonnisi sanctificationem nescio quam antecedentem, qua b. Virgo immunis esset vel a debito contrahendi peccatum, exclusam voluit. Non dissimili ratione **c.** explicari poterit locus omnium difficillimus (qui tamen a nonnullis corruptus censetur) 3. d. 3 q. 1 a. 1 sol. 2, cujus videtur esse sensus: Sanctificatio b. Virginis non potuit esse ante infusionem animae, quia ea, ut exsistebat in semine concepto aut foetu inanimi, gratiae capax nondum erat. Neque etiam in ipso instanti infusionis animae ita, ut gratia tunc sibi infusa aut hujus intuitu eadem Virgo ante animationem in semine concepto et in foetu inanimi fuerit immunis a debito contrahendi peccati originalis seu immunis a culpa originis virtualiter tantum accepta.

6. Quare ut omnia paucis complectamur, censent hi theologi d. Thomam docuisse, b. Virginem conceptam quidem fuisse cum debito contrahendi peccatum originis; demonstrari tamen non posse juxta ipsum ejus animam, cum corpori conjungeretur, actu contraxisse peccatum proprie dictum. Quibus et alia patrum et theologorum scholae testimonia implexa illustrantur.

604. **Thesis CLXIV.** ***Succedit alia b. Dei Genitricis Mariae praerogativa, qua singulari divinae gratiae privilegio immunis creditur a quovis peccato actuali, etiam veniali.***

Declaratio. Thesis est contra primipilos protestantium, quorum inconditas voces b. Canisius de Maria V. praef. I, 10 refert refellitque. Fatendum tamen est, etiam ex patribus aliquos parum commode hac de re sensisse, adeo ut Petavius allatis verbis Chrysostomi, Basilii et Cyrilli al. subjiciat XIV, 1: »Haec trium summorum virorum praepostera sunt judicia de Dei Matre ss. Virgine, quae nemo prudens laudare possit. Inter catholicos vero hac de re nulla est hodie controversia: horum enim nemo est, qui non ab omni inquinatione peccati etiam levissimi puram fuisse ss. Dei Genitricem existimet. Dixi hodie catholicum dubitare neminem. Nam non videtur olim id in fidei dogma fuisse receptum, cum sancti et alioquin b. Virginis studiosissimi patres parum interdum de ea commode scripserint, levissimis inducti rationibus, imo nullis.« Solemnitur declarata fuit haec veritas a conc. tridentino sess. 6 can. 23: »Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privi-

legio, quemadmodum de b. Virgine tenet Ecclesia, A. S.:« ex quo sequitur thesim esse si non de fide, fidei saltem proximam.

605. **Demonstratio. 1.** Probatur argumento proposite n. 592; nam cum Virginis idea et puritate, qualem illam fovebat christiana antiquitas, ne levissimi quidem peccati macula conciliari potest;

2. ex solemni Augustini doctrina, quam cf. supra n. 596[2];

3. ex disertis veterum effatis, quae dedimus n. 591[4] et 596[3].

Quibus adde speciminis gratia verba s. Joan. Damasceni or. 2 in Deip. nativ. n. 4: »Terra est, in qua nulla peccati enata spina, secus vero per cujus germen illud potius evulsum est; terra est, non uti prior maledicta et cujus fructus spinis et tribulis horrescant, sed super quam benedictio Domini fuit.« — A graecis in menaeis ad 12. Febr. salutatur: »A seculo tu sola purissima ab omni macula propter micantes radios puritatis et propter pulchritudinem virginitatis et propter charismata quamlibet labeculam repellentia digna apparuisti.« — Denique s. Bernardus ep. 174 n. 5: »Copiosior sanctificationis benedictio in eam descendit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret redemptorem, munus vitae et justitiae omnibus obtineret.« Cf. Vega theol. marianae palaestra 7 cert. 4 n. 775 s.; pal. 9 cert. 1; Passaglia n. 1546.

4. Hanc sententiam schola unanimis tuetur cum s. Thoma 3. p. q. 27 a. 4. Quapropter infert Suarez d. 4. s. 3, de fide certum esse „b. Virginem nunquam amisisse gratiam, quam in prima sanctificatione accepit, atque adeo in illa fuisse confirmatam et infallibile donum perseverandi accepisse. Fundamentum sumitur ex consensu et traditione Ecclesiae, quae hoc modo intelligit plenitudinem gratiae Virginis."

606. **Scholion.** B. Mariae V. puritas et sanctitas tanta fuit, *ut immunis esset* etiam *ab ipso concupiscentiae fomite.* »Convenit inter theologos in 3. dist. 2, inquit Valentia d. 2 q. 1 p. 4, per secundam quidem sanctificationem Virginis, quae facta est, cum superveniente in illam per abundantissimam gratiam Spiritu s. Christum concepit, fuisse eam plene liberatam a fomite peccati: quatenus scilicet per abundantiam illam et singularem gratiam quasi redundantem ex sanctitate carnis Christi tunc concepti factum fuerit, ut sensualitas Virginis non potuerit potentia quadam proxima spectatis iis gratiae donis, quae in ipsa Virgine inerant, prodire in motus rationi rectae contrarios.« Quod tempus annunciationem b. Virginis praecedens attinet, conveniunt theologi, fomitem in ea fuisse saltem ligatum ac velut consopitum (speciali divinae gratiae protectione et assistentia), quominus in motus rationi contrarios prorumperet. Num vero jam tunc fuerit exstinctus, ut post Verbi conceptionem, inter se dissentiunt.

607. Quidquid est de hac quaestione, Virginem fuisse immunem a concupiscentiae fomite sive ejus ligatione, sive ablatione, probatur **1.** ex V. puri-

tate angelica majori, imo qua major sub Deo nequit intelligi (n. 592): nam cum ea conciliari nequit concupiscentiae rebellio.

2. Ex praerogativa, qua Eva longe praestantior salutatur (n. 593);

3. ex privilegio thesi praecedenti Virginis vindicato: omnium enim fere peccatorum venialium fons et origo est concupiscentia, a quibus vix potuit esse immunis, si fonti tot peccatorum feraci fuit actu obnoxia.

4. Probatur auctoritate veterum, qui non solum virtute, sed diserte hoc privilegium Virgini vindicant, e quibus Damascenus eam or. 2 in nativ. n. 7 salutat: »Ave liber signitus, nulli corruptrici cogitationi obnoxius;« Gregorius nicomediensis in or. in praesent.: »Hortum illum conclusum, in quem vitiosis cogitationibus nullus patet aditus; fontem illum vere signatum, e quo manant purissimi latices orbem universum irrigantes et in quo turbidi luti nullae deprehensae sunt reliquiae.« — Hesychius hierosol. (fl. c. a. 600) hom. 1 in Deip. (Mig. 93, 1466): »Ecce Virgo concipiet. Quaenam? Mulierum egregia . . . praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore et Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abscidit: quam concupiscentiae fumus non attigit, nec vermis voluptatis eam laesit.« — Nicolaus monachus s. Albani, Petri cellensis sententiam carpens inter alia scribit: »Quamdiu tractabatur de articulis, qui sic vel aliter poterant intelligi, sana utrinque fide, dissimulabam, et animus noster si concepit, non peperit dolorem. Nunc autem cum tuba canitur, quod Virgo peccatum senserit et sentiendo debellaverit, non dissimulo, non patienter ago, vix manus teneo, quin in publicum hostem irruo.« Legantur et ep. ipsius Petri scil. 171. 173 (172 est hujus Nicolai) Mig. 202, 603 ss.; Gilb. Foliot ep. londin. in Cant. 1, 11 (ib. p. 1201) et Richardus a s. Victore c. 26 in Cant. cant.; de Emmanuele l. 2 c. 31 et insignis sermo 18 Helinandi (Mig. 212, 636 ss.). De hac controversia consule Scheeben § 280. Cf. Thomas 3. p. q. 27 a. 3; Passaglia n. 1505 ss.; 1546 ss.; Suarez d. 4 s. 5 et 6, qui inde infert b. Virginem habuisse originalem justitiam quoad praecipuos, non quoad omnes effectus, nam fuit passibilis, obnoxia morti etc.

608. **Thesis CLXV.** ***Inter praecipua Dei Genitricis monilia refulget ejus perpetua virginitas: Virgo enim concepit et peperit, jugiterque Virgo inviolata permansit.***

Demonstratio p. I. et II. Thesis, cujus adversarios diligenter recenset Petavius XIV, 3, est de fide, ut liquet ex conc. lateranensis sub Martino I. a. 649 can. 3: „Si quis secundum ss. patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter ac veraciter, qui a Deo Patre ante omnia secula natus est, in ultimis seculorum absque semine concepisse ex Spiritu s. et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.“ Mariam fuisse Virginem ante annunciationem demonstratione non indiget, cum id diserte testetur s. Lucas 1, 26 s.: *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, et nomen virginis Maria.*

Et jam propheta Isaias 7, 14: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

609. B. virginem conceptu partuque Filii virginitatem non amisisse colligitur **1.** ex symbolo apostolico (ut alias Ecclesiae definitiones omittamus), in quo profitemur Filium Dei conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria *Virgine:* in qua professione appositum Virginis Mariae tributum ex omnium sententia non in sensu diviso, sed composito intelligi debet. Adversatur enim usui loquendi communi, ut quis dicatur natus de virgine, cum nativitas e diametro secundum consuetas naturae leges virginitati adversetur. Quo argumento utitur jam s. Augustinus enchir. n. 34: „De virgine nasci oportebat quem fides matris, non libido conceperat. Quod si vel per nascentem corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine nasceretur eumque falso (quod absit) de virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia, quae imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus et virgo est.“

2. Eadem est doctrina Scripturae. Hoc enim jam praedictum est ab Isaia 7, 14 (n. 608). Ut vis probandi h. l. pateat, notentur:

a. Vaticinium esse messianum, ut patet ex traditione christiana usque ad sec. XVIII., a qua ne protestantes quidem dissenserunt [1]); ex authentica interpretatione Matth. 1, 22 s., ubi narrata mirabili Christi conceptione subjicitur: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel;* ex collatione cum Lucae 1, 31, qua instituta liquebit, ita se habere narrationem evangelicam de Christi conceptione ad hoc vaticinium, ut accurrata adimpletio ad promissionem seu praedictionem; ex toto contextu: tot enim et talia de Filio hujus Virginis praedicantur, quae tantum de Messia intelligi possint. Dicitur enim singulari ratione *Emmanuel,* Nobiscum Deus, quod cumulatissime in Messia erat complendum; terra Judaea ipsius exhibetur proprie Is. 8, 8: *Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel;* salutatur Is. 9, 6: *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis,* cujus *pacis non erit finis* etc.

b. Vocem hebraicam haʿalma designare virginem veram, illibatam, incorruptam mente et corpore, ut colligitur ex usu loquendi biblico et rabbinico [2]); ex versione LXX; ex traditione exegetica, quae h. l. constanter de virgine intellexit. Quapropter cum Symmachus, Aquila et Theodotion interpretes judaizantes vocem hanc verterent νεᾶνις *juvencula,* jam Irenaeus III, 21 (col. Eusebio H. E. V, 8) reclamavit.

c. Praedici hanc virginem non in sensu diviso, sed in sensu composito, i. e. incolumi manente virginitate concepturam parituramque Emmanuelem. Ad rem enim scribit jam Origenes adv. Celsum 1, 35:

---

[1]) Cf. Hengstenberg Christologie des A. T. t. 1 p. 2 de c. 7 Is.

[2]) Cf. Rohling Commentar zu Isaias p. 49 ss. et 365; Com. zum Spruchbuch p. 356—61; theol. pract. Qtlschr. Linz 1884 p. 764—68.

„Ecquod autem signum est, parere puellam non virginem, et cui magis convenit genuisse Emmanuelem, i. e. nobiscum Deum? num mulieri, quae virum experta est et solito feminarum more conceperit, an mundae adhuc et intactae virgini?"

Quibus similia habent Tertullianus adv. Marcionem III, 13 et adv. judaeos c. 9; Irenaeus l. c.; Justinus in dial. cum Tryphone n. 84; Chrysostomus hom. 5 in Matth. n. 3; et in Is. 7 n. 5; Epiphanius haer. 28 n. 7; Eusebius caes. dem. ev. VII, 1; Rufinus (syrus) in lib. fidei n. 43 (Mig. 48, 479); Basilius in h. l. (si ejus est commentarius in Is.) et homil. (dubia) in s. generat. Christi n. 4; Hieronymus et Theodoretus in h. l.; Isidorus hispalensis adv. judaeos I, 10 n. 3; Ildephonsus de perpetua virginit. s. Mariae c. 3: Haymo halberst. in h. l. etc.

Hinc **d.** nullius viri in hoc vaticinio fieri mentionem sicut et Gen. 3, 15, ubi Messias *semen mulieris* dicitur, et Michaeae 5, 3, ubi de parturiente Messiam est sermo, nulla facta viri mentione, et Gal. 4, 4. Neque aliunde quam ex hoc oraculo videtur orta illa synagogae et vel ipsorum gentilium traditio de virgine parturiente redemptorem. Cf. Huetius demonstr. evang. prop. 9 c. 9 § 4; qq. alnetarum II, 45; Perrone prael. theol. t. 6 p. 2 c. 2 pr. 2, ubi plures citat auctores, qui populorum traditiones hanc in rem investigarunt.

3. Quod praedictum fuit, adimpletum diserte ostendunt Lucas et Matthaeus, Mariam scil. incolumi manente virginitate Christum concepisse. Ille enim 1, 35 diserte Christi conceptionem adscribit Spiritui s. supervenienti in Mariam et virtuti Altissimi ipsam obumbranti; hic vero praeterea data opera 1, 18. 15 excludit Josephi cooperationem ideoque inculcat: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto; et non cognoscebat eam, donec peperit filium.* Quare significanter dicit v. 16: *Jacob genuit Joseph virum Mariae, de qua* (non de *quo*) *natus est Jesus;* et v. 20 legimus: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

4. Accedunt praeclara doctrinae capita, quibus patres et theologi scholae ostendunt, omnino decuisse, ut Filius Dei conciperetur et nasceretur incolumi manente matris virginitate.

Quam convenientiam ita illustrat Maximus taurinensis serm. 4 de nativ. Dom. n. 2: „Divinitatis est Filius (i. e. ex Patris aeterni substantia genitus), divinitatis, inquam incorruptae, integrae, illibatae. Intelligo plane mysterium. Ideo enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata: ut cui prior nativitas gloriosa exstitit, ejus secunda contumeliosa non fieret: h. e. ut quemadmodum virgo illum divinitas ediderat, ita et eum virgo Maria generaret." — Aliam rationem, qua patres delectantur, proponit s. Leo serm. 22 n. 2: „Oportuit enim, ut primam genitricis virginitatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris et sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus infusa servaret, qui statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem: ut virginitas, quae in aliis non poterat

salva esse generando, fieret et aliis imitabilis renascendo.« — Decuit praeterea, ut unicus esset tanti Filii Pater, scil. Pater aeternus; decuit Dei Filium tam singularis partus, qui esset ejus divinitatis argumentum; nam Maria mater probat Christum esse hominem verum: sed Maria mater et virgo simul ostendit eum esse Deum. Decuit etiam ut virginitas tanta prole honoraretur.

5. Comparationibus quoque illustrant patres hoc mysterium. Sicut scil. Pater aeternus citra ullam corruptionem genuit ab aeterno Verbum; sicut mens humana purissime concipit paritque verbum internum; sicut pupilla oculi objecti visibilis absque minima laesione gignit speciem; sicut Christus illaeso sigillo prodiit e sepulcro: ita Verbum illaeso virginitatis sigillo, sine ullà corruptionis vel laesionis macula, prodiit carofactum ex utero Virginis.

Quare absolvimus verbis concilii mediolanensis in responso ad Siricium pontificem, qui prolatam in concilio romano sententiam contra Jovinianum ejusque sectatores negantes b. Virginis in conceptione partuque virginitatem nunciarat: »De via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Quae potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum semper conceptus praecedat, generatio sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis angelorum dicentium, *quia non est impossibile Deo omne verbum* (Luc. 1, 37); credatur symbolo apostolorum, quod Ecclesia romana intemeratum semper custodivit et servat.«

610. **Scholion.** Quod si haud pauci patres adapertionis vulvae etc. faciunt mentionem, significare tantum volunt, ut patet ex doctrinae harmonia, veram Christi nativitatem, qua vere, non specie tenus, prodiit ex Maria V., et quae concipi nequit citra aliquam adapertionem, non utique materialem per scissionem laesionemque, sed talem, qua Deo nihil est clausum, omnia sunt aperta et pervia, non solum corpora, sed ipsi spiritus; seu eo sensu quo adaperire vulvam opponitur τὸ claudere vulvam, quae locutio etiam non accipitur materialiter, sed ut significetur pariendi finis. — Quod si Lucas 2, 22 scribit: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus,* et b. Virginem narrat obtulisse Jesum secundum legem: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur* (2, 23), non sequitur, Mariam purgationi fuisse obnoxiam, vel Christum adaperuisse vulvam: sicut etiam non sequitur eam peperisse *suscepto semine,* ut habetur in lege (Lev. 12, 2): sed tantum Dei Genitricem adamussim adimplesse legem de primogenitis statutam, quia Christus Filius ejus primogenitus erat (Matth. 1, 25). Neque enim propterea primogeniti erant offerendi, quod adaperirent vulvam, sed quod essent generationis primitiae, quas sibi Deus reservaverat. Cum ergo et Christus esset primogenitus, legem sibi servandam censuit b. Virgo, eoque magis quod primogenitorum oblatio nonnisi umbra erat et typus oblationis, qua Christus se pro nobis obtulit. Ceterum damnata est ab Alexandro VIII. prop. 24 ex 31: »Oblatio in templo, quae fiebat a b. Virgine in die purificationis suae per duos pullos columbarum unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.« Cf. Petrus bless. serm. 11, qui hujus oblationis bonam reddit rationem (Mig. 207, 593); Gof-

fridus ab. vindocinensis s. 4 (Mig. 157, 249); Thomas 3 p. q. 28 a. 1. 2; Petavius XIV, 5 ss.; Suarez disp. 5 et 13 s. 2; Franzelin th. 15; Stentrup th. 11.

611. **Demonstratio p. III.** B. Virginem mansisse virginem post partum unanimis est omnium vere christianorum adversus Helvidium, Jovinianum, Bonosum episc. sardicensem (sec. IV) et generatim adversus antidicomarianitas fides, ut probat

1. mirum plane studium, quo patres perpetuam Mariae tuentur virginitatem, et indignatio in illos, qui eam negarent vel in dubium vocarent.

Huc spectat integer Hieronymi libellus adversus Helvidium [1]). Gennadio [2]) est sententia perpetuam Mariae virginitatem negans insania et blasphemia; Origeni [3]) insania; Ambrosio [4]) sacrilegium; Philostorgio [5]) impietas et atheis congruens doctrina; Bedae [6]) perfidia; auctori l. Praedestinatus [7]) blasphemiis plena. Secundum Siricium P. »qui hoc adstruit, nil aliud quam perfidiam judaeorum adstruit [8]);« secundum Augustinum [9]): »Antidicomaritae appellati sunt haeretici, qui Mariae virginitati usque adeo contradicunt, ut eam affirment post Christum natum viro suo fuisse commixtam;« Hilarius eos vocat [10]) »irreligiosos et a spiritali doctrina alienos,« et auctor antiquus testatur [11]): »Christi amantes audire non sustinent, quod Deipara aliquando desierit esse virgo.« In primis vero invehitur in hunc errorem Epiphanius, quem haer. 78 n. 1 et 23 temeritatem et quidem omnem improbitatem impietatemque superantem appellat; suamque indignationem ita n. 11 declarat: »Quis est autem, qui furorem sibi et insaniam asciscens, tantam b. Virgini contumeliam velit imponere et os suum adversus illam attollere, laxare linguam, ad pestiferam illam pronunciandam sententiam labra diducere, pro laudibus ac praeconiis probra contumeliasque comminisci, sacrosantae insultare Virgini, vas illud denique omni honore dignum nullo honore prorsus afficere?«

2. Hinc liquet, quam altas primis Ecclesiae seculis radices egerit fides de perpetua Dei genitricis virginitate, quod et alia ratione acerrimus illius assertor, Epiphanius, confirmat n. 6: „Undenam vero haec improbitas emersit? Unde tanta prorupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testificatur? Non tibi, homo pervicacissime, istud ipsum persuadet? Quis ullo tempore unquam exstitit, qui sanctae Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus statim Virginis vocabulum adjiceret? . . . Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. Cur igitur vos natura ipsa non docet? O inauditam insaniam! O praeposteram novitatem!" Et

---

[1]) Opusc. t. XII; cf. in primis n. 4. 13. 18. [2]) De dogm. eccl. c. 69. [3]) In Luc. hom. 7. [4]) De instit. virg. c. 5 n. 35. [5]) L. 6 s. 2. [6]) Hom. 5 et 22. [7]) L. i. n. 84. [8]) Ep. 9 n. 3. [9]) De haer. h. 56. [10]) In Matth. c. 1 n. 3. [11]) Hom. in Chr. gener. inter dubias s. Bas. n. 5.

revera Dei Genitrix non posset tam solemniter in symbolis, liturgia aliisque documentis maxime authenticis salutari virgo, semper virgo, virgo virginum, si cum s. Josepho matrimonium consummasset; imo haec salutatio ironiae injuriaeque prae se speciem ferret.

3. Colligitur Mariae perpetua virginitas ex responso, quod dedit angelo annuncianti ipsi Verbi incarnationem. *Quomodo fiet istud,* dixit Maria ad angelum (Luc. 1, 34), *quoniam virum non cognosco?* Ex quo responso evidenter colligitur, Mariam firmiter animum induxisse vel etiam vovisse non obstante sua cum b. Josepho desponsatione servare virginitatem. Quod vero promisit vel vovit, certe etiam servavit. Servavit ergo vel in conjugio virginitatem. Sane nisi proposuisset vel vovisset servare in conjugio virginitatem, mira esset interrogatio proposita angelo promittenti filium, *quomodo fiet istud,* cum matrimonium ineatur ad gignendos filios. Etiam magis mira esset ratio adjecta, *quoniam virum non cognosco,* si iniisset conjugium cum intentione illud consummandi. Quare jam patres ex verbis tam perspicuis colligunt, Mariam vovisse vel saltem proposuisse servare etiam in matrimonio virginitatem.

Cf. patrum effata opusc. XII, 130 ss.; Suarez disp. 6. Plures patres perpetuam Mariae virginitatem, et quod illi, qui fratres Christi dicuntur, non fuerint ejus filii, colligunt ex verbis Christi in cruce pendentis, quibus matrem suam non his filiis, sed s. Joanni commendavit. Cf. op. XII, 274 ss. Hanc perpetuam virginitatem praedictam censent Ez. 44, 2: *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Cf. opusc. XII, 159 s.; Galfano La Vergine delle vergini ovvero la verginità di Maria secondo il Vangelo, i padri e i grandi scrittori, Panormi 1882.

4. Accedunt graves rationes congruentiae, quae solae sufficient ad excludendum omne dubium. Praecipuas paucis complexus est s. Thomas 3 q. 28 a. 3: »Respondeo dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam et alios filios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus: ita decuit, ut esset unigenitus matris, tamquam perfectissimum germen ejus. — Secundo hic error injuriam facit Spiritui s., cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem virilem. — Tertio derogat dignitati et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset: et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. — Quarto etiam ipsi Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante angelo de Spiritu s. Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est asserendum, quod mater Dei sicut virgo concepit et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit.« Cf. Epiphanius haer. 78 n. 8. — Quare merito Paulus IV. const. ,Cum quorundam' contra socinianos edita (1555) et confirmata a Cle-

mente VIII. apostolica auctoritate requirendos et monendos statuit, qui asserunt, »bb. V. Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scil., in partu et perpetuo post partum.«

612. *Exceptiones contra virginitatem Mariae.* — Contra perpetuam Mariae post partum virginitatem plures opponuntur difficultates. Potiores jam s. Hieronymus solvit in l. adversus Helvidium. Solutionum synopsim exhibet s. Thomas l. c. Nihil sequitur ex Matthaei verbis 1, 18: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto;* et v. 25: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Totus enim est s. evangelista in eo, ut excludat s. Josephum a conceptione Christi: ideoque insistit illis particulis *antequam* et *donec:* quid proinde certo non sit factum, inculcat: quid vero post Christi conceptum et nativitatem factum sit utpote non spectans ad suum scopum, praetermittit. — *Primogenitus* autem apud judaeos omnis is filius dicebatur, ante quem nullus alius est natus, sive alii post ipsum nascerentur, sive ipse esset unigenitus. Quare ex ea appellatione inferri nequit, Mariam habuisse alios filios.

613. *De fratribus Domini.* — Potior forte est difficultas, quae petitur ex eo quod Christus fratres habuisse legitur. Non desunt patres, praesertim graeci, qui putent, fratres illos filios fuisse s. Josephi, non quidem ex b. Virgine Maria, sed ex alia uxore, quam jam antea duxerit. Quae sententia omnino est improbabilis et nunc antiquata, cum ei adversentur plures alii patres, praesertim latini, ex quibus Hieronymus eam vocat »deliramentum apocryphorum;« adversentur sensus fidelium, plures congruentiae rationes, nec ulla sit necessitas ad eam recurrendi pro solvenda difficultate. Bene adversus eam Thomas l. 5 in ep. ad Gal. c. 1: »Hoc est falsum, quia si Dominus matrem Virginem noluit nisi virgini commendare custodiendam, quomodo sustinuisset, sponsum ejus virginem non fuisse et sic perstitisse?« Ut ergo difficultas solvatur, scias: **1.** quatuor nominatim dici fratres Christi (Marc. 6, 3), scil. Jacobum, qui minor dictus est, ut distingueretur a Jacobo Zebedaei, fratre Joannis evangelistae; Joseph, Judam seu Thaddaeum apostolum et Simonem, de quo contravertitur, utrum fuerit apostolus, an secundus episcopus hierosolymitanus. **2.** Joannem diserte mentionem facere (19, 25) alterius Mariae, sororis matris Christi [1]), cujus vir erat Cleophas, qui ab Hegesippo apud Eusebium H. E. III, 10 patruus Christi exhibetur. Quare **3.** Cleopham, cum non potuerit esse frater Mariae V., utpote conjux ejusdem sororis, fratrem esse s. Josephi, patris putativi Christi, et ita Christi patruum [2]). Ergo **4.** duos fratres, Josephum et Cleopham, duas sorores, Mariam, Matrem Domini et alteram Mariam, duxisse in matrimonium: neque enim plane insolitum erat veteribus duas filias eodem appellare nomine. **5.** Eundem Hegesippum referre, Simonem, secundum Hierosolymorum episcopum, fuisse filium Cleophae; ex variis vero N. T. locis colligi, Jacobum minorem et

---

[1]) Secundum recentiorum tamen sententiam Maria mater Domini et haec altera Maria fuerunt tantum sorores *patrueles*, filiae scil. duorum fratrum, Joachimi et Cleophae, quorum frater tertius censetur s. Josephus. Quo posito fere eadem ratione solvitur difficultas.

[2]) Suarez d. 5 s. 4 n. 14: »Qua ratione Joseph existimatus est pater Christi, eadem Cleophas haberi potuit patruus Christi et filii ejus consobrini Christi. Hac ergo ratione appellari potuerunt fratres Christi.« Cf. Kirchenlex. II, 1342—48.

Joseph filios fuisse Mariae conjugis Cleophae. Sane ex Gal. 1, 19; Matth. 10, 3; Joan. 19, 25; Marc. 15, 40; 16, 1; ep. Jud. v. 1, liquet, Jacobum fratrem Domini fuisse apostolum, eumque fuisse filium Alphaei et Mariae sororis Matris Domini, quae fuit uxor Cleophae. Quare Cleophas et Alphaeus idem videtur. Hujus autem Jacobi fratres vocantur Judas et Joseph, quae sunt nomina aliorum fratrum Domini. Et sane Judam quod attinet, acute statuit jam Petrus siculus serm. 2 adv. manichaeos (apud Mai bibl. n. PP. IV, 70 ss) n. 11, eum in sua ep. v. 1 se non vocare fratrem Christi, sed *J. Christi servum, fratem autem Jacobi.* Ergo non ea ratione fuit frater Jacobi, qua alibi dicitur frater Christi: illius fuit frater proprius, Christi nonnisi sensu laxiori. Ergo
6. Cleophas, qui etiam Alphaeus dicitur, fuit pater illorum, qui Marci 6, 3 nominantur *fratres Domini.* Quocirca vera est communis responsio, fratres illos Domini dici laxiori quadam significatione fratres. Hinc etiam Maria nunquam vocatur eorum mater et Christus in oppositione ad hos fratres dicitur filius Mariae. Nihil ergo ex illis inferri potest contra perpetuam Mariae virginitatem.

614. **Scholion I.** *De Mariae desponsatione.* — Plures proponuntur a patribus rationes congruentiae, quare non obstante voto vel proposito perpetuae virginitatis decuerit, bb. Dei Genitricem desponsari s. Josepho: quas melius proponere non possumus, quam s. Thomae verbis 3 p. q. 29 a. 1: »Respondeo dicendum, inquit s. doctor, quod conveniens fuit Christum de desponsata virgine nasci: tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione. Primo quidem, ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abjiceretur. Unde Ambrosius dicit super Lucam (II, 2): ,Quid judaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti?' — Secundo, ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur. Unde dicit Ambrosius super Lucam (III, 4): ,Qui in seculum venit, seculi debuit more describi. Viri autem persona quaeritur, qui in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instituit Scripturarum, quae semper viri originem quaerit'. — Tertio ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Et ideo Ignatius dicit, ipsam fuisse desponsatam, ut partus ejus diabolo celaretur [1]) — Quarto, ut a Joseph nutriretur: unde et pater ejus dictus est, quasi nutritius. — Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. Primo quidem, quia per hoc redditur immunis a poena, ,ne scilicet lapidaretur a judaeis tamquam adultera,' ut Hieronymus dicit (adversus Helvidium n. 4). — Secundo, ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Ambrosius super Lucam (III, 1), quod desponsata est, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre.' — Tertio, ut ei a Joseph ministerium exhiberetur, ut Hieronymus dicit (ib. et in Matth. 1). — Ex parte etiam nostra hoc fuit conveniens. Primo quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est, Christum ex virgine natum. Unde Ambrosius dicit super Lucam (II, 2): ,Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere injuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.' — Secundo, quia ipsa verba Virginis matris magis

[1]) Haec ratio explicite non redditur a s. Ignatio, colligi tamen potest ex ejus ad Ephesios ep. n. 19, deque ea cf. quae adnotavimus opusc. XII, 92.

credibilia redduntur suam virginitatem asserentis. Unde Ambrosius dicit super Lucam (ib.): ,Fides Mariae verbis magis adsciscitur et mendacii causa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans: causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum conjugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.' Quae quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostrae. — Tertio, ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam. Unde Ambrosius dicit (ib.): ,Non decuit virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur.' — Quarto, quia per hoc significatur universa Ecclesia, quae ,cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo', ut Augustinus dicit in l. de s. virginitate c. 12. Potest etiam et quinta ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata et virgo: quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur contra haereticos alteri horum detrahentes.« Hactenus s. Thomas.

615. Verum autem intercessisse matrimonium inter s. Josephum et b. Virginem omnino tenendum est cum eodem Thoma a. 2. Cf. Benedictus XIV. in commentario de festis b. Mariae V. de festo despons. n. 3. De aliis spectantibus ad bb. Virginem ejusque vitam sanctissimam cf. Canisium de Maria V. incomparabili et Dei Genitrice; Suarez disp. 18 ss.; Nicolas 2 c. 7 ss.

616. **Scholion II.** Decet quaedam dixisse *de s. Joseph* dignissimo tantae Virginis sponso. Cum vero Leo XIII. in sua epistola encyclica d. d. 15. Aug. 1889 de implorando patrocinio s. Josephi praecipuas ejusdem praerogativas sit complexus, sufficiet verba pontificis audisse.

1. Illarum fundamentum et radix est, »quod is vir fuit Mariae et pater, ut putabatur, J. Christi. Hinc omnis ejus dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri majus queat. Sed tamen quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium, quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Josephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis ejus ipso cojungali foedere participem.« Ex quibus licet inferre cum Suarez d. 8 s. 1, »intercessisse inter Mariam et Joseph et inter Jesum et Joseph singulare vinculum mutui amoris ac perfectissimae amicitiae, quae intrinsece oriebatur ex dignitate et statu, ad quem vir hic assumptus est; pertinet enim ad virtutem et sanctitatem uxoris, ut virum suum diligat, et omne bonum praesertim animae illi exoptet et procuret. Sed bb. Virgo in omnibus fuit perfectissima; ergo etiam in hoc amore excelluit. Accedit ratio gratitudinis ... Tandem accedit morum similitudo, frequens ac diuturna familiaritas et cohabitatio . . . Quae rationes eadem fere proportione in Christo Domino procedunt, tantopere fortius, quanto ille perfectius, quam Virgo omnia operabatur.« Cf. Bernardus h. 2 super *Missus est* n. 12. 16.

2. »Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos Filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Josepho modeste subesset dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est.«

3. »Jamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribus familias natura praescripsit, ita quidem, ut domus divinae, cui Josephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cujusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis exercuit.« Quo ex Evangelio demonstrato summus pontifex ita prosequitur: »Atqui domus divina, quam Josephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo ss. quemadmodum J. Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit: itemque J. Christus tamquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione et redemptione fratres. . . . Est igitur consentaneum et b. Josepho apprime dignum, ut sicut ille olim nazarethanam familiam, quibuscunque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio coelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat.«

4. Confirmat pontifex s. Josephi dignitatem ex collatione cum Josepho aegyptio, nostri typo: »Sane, inquit, praeterquam quod idem utrique contigit nec vacuum significatione nomen . . . sunt aliae eaedemque perspicuae inter utrumque similitudines: illa in primis quod gratiam adeptus est a domino suo benevolentiamque singularem: cumque rei familiari esset ab eodem praepositus, prosperitates secundaeque res herili domui, Josephi gratia, affatim obvenere. Illud deinde majus, quod regis jussu toti regno summa cum potestate praefuit: e quo autem tempore calamitas fructuum inopiam caritatemque rei frumentariae peperisset, aegyptiis ac finitimis tam excellenti providentia consuluit, ut eum rex ,salvatorem mundi' appellandum decreverit. — Ita in vetere illo patriarcha hujus expressam imaginem licet agnoscere. Sicut alter prosperus ac salutaris rationibus heri sui domesticis fuit, ac mox universo regno mirabiliter profuit; sic alter christiani nominis custodiae destinatus, defendere ac tutari putandus est Ecclesiam, quae vere domus Domini est Deique in terris regnum.« Inter has similitudines autem et illa referri potest, quod insigniter in ipso sit adimpletum: *Vidi per somnium quasi solem et lunam . . . adorare me* Gen. 37, 9: cum Jesus sol justitiae et b. Maria V. tanto obsequio s. Joseph sint prosecuti. Demum

5. ad Josephi sanctitatem dignitatemque ob oculos ponendam provocat ad insignia virtutum exempla, quae omnibus dedit, patribus familias, conjugibus, virginibus, nobilibus, locupletibus, opificibus. Quare ratione hujus exempli in tanta dignitate s. Josephus, divina providentia ita disponente, nostra praesertim aetate, in qua operariorum conditio omnes tenet sollicitos, insignem occupat locum. Haec vero facile fusius populo in honorem s. Josephi exponi atqui evolvi possunt.

617. **Thesis CLXVI.** ***Sententia de b. Mariae secundum corpus gloriosa in coelos assumptione iis accenseri debet doctrinae catholicae capitibus, quae sine temeritate negari non possunt.***

Declaratio. Quaedam de morte Dei Genitricis praemittemus:

1. Fuerunt nonnuli, qui obfirmate negarint, Mariam V. esse mortuam, utpote ab originalis peccati labe puram atque immunem. Alii de ejus morte dubitarunt, ut Epiphanius scribens haer. 78 n. 11: »Illud non affirmo penitus, neque aut immortalem perseverasse definio, aut utrum mortua sit, confirmare possum: quippe Scriptura sacra mentis humanae captum praetergressa

rem in incerto reliquit propter vas illud eximium ac praestans ... Sive igitur mortua sit, nescimus, sive consepulta sit etc.«

2. Tenendum tamen est, b. Virginem obiisse: quod etiam in liturgia profitetur Ecclesia, cum jam in Sacramentario s. Gregorii in missa assumptionis occurrat oratio: »Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum de se genuit incarnatum.« Id etiam ratio suadet, tum quia decuit, Mariam hac in re Christo non praecellere, sed ei potius esse similem; tum quia mors nullam imperfectionem includit, quae Dei Genitricem dedecuerit: imo propter Deum suscepta est admodum pretiosa in conspectu Domini. Quapropter non est causa, propter quam a morte corporis praeservata censeatur. Tamen Arnaldus, theologus taurinensis, recentissime magno (sed irrito) conatu et eruditionis apparatu nititur Mariae mortem negare in l. super transitu b. M. V. Deiparae t. 1 de vulgatis historiis in transitum b. M. V., Genuae 1879; Note illustrative sul transito di M. SS., Acqui 1880, contra quem sententiam communem tuetur Berdani in Scuola cattolica, Mediolani 1880 s.

3. Praetermissis quaestionibus sive de mortis anno, quem plures aetatis 72 fuisse statuunt; sive de mortis loco, quem alii Hierosolymas, alii Ephesum [1]) fuisse conjiciunt occasione verborum conc. ephesini ad clerum populumque CP.: non improbabiliter creditur ss. Dei Genitrix mortua non vi morbi corporalis, sed consumpta potius amore, ardentissimo beatitudinis coelestis desiderio atque intensissima contemplatione. Cf. Baronius in Annal. ad a. 48 n. 5; Benedictus XIV. l. c. n. 98 ss.

618. **Demonstratio.** Fatendum est testimoniis disertis traditionis gloriosam b. Virginis secundum corpus assumptionem in coelum vix posse probari. Afferri enim possunt testimonia pauca tantum.

Ejusmodi sunt verba Gregorii turonensis († 596) de gloria MM. c. 4: »Dominus susceptum Virginis corpus sanctum in nube deferri jussit in paradisum, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exsultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur;« testimonia Damasceni in suis or. de Virg. dormit., qui provocat or. n. 18 (opusc. 34, 141) ad Juvenalem, hierosol. episcopum († 458), qui et ipse ex antiqua et verissima traditione Pulcheriae imperatrici Virginis resurrectionem refert. Huc referri possunt monumenta, apocrypha quidem, sed maximae antiquitatis sec. VI. imo et IV. in quibus refertur Virginis secundum corpus resurrectio, quae licet per se non mereant fidem, saltem quatenus quoad substantiam cum Ecclesiae traditione conspirant, hanc confirmant. Cf. Jürgens Zeitschr. für k. Theologie, Innsbruck 1880 pag. 641 ss.; Bickell Tüb. Qtlsch. 1866 p. 468 ss.

---

[1]) Docte de loco mortis b. Mariae V. nostra aetate disputatum fuit. Dr. Nirschl diss. erudita in Katholik 1894 II, 385 ss. ostendere nititur, opinionem, quae Ephesum mortis locum statuit, non esse probabilem nulloque probabili fundari argumento. Sed adversarium reperit, qui non minus erudite probat, opinionem illam non esse adeo desperatam, ut pro Hierosolymis standum sit. Cum ergo ratione habita argumentorum sentiendi maneat libertas, infert, imprudens non esse, in eam propendere sententiam, cui faveat visio alioquin accurata Catherinae de Emmerich virginis singularibus, ut fama fert, Dei illustrationibus ditatae, quae Ephesi sepultam fuisse b. Mariam V. affirmat. Cf. Münster Pastoralblatt 1895 p. 23 ss.

619. Quare ea potius est inferenda cum Scheeben ex idea traditionali et dignitate tantae matris, quam supra n. 578 s. delineavimus.

1. Sane hunc nexum inter privilegium istud et tantam dignitatem perspexisse fideles, colligitur ex horum sensu, qui invaluit et praevaluit a sec. saltem VIII. de quo plura ex iis repeti possunt, quae notavimus n. 589 de consensu circa immaculatam ejusdem conceptionem; imo haec persuasio praecellit quadamtenus illam, quod neque habuerit tam multos tamque doctos adversarios neque ulla obstet alicujus momenti difficultas. Ea reperitur etiam apud graecos schismaticos, qui in synodo hierosolymitana 1672 adversus calvinistas habita cap. de cultu SS. de Dei Genitrice profitentur: „Ipsa est procul dubio Virgo sanctissima, quae magnum in terra signum cum exstiterit, eo quod Deum in carne genuit et post partum integerrime virgo permansit, recte etiam signum esse dicitur in coelo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in coelum. Et quamvis conclusum in sepulcro fuerit immaculatum corporis ejus tabernaculum, in coelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa die in coelum migravit." Et antea synodus episcoporum armenorum a. 1342 declaraverat: „Sciendum est, quod ecclesia armenorum credit et tenet, quod s. Dei Genitrix virtute Christi assumpta fuit in coelum cum corpore." Quare communi consensu theologi oppositam sententiam temerariam saltem censent. Ita Suarez d. 21 s. 2: ‚Summae temeritatis reus crederetur, qui tam piam religiosamque sententiam hodie impugnaret.' Cf. Benedictus XIV. l. c. n. 15 ss.

2. Hinc factum est ut festum assumptionis in Ecclesia celebraretur universa, ejusque initia jam seculo VII. imo VI. reperiantur. Ita in Kalendario arabico legimus ad 15. Aug.; „In eodem celebratur ascensus corporis Dominae juxta disciplinam syrorum et francorum et armeniorum et romanorum;" et in Kalendario coptorum unitorum: „Assumptio corporis b. M. V. in coelum."

Ecclesiam vero celebrare assumptionem non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, quod Doellinger in dubium vocare videtur (Gesch. der christl. Kirche I, 1, 69 Landshut 1833) colligitur **a.** ex ipsa liturgia, ut patet ex verbis sacramentarii gregoriani supra n. 617 allatis et ex collecta missae de assumptione iu missali gothico a Thomasio et Mabillonio edito: »Fusis precibus Dominum imploremus, ut ejus indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro, quo b. Virginis translatum corpus est de sepulcro.« In contestatione vero haec redditur ratio: »Parum fortasse fuerat, si te Christus solo sanctificasset introitu, nisi etiam talem matrem adornasset egressu. Recte ab ipso suscepta es in assumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per fidem, ut quae terrae non eras conscia, non teneret rupes inclusam.« Idem colligitur **b.** ex homiliis veterum hac die habitis, ut Modesti patriarchae hieros. († 632), Ildephonsi toletani († 667), Andreae cretensis († 720), Germani patriarchae CP. († 733), Damasceni etc.; ex breviarii lectionibus,

missae orationibus et **c.** ex ipso nomine assumptionis, quo festum designatur: nullius enim sancti in coelum assumptionem universa Ecclesia celebrat, cujus solam animam censet esse in gloria coelesti. Assumptionis ergo nomine non intelligit receptionem solius animae b. Virginis in coelum, sed ejusdem etiam secundum corpus glorificationem. Cf. Jürgens l. c. pag. 598. 610. 626. Ceterum aliis etiam nominibus hoc festum a veteribus designatur: dicitur pausatio s. Mariae, depositio, dormitio: modo praevaluit nomen assumptionis. Cf. Kirchenlex. V, 976; Nilles I, 245.

3. Nexum inter gloriosam Virginis assumptionem ejusque dignitatem agnoverunt patres conc. vaticani, quorum ultra ducentos perardenter postularunt, ut haec veritas ad majorem Dei Filii atque Deiparae gloriam solemniter a concilio declararetur et definiretur, suamque postulationem plerique hunc in modum confirmarunt: „Cum juxta apostolicam doctrinam, Rom. 5—8; 1. Cor. 15, 24. 26. 54. 57; Hebr. 2, 14. 15 aliisque locis traditam, triplici victoria de peccato, et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de satana, antiquo serpente, Christus retulit; cumque Gen. 3, 15 Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho; accedente unanimi ss. patrum suffragio, non dubitamus, quin in praefato oraculo, eadem beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus ac de peccato per immaculatam conceptionem, et de concupiscentia per virginalem maternitatem, sic etiam de inimica morte singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem praenunciata fuerit (coll. lac. VII, 869)." Quare Virginis secundum corpus in coelum assumptio praecedentium privilegiorum est legitima consequentia et consummatio congruentissima. Unde merito de ea intelligere licet verba Ps. 131, 8: *Surge Domine in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuae.* Mariam enim praefiguratam fuisse foederis arca ex fidelium sensu, ex patrum testificatione, ex mira cum ea analogia manifestum esse debet.

4. Neque desunt rationes congruentiae pro tanto b. Virginis privilegio. Sane **a.** admodum probabile est, eos, qui cum Christo resurrexerunt Matth. 27, 53, cum illo ascendisse in coelum; quare hujus privilegii expers non videtur ss. Dei Genitrix post mortem suam.

b. Sicut Christus pro suo in matrem amore et honore incorrupta ejus virginitate voluit nasci; ita vix credibile est, eum voluisse corpus illud, e quo humanam assumpsit naturam, quodque propterea fuit salutis initium, corruptioni tradere. »Ut enim, infert ad rem Andreas cret. or. 2 in dormit., minime corruptus est parientis uterus, ita nec interiit defunctae caro;« et Germanus CP.: »Neque enim fieri poterat, ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus corrumpente diffiueres pulvere. Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat a principio ac vita seculis antiquior, utique par quoque erat, ut Vitae mater vitae pariter contubernalis fieret, dormitionemque

somni instar susciperet, ac migrationem haud secus atque expergefactionem, ceu Vitae parens, subiret.«

c. »Numquid dicam, inquit Absalon ab. sprinckirsbarcensis serm. 44 (Mig. 211, 255), Dei Filium honorem matri denegasse, quem servo voluit impendere? Elias in coelum curru levatur igneo, et Mater Dei computruit in tumulo? Praeterea si spiritu migrante sacrosanctum ejus corpus terra detinuit: cur Filius venerationem illam denegavit in terris reliquiis matris, quam cuilibet martyri vel confessori voluit exhiberi? Plane caput Joannis vel cujuslibet alterius sancti reliquiae in terris maxima veneratione voluit haberi, sed b. Virginis corpus nec in terris veneratione, nec in coelis honore dignum voluit aestimari?« Provocat deinde cum plurimis aliis scriptoribus ad praeceptum Dei de honorando patre et matre (cf. opusc. XXXIV, 89 adn.) et ad orationem Ecclesiae (supra n. 217) pro confirmatione piae suae fidei. — Quare ad rem auctor vetustus in ep. de assumpt. alias s. Hieronymo tributa: »Corpus b. Virginis, inquit, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis et futurum de vermibus pulverem, quia sentire non valeo, dicere perhorresco.« Et revera id exigit dignitas corporis b. Mariae V., de quo en cum quanta reverentia disserit Odo cameracensis episc. († 1113) in disp. cum Leone judaeo de adventu Christi (Mig. 160, 1112): »Haec virgo facta est in conceptu suo thalamus omnipotentis Dei, sacrarium Spiritus sancti. In qua singulariter et alio modo habitavit Deus, quam etiam in summis coelestium virtutum spiritibus. Cujus beatorum viscerum secreta tanto sanctiora erant, imo diviniora, quanto familiarius ibi pullulabant divina mysteria. Beata Virgo, de cujus visceribus sumebantur seminalia, quae fierent Deus! Quid in tota creatura sanctius, quid mundius, quid purius quam Virgo, de qua sumebatur, quod fieret Deus? O venter, o viscera, in quibus et de quibus creator creabatur, Deus incarnabatur. Certe cetera hominum corpora praetulimus omnibus corporibus. Hujus autem bb. Virginis corpus etiam angelicis praefero spiritibus, de quo voluit Deus, unde fieret, sumere; de quo coepit, quod inseparabiliter sibimet uniret, unde terras redimeret, coelum restitueret, unde spoliarentur inferni, terra medicaretur, perficerentur coelestia, ad quod nullum elegit coelestium spirituum.« Cf. Gaudinum in l. Assumptio corporea M. V. vindicata, Parisiis 1670; Lana la resurrezione e corporea assunzione al cielo della s. V. Madre di Dio, Romae 1880; Vaccari de b. V. M. morte, resurrectione et in coelos gloriosa assumptione, Ferrariae 1881 ed. 2; Jannucci firmitudo cath. veritatis de psychosomatica assumpt. Deip., Taurini 1884; in primis Scheeben § 281, qui recentiorem literaturam indicat sagaciterque de hoc argumento disputat.

620. **Thesis CLXVII.** ***B. Virgo cum pro sapientissimo divinae providentiae ordine multiplici ratione sive ad incarnationis mysterium concurrerit, sive ad humani generis cooperetur salutem: haud immerito ab universa antiquitate mediatricis nomine salutatur.***

Demonstratio p. I. In summam colligamus, sive quae fusius hucusque demonstravimus, sive quae supersunt, ut novo splendore Virginis idea et momentum in salutis oeconomia perfundatur.

1. Mariam V. ad mysterium incarnationis, hoc seculorum negotium, concurrisse et moraliter consensum praebendo nomine generis humani

in desponsationem Verbi cum natura humana, et physice suppeditando Verbo carnem, qua indutum homo apparuit, alias diximus.

2. Alia quoque ratione id potest illustrari. Ut incarnationis finis plenissime obtineretur, necesse fuit, ut **a.** Filius Dei non solum esset, sed etiam crederetur filius hominis; ut **b.** spe atque fiducia repleti homines ad illum accederent; ut **c.** victima condigna oblata placaretur Pater coelestis offensus; ut **d.** plena de humani generis hoste victoria referretur. Atqui ad has quatuor conditiones suo modo cooperata est b. V. Maria. Ejus enim

a. maternitas argumentum est veritatis carnis assumptae: nam Maria Mater demonstratio est Christi hominis, Maria Virgo Christi Dei, Maria Mater simul et Virgo Christi Dei et hominis. Quantum

b. Maria concurrat ad promovendam fiduciam in Redemptorem, docet s. Bernardus serm. in nativ. b. M. V. n. 7:

„Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus ad folia fugiebas? Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. *Invenisti,* ait angelus, *gratiam apud Deum.* Feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus.“ Cf. etiam serm. 4 de assumpt. n. 8 et Henricum card. († 1188) tr. XI. Migne 204, 338.

c. Ipsa contulit Redemptori carnem et sanguinem, quae in pretium offerret, illumque tanta sollicitudine alendo ad sacrificium aptavit ac veluti praeparavit: atque Redemptor per sanctissimas ipsius manus primum voluit Patri coelesti offerri (Luc. 2, 22). Belle Petrus blessensis serm. 33: „Haec est, in cujus utero ex diversis speciebus, divinitate, carne et anima confectum est manu Spiritus sancti mirabiliter et ineffabiliter illud thymiama, quod Christus assistens pontifex futurorum bonorum in ara crucis Deo Patri sacrificium obtulit vespertinum. Ratione hujus thymiamatis odorifera facta est et suavis in deliciis suis sancta Dei genitrix.“

d. Hinc sponte sua consequitur, eam etiam contulisse ad plenam de humani generis hoste victoriam: quod confirmant veteres, sive cum illam Evae tamquam ruinae reparatricem opponunt (n. 593); sive cum illam exhibent tamquam quae serpentis caput contriverit; sive cum illam cernunt praefiguratam in omnibus feminis V. T. gloriosis, quae ad populi israelitici liberationem e periculo et captivitate quam plurimum contulerunt. Quare merito ipsi applicantur et in ea adimpleta cernuntur verba Judith 13, 24 s.: *Benedictus Dominus . . . qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum* (cf. Gen. 3, 15): *quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum* (cf. Luc. 2, 48), *qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum, pro quibus non pepercisti animae tuae propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinae ante conspectum Dei nostri* (Jo. 19, 25). Et 15, 10. 11: *Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter et confortatum est cor tuum . . . ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum.*

621. **Demonstratio p. II.** Dei Genitricem plurimum conferre ad hominum salutem, sequitur

1. ex dictis. Incarnationis enim mysterium, ad quod cooperata est, immediate refertur ad hominum salutem. Quam ob rem Balduinus cantuariensis inter alia praeclara tr. 7 (Mig. 204, 476) scribit: „Quae quoniam Salvatorem mundi edidit, qui mortem destruxit et debitam nobis damnationem avertit, totum ei post Deum debemus, quod a maledicto liberati sumus, quod omni benedictione spirituali in coelestibus benedicti sumus: ut sicut ipsa est semper apud Deum benedicta, sic a nobis sit semper benedicenda". Cooperatur

2. lucidissimo suo exemplo, unde b. Virgo post Christum exhibetur a patribus tamquam exemplar, lux et via nostra. Cf. Passaglia n. 1358 ss.

3. Maria si generatim speculum justitiae est omnibus hominibus, speciatim divinitus est destinata, ut exemplar sit feminei sexus. Quo enim profundius peccato lapsus est hic sexus, adeo ut tristissima esset ejus conditio apud gentes omnes usque ad Christum et adhuc sit apud gentes infideles; quo majus alioquin est ejus momentum in familia et societate humana; quo majoris periculi et damni propter hominis corruptionem, si pudore non regitur: eo magis decuit divinam sapientiam, providentiam et bonitatem, ut sexui femineo accommodatum proponeret exemplar. Tale autem datum est in beatissima Deipara, quae mater, conjux simul et virgo necnon et vidua omnibus forma est virtutis.

Ad rem auctor antiquus, postquam hortatus est omnis generis feminas, ut veniant ad Mariam, subdit serm. 123 (in app. serm. s. Aug.): „Ideo omnes istos cursus naturae Virgo Maria in D. N. J. Christo suscepit, ut omnibus ad

se confugientibus feminis subveniret, et sic restauraret omne genus feminarum ad se venientium nova Eva servando virginitatem: sicut omne genus virorum Adam novus recuperat D. N. J. Christus.« Quam autem efficax fuerit quovis seculo Mariae exemplum, testatur luculenter Ecclesiae historia. Quot ipsa suo exemplo adduxit seu potius traxit ad cavenda impuritatis peccata, servandam castitatem virginitatemque vovendam atque propterea ad angelicam profitendam vitam? virginitatis enim custodia continetur gratiae triumphus de natura, carnis sanctificatio atque idcirco sanctificationis consummatio: unde merito ipsi applicantur verba Ps. 44, 12 s.: *Concupiscet rex decorem tuum... Omnis gloria ejus filiae regis ab intus . . . Adducentur regi virgines post eam . . . Afferentur in laetitia et exsultatione;* et illa Cant. 1, 3: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum;* et praeclare s. Athanasius: »Ipsae (virgines), inquit in Luc. (Migne 27, 1349), velut ex illa radice ceu virginei pendent rami.« Lucidissimum omnium virtutum exemplum, quod bb. Virgo praebuit, facunde s. Ambrosius de virgin. l. 2 c. 2 describit. Cf. Hettinger die Dogmen des Christenth. s. 1 d. 9; Jeanjacquot Simples explications sur la cooperation de la très S. V. à l' oeuvre de la rédemption etc., Parisiis 1879 ed. 2; Lapalus Marie immaculée et la femme chrétienne après le plan divin, l' Evangile et l' historie ou le Remède à nos maux, Parisiis 1881; Weiss Apologie V d. 17.

4. Cooperatur Dei genitrix humano generi ad salutem non solum exemplo, sed et auxilio, quod potentissima sua intercessione nobis impetrat. Quam intercessionis efficaciam sicut Ecclesia latina profitetur in notissima oratione *Memorare,* ita etiam graeci testantur in canone παρακλητικῷ, in quo inter alia haec habentur ap. Ballerini syll. I, 481: „Nemo ad bonitatem tuam confugit, quin cito misericordiam consecutus sit; neque ullus sub patrocinium tuum, o Domina plane immaculata, se recepit, quin compos eorum, quae postularet, factus fuerit.“ Quare haud arbitraria est fidelium fiducia, qua gratiarum dona per Mariam a Deo exspectant, postquam Patri coelesti complacuit per ipsam nobis dare dilectum Filium suum: imo haud spernenda illa pia sanctorum sententia, Deum sicut Filium suum nobis dedit salutis auctorem per Mariam, ita per ipsam, quae prae ceteris gratiam apud Deum invenit (Luc. 1, 30), et reliqua salutis beneficia dispensare. Unde qua uberrimus gratiarum aquaeductus describitur sermone integro (opusc. XII, 173 ss.) a s. Bernardo [1];

---

[1]) Cf. etiam hom. 2 super *Missus est* n. 17 ib. p. 100; et Damasceni serm. in an. ss. Dei Genitr. n. 9 s. ib. XXXIV, 34. Franco ab. affligem. de gratia Dei l. 6: »Quidquid Mariae speciali licet praerogativa gratia Dei contulit, hoc in salutem totius mundi miseratio divina providit. Maria bonum commune est omnium et de plenitudine Mariae impleta est solitudo gentium.« Godefridus ab. admontensis hom. festiv. 28 (Mig. 174, 751): »Peccatoribus vero ideo largam in misericordia et pietate exhibere se debet, quia propter ipsos mater Dei electa est. Nam si peccatores non essent, Filius Dei incarnandus ad terras non descendisset nec ipsa eum genuisset.« Ita et auctor anonymus de concept. (opusc. XII, 231): »Propter peccatores, inquit, Maria facta est mater Dei.«

neque momento caret, quod in prima Joannis Baptistae sanctificatione ipsa adfuerit Luc. 1, 41, primumque miraculum ejus intercessione Christus patrarit Joan. 2, 3.

622. Juverit factum visitationis b. Mariae V. apud Elisabeth, qua occasione sanctificatus fuit Joannes Baptista, altius considerare, cum tot concurrant in eo adjuncta, quae summam Mariae manifestant dignitatem. Consideretur

1. analogia Mariam inter et Christum. Sicut enim Dei Filius venit non ministrari, sed ministrare (Matth. 20, 28): ita Maria ut famularetur s. Elisabeth accurrit. Sicut illum caritas impulit ut se projiceret vel ad apostolorum pedes Jo. 13, 4 ss.: ita et caritas impulit Virginem Verbo vix concepto ad festinandum, ut obsequia exhiberet, etsi Mater Dei, cognatae suae. Sicut Dei Filius exinanivit se factus obediens, propter quod et *Deus exaltavit illum* Phil. 2, 7 ss.: ita Deus respexit humilitatem ancillae suae: et ecce ex hoc beatam eam dicunt omnes generationes.

2. Consideretur quam salutaris fuerit Mariae praesentia. Interventu Evae periit Adamus privatusque est Spiritus sancti inhabitatione: interventu Mariae sanctificatur Joannes Baptista, repletur ejusdem mater Elisabeth Spiritu sancto. Noluit scil. Christus citra matris suae interventum sanctificationis impendere gratiam, ut palam ostenderet, quanta sit ejus pars in ordine salutis.

3. Consideretur Elisabeth Spiritu s. repletam glorificare Mariam, ut angelus ad eam missus Luc. 1, 28; ut Simeon, qui Spiritu sancto actus venit in templum Luc. 2, 27: quo significatur, Spiritui sancto placere laudes Dei Genitricis: imo ipsi eas esse adscribendas, nec posse condigne eam celebrari sine ipsius illustratione. Unde corollarii modo explicatur, quare viri pii, quo sanctiores sunt magisque replentur Spiritu s., eo magis sunt effusi in laudes tantae Matris. Et quantum Elisabeth Spiritu s. repleta extollit Mariam? Se coram ea humiliat, sicut postea Joannes ejus filius veniente ad eum Christo Jesu Matth. 8, 14; eam salutat Matrem Dei, quae est vis verborum: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Eam salutat eodem praedicato *benedicta,* quo ejus Filium: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.* Exempta ergo est Maria a maledicto Evae, et consors benedictionis originalis Filii sui. Si s. Elisabeth adeo honorat Mariam humilem, licebit nobis eam honorare jam tantopere exaltatam.

4. Consideretur eximium Virginis canticum, in quo **a.** tam illustrem enunciat prophetiam, quae splendidissime et plenissime, si qua unquam, fuit completa: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;* **b.** docet mensuram suarum praerogativarum ipsam esse potentiam Dei: *Fecit mihi magna, qui potens est;* **c.** promulgat v. 52 legem quandam fundamentalem oeconomiae supernaturalis, quam etiam enunciat gentium apostolus 1. Cor. 1, 20 ss. Cf. Nicolas t. I l. 2; t. II c. 10 s.

623. **Demonstratio p. III.** B. V. Mariam a majoribus nostris et diserte et aequivalenter mediatricem salutari, patet ex tot testimoniis jam allatis. Vix enim est nomen Christo tributum, quo significetur ejus virtus et causalitas pro reparatione humani generis, quod non tribuatur ejus sanctissimae matri.

Ita salutatur ab armenis in hymno in nativit. Christi: »Maledicti solutio et peccati expiatrix Virgo sancta! Per te solutum est condemnationis

signaculum et per te erecta est prima mater, quae peccando cecidit.« — A syris praeeunte Jacobo sarugensi ad primum nocturnum Sabbati: »Benedicta tu inter mulieres, per quam maledictum terrae exstirpatum est et sententia damnationis accepit solutionem.« — A graecis [1]) in menaeis: »Salve verus virginitatis thesaurus, revocatio progenitricis et solutio maledicti, quo fuit progenitor maledictus.« — A latinis cum Petro Chrysologo serm. 140: »Pavet coelum, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, et una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, coelis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum coelestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat.«

Merito autem Dei matrem dici mediatricem patet. Nam ut quis sit dicaturque mediator, sufficit, si nos inter et Deum medius sic interveniat, ut sua nos ope ad Deum provehat et Deum nobis conciliet, quod b. Virginem praestitisse et adhuc praestare vidimus.

624. Mediatio autem B. V. Mariae excellit quorumcunque sanctorum mediationem, nam praestantia mediationis proportione respondet tum excellentiae sanctitatis et gratiae, tum gradui conjunctionis et familiaritatis cum Deo. Atqui Deipara omnium linguis praedicatur summa post Deum, superexaltata super choros omnes angelorum et velut ea, quae creatae gratiae plenitudinem sanctitatisque apicem ac fastigium obtinuerit: qua mater vero Christi summa cum singulis ss. Trinitatis personis conjunctione et familiaritate fruitur (cf. n. 578 [1] 620 [2]). Ergo eximio privoque modo erit mediatrix. Praecellit scilicet ipsius mediatio mediationem aliorum universalitate, efficacia et titulo. Quod ita expressit s. Anselmus or. 46: »Talis sum (peccator), qualem pejorem non habet mundus. Ideo talem adjutorem requiro, qualem post Filium tuum potiorem et meliorem invenire non potest mundus. Habet orbis apostolos, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos et optimos adjutores, quos ego supplex orare concupisco. Tu vero, Domina, omnibus iis adjutoribus melior et excelsior es; quia istis et aliis sanctis omnibus, etiam angelicis spiritibus, necnon regibus et potestatibus mundi, divitibus, pauperibus, dominis, servis, majoribus et minoribus domina es, et quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? quia mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, regina coeli et terrae et omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, et tu me per omnia adjuves, suppliciter peto. Te tacente nullus orabit, nullus juvabit. Te orante omnes orabunt, omnes juvabunt.« Cf. b. Amadeus hom. 3 de b. M. V. col. hom. 8 (Mig. 188, 1317); Petavius XIV, 9; Suarez disp. 23; Passaglia n. 1373 ss.

---

[1]) Ad 4 Febr. et saepissime. Graeci pro suo in bb. Virginem affectu cantica ecclesiastica absolvunt stropha in ejusdem honorem, quam θεοτόκιον inscribunt. Cf. Nilles de rationibus festorum mobilium utriusque Ecclesiae occident. atque orient. commentario c. 8. Haec vero θεοτόκια abundant testimoniis hujus persuasionis. Ita in ode quadam s. Andreae cret. in magno canone invocat fidelis anima Mariam: »Tu, Deipara, te laudantium spes atque defensio, grave a me peccati jugum tolle, proque tua clementia compunctionis lacrimas indulge.«

625. **Scholion.** *Exceptioni satisfit.* — Protestantes autem propterea Dei genitricis mediationem aversantur, quod ea obscuret Christi mediationem, qui *unicus* est mediator noster. Atqui Dei Genitricis mediatio non obscurat Christum mediatorem, sicut nec causae secundae virtuti causae principis, domini patresque terreni majestati coelestis Domini Patrisque quidquam derogant. Neque enim

1. est Maria V. mediatrix ejusdem cum Christo ordinis, sed gradu altero et participatione. Multiplex enim est discrimen inter Christi et Mariae mediationem. Christus enim **a.** mediatione sua obtinuit salutis possibilitatem, et hinc ad salutem consequendam omnium auxiliorum gratiae inexhaustam copiam; ideoque **b.** mediator est primarius, ante quem nullus alius; **c.** necessarius, sine quo nulla salus; **d.** universalis, seu mediator generis, quo vel ipsa ejus mater indiguit; **e.** sufficiens, cujus mediatio alterius mediatione neque indiget, neque innititur, sed **f.** ex sese est infinitae virtutis. Maria vero mediatione sua, quae meritis et intercessione continetur, non ipsam salutis possibilitatem obtinet, quam jam supponit: sed tantum, ut haec in singulis ad actum reducatur juvat; in distributione vero gratiarum, quas Christus humano generi promeruit, multum valet. Quapropter mediatrix est altero tantum gradu, supposita jam Christi mediatione, a qua etiam omnem suam vim mutuatur et cui innititur; nisi enim Christus et ipsi gratiarum plenitudinem promeruisset, nullius ponderis esset ipsius apud Deum intercessio; nec Deiparae intercessio absolute necessaria est, quamvis summae utilitatis.

2. Quid dein familiarius vel tirunculis, quam sua omnia Christum suis communicasse membris? Sic cum Filius Dei sit, eodem nos consecravit nomine; cum lux sit, petra et fundamentum, et has praerogativas suis tribuit discipulis; tribuit potestatem remittendi retinendique peccata sibi propriam et conferendi s. Spiritum etc. Mirum ergo non est, si et de mediationis munere, de quo participant vel fideles adhuc in terra degentes, prae ceteris participet sine Filii injuria mater ejus sanctissima. Imo

3. in immensum decus redundat istud quidem et in laudum ejus inaestimabile incrementum, quod ex eo exundant in ceteros ceu ab inexhausto fonte ornamenta omnia dignitatum et virtutum. Universim enim illa magnificentior est opulentia, quae nec sibi deficit; et aliis sufficit quae alios ditat absque sui dispendio. Absolvamus caput verbis Germani CP. Deiparam alloquentis in or. de Deip. dormit.: »Tu vero maternam vim apud Deum obtinens iis, qui supra modum peccant, supra modum veniam conficis: nec enim fieri potest, ut non exaudiaris, quoniam tibi ad omnia et per omnia et in omnibus Deus tamquam verae et immaculatae Matri suae obedit. Unde et afflictus ad te confugit merito, imbecillus tibi adhaeret; qui bello petitur, te hostibus opponit; indignationem, iram et afflictionem, immissionem per angelos malos tu commutas; tu justam comminationem et sententiam aequae comdemnationis convertis magnopere amans populum illum, qui nomine Filii tui vocatur.«

626. **Scholion practicum.** Quae de b. Maria V. diximus, facile in populi usum converti possunt: quare pauca innuisse sufficiat.

I. Exposita praerogativa, qua b. M. V. est *mater Dei* (th. 160), ostendatur tantae praerogativae dignitas, ornatus, splendor: **1.** quidem sublimitas ex habitu cognationis affinitatisque, quem Maria contraxit cum singulis ss. Trinitatis personis n. 578 [1]; inde enim liquet ex personis creatis Maria

neminem esse potiorem eamque sanctis omnibus et angelis praecellere (n. 578 [4]); hinc **2.** *in capite ejus corona stellarum duodecim* Apoc. 12, 1; inde enim pendent reliquae ejus praerogativae: sanctitas in ortu; virginitas in conceptione et partu Filii: incorruptio in morte; assumptio in gloria, gratiarum plenitudo, cooperatio in ordine salutis (cf. verba Anselmi n. 578 [3] et n. 584) etc.; vere *astitit regina a dextris* Filii *in vestitu deaurato circumdata varietate* Ps. 44, 10. **3.** Propter tantam celsitudinem ubique videtur a nomine christiano adumbrata, praefigurata, praenunciata in V. T. (n. 579 [5]), adeo ut quidquid splendidi, singulare, eminens ibi reperitur ad illam efferendam atque prae dicandam inserviat: *Quae est ista, quae progreditur* (per totum V. T.) *quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Cant. 6, 9.

627. **II.** Illustretur momentum professionis cultusque, quo s. Mariam prosequimur, ut Dei genitricem: ea enim est fidei compendium, munimentum, tessera. Est **1.** orthodoxiae de incarnationis mysterio compendium, ut egregie exponit Damascenus n. 574. Quo vero **2.** altiori idea imbuimur circa matris Christi dignitatem, eo magis munitur fides in Christi divinitatem, hinc ad hanc tutandam Ecclesia matrem Christi eo prosequitur cultu, qui omnium sanctorum cultum universalitate, perennitate, varietate, splendore excellit: quare professio summae dignitatis matris Christi et cultus huic innixus munimentum est fidei in Christi divinitatem: quod probatur a contrario, cum protestantes hujus cultus osores, vix adhuc credant in Christum Deum (n. 573). Est **3.** haec professio cultusque tessera fidei: fuit tessera fidei sec. V., ut liquet ex historia controversiae cum Nestorio; est professio fidei nostra aetate, qua discernimur a protestantibus. Quare impense foveamus cultum Matris Christi, tum quia **a.** hujus cultus tantum est momentum; tum quia **b.** honor matris redundat in filium; tum quia Deus **c.** inducit, imo provocat ad hunc cultum. An non provocat angelus *missus a Deo* tanto obsequio salutans Virginem? Luc. 1, 28; Elisabeth *repleta Spiritu sancto* tanta reverentia excipiens matrem Domini sui ib. v. 43; ipse Jesus, cum ipsi subditus esset usque ad annum circa tricesimum 2, 51; ipse Deus, qui ita provocavit ad cultum Virginis gentes, ut ipsa potuerit dicere: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* quare? *quia fecit mihi magna qui potens est* ib. 1, 48 s. Quem Deus honorat, quis non honorabit? Quanta temeritas Dei matrem non honorare, negligere, fere contemnere!

628. **III.** Praerogativae Mariae, qua est Dei Genitrix, laetissimus est fructus, quod ipsa est et *mater nostra.* Quanta dignitas nostra et honor, hinc quanta spes et solatium, Mariam ideo esse matrem nostram, quia est mater Dei. Exponantur ergo **1.** tituli, quibus innititur ejus maternitas erga nos (n. 578 [3]), in primis ille, qui continetur maternitate Christi. Hinc **2.** inferatur, quanta sollicitudine suo erga nos fungetur munere duplici praesertim ex motivo: **a.** exemplo Christi impulsa: si enim Dei Filius propter nos nostramque salutem se exinanivit formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. 2, 7 ss.: quid curarum pientissima ejusdem mater non in se suscipiet propter nos nostramque salutem? **b.** quia ipsa nobis quadamtenus debet tantam exaltationem: nam „nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est causa medicinae," inquit s. Augustinus serm. 175 n. 1. (cf. n. 621 [4] a.). Tanto muneri, tantae sollicitudini respondebit **3.** auxi-

liandi potentia: hinc **a.** praedicatur *gratia plena,* sane ut illam in alios effundat: quo ditior enim quis, eo magis tenetur aliis de sua abundantia succurrere: hinc **b.** vix Dei mater effecta venit ad s. Elisabeth non ministrari sed ministrare Luc. 1, 39, et ipsius interventu sanctifactus fuit s. Joannes B. in utero matris adhuc latens v. 44; hinc **c.** in indigentia vel temporali non adeo urgenti, in qua Deus non solet patrare miracula, intercessione sua induxit Filium non solum ad patrandum miraculum, sed ad anticipandam horam suae manifestationis a se statutam Jo. 2, 3 ss.; hinc **d.** tot antiquitatis encomia, quibus depraedicatur gratiarum ubertas in matre Dei ad nos usque redundans (n. 621 [4]). Nec ultima est ratio **e.** quare omnes generationes certent ut eam dicant beatam Luc. 1, 48, quam quia ejus maternae dignitatis in se experiuntur fructus: sublimitas enim sterilis non solet provocare affectum. Quantus ergo honor tantae matri exhibendus: qua pietate filiali ipsius sollicitudini occurrendum; qua fiducia ad ejus auxilium recurrendum.

629. **IV.** Copiosum laudis argumentum suppeditat salutatio angelica, praesertim si ratio habetur commentarii s. Thomae (quem reperies opusc. XXXIV, 320 ss.). Quanta laetitia affectus fuit Noe, cum vigente diluvio rediret ad eum columba *portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo* Gen. 8, 11, eoque annuncians diluvii finem spemque salutis. Ita vigente peccatorum diluvio hominumque ruina coelitus allabitur ad virginem, quae longe magis quam olim Noe Gen. 6, 8 *invenit gratiam coram Domino* Luc. 1, 30, angelus pacis et salutis nuncium ore gestans, dum ita Mariam alloquitur: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* **1.** *Ave.* »Quod angelus, inquit s. Thomas hoc verbum l. c. commentans, faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit b. Virginem reverenter dicens: *Ave.* Quod autem antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est, quia angelus erat major homine et hoc quantum ad tria: Primo quantum ad dignitatem... secundo quantum ad familiaritatem ad Deum . . . Tertio praeeminebat propter plenitudinem splendoris gratiae divinae . . . Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet angelos: et haec fuit b. Virgo.« **2.** *Gratia plena.* Hanc gratiae plenitudinem collige **a.** ex rationibus s. Thomae n. 584 [2]; **b.** ex dictis patrum n. 586; praesertim ex eorum axiomate, quidquid gratiae (gratum facientis) collatum fuit aliis, ejus plenitudinem fuisse collatam Mariae ib. n. 586; **c.** ex amore ss. Trinitatis erga Mariam: amoris autem divini fructus est gratia n. 584 [3]; **d.** ex textibus illis s. Scripturae, quos Majores nostri b. Mariae V. applicant, ut Ps. 45, 5 s. et 86, 1 ss. (n. 579), et Ps. 92, 5: *Domum tuam decet sanctitudo;* Is. 2, 2 (n. 578 [4]). Qualis vero **e.** fuerit haec gratiae plenitudo tibi suggeret s. Thomas in suo commentario n. 585. **3.** *Dominus tecum.* Porro fuit Dominus cum Maria **a.** originaliter, ab ipsis ejusdem originibus; **b.** permanenter, neque enim unquam turbata fuit relatio Virginem inter et Deum; **c.** familiariter, quia erat cum ipsa Pater ut cum filia praedilecta et in matrem Filii sui unigeniti electa; Filius ut cum matre propria, et Spiritus s. ut cum sponsa. **4.** *Benedicta tu in mulieribus.* Fuit benedicta, quia **a.** immunis a maledicto mulieribus imposito Gen. 3, 16 »quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret et in dolore pareret« (s. Thomas l. c.); **b.** quia immunis a corruptione corporis n. 619 [3]; quia **c.** longe gloriosior illis feminis quae ob sua in populum israeliticum beneficia hujus admirationem, gratitudinem, benedi-

ctionem promeruerunt, sicut Debbora, Esther, Judith, ideoque longe pleniori sensu ad eam spectant pulcherrima verba, quibus populus israeliticus benedixit Judith 13, 22—26 (n. 620 [2] d.); quia **d.** eum in reparationis ordine occupat locum, quem Eva in ordine ruinae n. 593.

630. **V.** Transeunte foederis arca Jordanis flumen Jos. 3, 13, steterunt aquae non ausae illam attingere magno israelitarum stupore: ita adventante vera foederis arca, b. Maria V., substitit peccati originalis infectio omnes alioquin posteros Adami invadens (Cf. verba s. Francisci Sal. n. 588[4] a.). Tenendum enim est b. Mariam V. sine peccato originali esse conceptam. Id sane **1.** exigit studium ss. Trinitatis erga b. Mariam V. **a.** Patris in eligenda ipsa a seculis in matrem dilectissimi Filii sui; **b.** ipsius Filii (cf. verba Jacobi sarugensis n. 584[3]) in adornando sibi tabernaculo et thalamo, e quo prodire voluit (n. 592[2]). Sane *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur; adjuvabit eam Deus mane diluculo* Ps. 45, 5. 6. Studium **c.** s. Spiritus in singularem sponsam suam, ad quam in primis spectant illa Cant. 4, 7: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hinc **2.** antiquitas christiana eam vidit praefiguratam et praemonstratam figuris et typis, quae originalem excludunt labem: **a.** in paradiso originaliter benedicto; **b.** in foederis arca ex ligno incorruptibili parata, auro purissimo intus ac foris vestita (n. 592[4]); **c.** in Esther, quae utpote regina, sola exempta erat censenda a lege alioquin universali (n. 596[4]); **d.** in sole, nam *in sole posuit tabernaculum suum* Ps. 18, 6. Adeo **3.** visa est connexa originalis puritas cum notione matris Dei, ut populus christianus ductu s. Spiritus miro consensu, fervore, alacritate in admittenda et depraedicanda hac praerogativa conspiraret (n. 589), et Deus huic conspirationi large benedixit: cujus benedictionis, hinc et approbationis divinae argumentum sunt fructus laetissimi ex cultu immaculatae Virginis profecti. Neque mirum **4.** populum christianum vidisse hunc nexum, cum is satis significetur protoevangelio (n. 594). In memoriam revoca tristissimum protoparentum lapsum Gen. 3, 6 ss. Quanta vero divina miseratio, statim enim Deus cogitat de reparatione ruinae; novum condit ordinem innixum duplici cardine: *Inimicitias ponam* (ego Dominus miserator simul et omnipotens) *inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* ib. v. 15. Ergo ad hunc ordinem divinitus institutum, non ad ordinem lapsum et restaurandum, spectat positionis divinae mulier, mater benedicta beatissimi illius seminis conterentis caput serpentis. Quare immunis est a lapsu, particeps ab origine reparationis, quod professa est christiana antiquitas, dum eam praedicat Evam novam, sed meliorem, praestantiorem, feliciorem illa priori (n. 593).

631. **VI.** Quaerere quis potest, quare tam sero definita fuerit immaculata Virginis conceptio. Id non ideo est factum, quod nova sit haec veritas, est enim tam antiqua, quam antiqua salutatio angelica, imo ipsum protoevangelium (n. 598): sed Deus sapientissima sua providentia ita magisterium ecclesiasticum in omnem ducit veritatem et dirigit, ut seculorum cursu veritates ante implicite tantum vel minus explicite creditas proponat, urgeat, definiat, quae temporum adjunctis quam maxime sunt opportunae et salutares. Nostro autem seculo dogmatis hujus definitio fuit admodum opportuna **1.** ad firmandum dogma de peccato originali adeo fundamentale respectu totius reli-

gionis christianae (n. 360), cui e diametro adversatur naturalismus putidus omnia nunc inficiens; **2.** ad ostendendam et inculcandam gravitatem mali, quae inest peccato, cum videamus ss. Trinitatem adeo sollicitam de praeservanda Unigeniti matre ab ejus macula, populumque christianum adeo studiosum, ut abstergeret vel suspicionem peccati a purissima virgine: nostra autem aetate adeo contemnitur, parvipenditur haec malitia, ut ab ea sibi homines minimo caveant. Hinc **3.** ad excitandum fovendumque studium innocentiae, quae modo rara est, cum videamus Deum sibi adeo complacere in matre immaculata. Ad inculcandam **4.** et in memoriam revocandam nostram ad finem supernaturalem destinationem et vocationem: cum tantum in hypothesi ejusmodi elevationis explicari possit peccatum originale. Hujus vero destinationis prae nimio bonorum mundanorum studio et amore homines modo obliviscuntur vivuntque in diem. Ad impugnandum **5.** rationalismum adeo dominantem, qui exosa habet mysteria: plura autem mysteria hoc unum complectitur dogma. Ad tutandum **6.** iterum dogma de divinitate Christi, quae unica est ratio tanti privilegii b. Mariae V. Ad reprobandum **7.** deismum, pantheismum etc., qui admissa ferrea et inflexibili omnium necessitate subtrahere nititur res humanas dominio liberrimo et beneplacito divino, quasi Deus non possit pro nutu legum, quibus regitur genus humanum, statuere exceptiones. **8.** Ad fovendam humilitatem adeo nobis necessariam et excitandam alacritatem. Duo enim Deus nobis eo veluti inclamat: omnes vos estis peccatores — contra superbiam; sed propterea ne vos nimis abjiciatis; videte enim ad quid et vos estis vocati. Quare definitione hujus dogmatis continetur recapitulatio quaedam revelationis christianae: et hinc intelligitur, quo sensu b. Virgini inclametur: »Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo«. Haec etiam videtur ratio, quare professio hujus dogmatis et cultus Virginis immaculatae in ordine spirituali et morali tam salutares proferat fructus.

632. **VII.** Jam a remota aetate, magna solemnitate, mira populi christiani conspiratione et laetitia celebratur gloriosa Virginis secundum corpus in coelum assumptio (n. 619). Et merito. Assumptionem b. Mariae V. secundum corpus exigit **1.** ejusdem cum Filio connexio. Connexa enim est illi **a.** ratione maternitatis nexu eximio et privo: hinc **b.** sequitur connexio in praerogativis: ille benedictus, et haec benedicta Luc. 1, 28. 42; ille gratia plenus, et haec gratia plena ib. 1, 28; connexa **c.** in inimicitia adversus daemonem Gen. 3, 15; hinc **d.** in privilegio conceptionis immaculatae; connexa **e.** in opere reparationis, sicut in ordine ruinae Eva cum Adamo (n. 593[4]). Erit ergo conjuncta in gloria, quod praesignificasse censendus est psalmista 131, 8: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.* Exigit **2.** amor Filii in matrem, cum enim ex hoc amore eam exemerit **a.** a lege peccati originalis; **b.** a lege peccati actualis (n. 604) et **c.** a lege concupiscentiae (n. 607); **d.** a lege amittendae virginitatis per conceptum et partum (n. 609); **e.** a lege dolorum in partu: merito infertur eam et a lege corruptionis secundum corpus fuisse exceptam. Exigit **3.** Christi victoria de peccato deque peccati fructibus relata, quam rationem urgent patres concilii vaticani n. 619[3]. Quare gaudeamus omnes diem festum celebrantes sub honore b. Mariae V., de cujus assumptione gaudent angeli et collaudant Filium Dei. Magis ergo nos ejus filios gaudere decet.

633. **VIII.** *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* Luc. 1, 48. Quam adamussim adimpletum est hoc vaticinium! Ipsi testes eventus sumus, ipsi eum videmus, imo de die in diem semper magis adimpletur: et qualis est laus Virgini exhibita, si spectas **a.** durationem, **b.** amplitudinem localem, **c.** multiplicitatem modi; **d.** qualitatem laudantium, non enim solum rudes eam laudibus prosequuntur, sed et divites, potentes, eruditi, culti, viri sanctissimi, qui quo sanctiores, eo magis effusi sunt in b. Mariae V. praeconium; **e.** sinceritatem laudis, non ex adulatione profectae; **f.** fructus hujus laudis laetissimi, cum ex affectione erga ss. Dei genitricem post ipsam currant in odorem virtutum ejus. Quaeritur autem num jure eam beatam praedicent. Et dicimus meritissime. Merito praedicatur beata **1.** ratione Filii: »Beata viscera Mariae V., quae portaverunt aeterni Patris Filium; et beata ubera, quae lactaverunt Christum Dominum;« **2.** ratione gratiae: *Invenisti gratiam apud Deum.* Et quantam? *Ave, gratia plena* Luc. 1, 30. 48; **3.** ratione privilegiorum: immaculate enim fuit concepta; virginaliter concepit, purissime peperit, innocentissime vixit, gloriose in coelum fuit assumpta: *Fecit enim ei magna qui potens est* Luc. 1, 49; **4.** ratione partis, quam habuit in redemptione generis (n. 620): quare ipsi applicari possunt verba Jud. 13, 22 ss. et 25, 10 s.: *Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel* etc. (n. 620[2]d): **5.** ratione exempli, quo omnibus praelucet (n. 621); **6.** ratione beneficiorum, quae potentissima intercessione sua in nos incessanter refundit (n. 621[4]), hinc **7.** salutis, quam innumeris impetrat: *Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent* Is. 60, 4; cf. 54, 1 ss. Ratione **8.** ipsius laudis et obsequii, quod ipsi ab omnibus generationibus Deo ita disponente impenditur. Hinc collige triplex corollarium: **1.** magnum Mariae, in qua efferenda coelum et terra certant, esse momentum in ordine supernaturali reparationis et salutis, sive ejus relationem consideres **a.** ad Christum, sive **b.** ad Evam, sive **c.** ad Ecclesiam, cujus caput genuit, sive **d.** ad nos singulos, quorum curam maternam sub cruce in se suscepit; sive **e.** speciatim ad femineum sexum (n. 621), cui divinitus datum est in lucidissimum exemplar; sive **f.** nominatim etiam prae peccatoribus: sicut enim ipsius Filius venit salvare quod perierat Matth. 18, 11: ita et ipsa particeps sollicitudinis et curarum Filii, refugium est et salus peccatorum. Unde merito affirmatur per ipsam Deum subvenisse illi indigentiae familiae humanae, quam ita bene expressit Eccli. 36, 27: *Ubi non est mulier, ingemiscit egenus.* Cf. et praeclara verba s. Bernardi n. 620[2]. **2.** Ecclesia illa, in qua et per quam Maria beata praedicatur, et illo momento fruitur, de quo mox egimus, vera est Ecclesia; ipsa regitur Spiritu Dei, qui et angelum et Elisabeth induxit ad benedicendam matrem Domini; in ipsa completur vaticinium illud Luc. 1, 48; ideoque est objectum complacentiae divinae, quod adeo respondet intentioni Dei, qui fecit magna b. Virgini, et sane vult ut haec agnoscantur, praedicentur. **3.** Sicut pietas erga Christum pignus salutis: ita constans pietas erga matrem Christi signum electionis. Fieri enim nequit, ut qui filiali pietate prosequitur matrem Christi, a Christo, qui et ipse matrem suam amat et magnificat, mercede et praemio destituatur. Vere ergo, ut absolvamus, in Maria *signum magnum apparuit in coelo* Apoc. 12, 1: Signum potentiae: *fecit enim mihi magna, qui potens est* Luc. 1, 49; signum veritatis: *beatam me dicent* ib. v. 48; signum gratiae: *qui me invenerint, invenient vitam et haurient salutem a Domino* Prov. 8, 35.

PARS II.

De Christo Salvatore.

634. Considerato Verbo incarnato in se seu persona Redemptoris, reliquum est, ut illius munus et opus (n. 441) consideremus: quod eo melius determinabimus, quo accuratius cognoscimus finem, propter quem Filius Dei de coelis descendit humanamque induit naturam. Atqui finis incarnationis, seposito interim fine ultimo, qui gloria Dei continetur, re quidem unus est, salus scilicet nostra, virtute tamen est multiplex, ut patres apud Petavium II, 6 ss. et Thomassinum I, 13 ss. copiose docent. Ergo et Christi munus re quidem unum, est enim mediator Dei et hominum, virtute tamen est multiplex. Omnes autem incarnationis fines commode revocantur ad tres: ad reconciliationem contra peccatum et damnationem, doctrinam contra ignorantiam et errorem, adjutorium contra concupiscentiam et infirmitatem, pro triplici in primis indigentia, quam peccato contraximus: cui triplici indigentiae respondet triplex munus et opus, ipso nomine Christi adsignificatum: ipse enim solus, ut loquitur Eusebius H. E. I, 4, est universorum pontifex ac solus rex omnis creaturae solusque prophetarum Patris archipropheta. Quare haec pars apte dividitur in tria capita, scilicet de sacerdotio Christi, de ejus magisterio atque regia potestate. Cum vero si qua est controversia sive difficultas, ea prae primis circa Christi sacerdotium versetur, reliqua enim munera non ita exigunt theologicam disputationem, iis omissis tantum de Christo sacerdote ejusque functionibus sacerdotalibus harumque uberrimis fructibus disseremus. De duplici alio Christi munere cf. Petavius XII, 15 ss.; Hettinger, die Dogmen des Christenth. I disp. 8 et 10; Stentrup th. 126—168.

635. **Thesis CLXVIII.** ***Christus Jesus, qui mediator est Dei et hominum non solum moralis, sed et naturalis, sacerdos est et quidem praestantissimus.***

Declaratio. Nomine mediatoris universim intelligitur medius inter duos pluresve sejunctos ad eos aliquo modo conjungendos et conciliandos: qui propterea cum iis, quos inter velut medius est, utrimque aliquid habeat commune eisque conjunctus sit oportet. Haec conjunctio cum utrisque constituit mediatorem seu medium in ordine ontologico, et simul aptitudinem seu actum primum aut saltem necessariam conditionem ad ipsum munus opusque conciliationis, in quo munere consistit ea, quam dicimus mediationem moralem, actusque secundus. Jam vero in ordine ontologico potest mediator Deum inter et hominem junctus esse vel gratia vel identitate naturae, quo posteriori in casu mediator est et dicitur naturalis.

Quae ita paucis complexus est s. Thomas in 3. dist. 19 q. 1. a. 5: „Dicendum, quod in medio est duo considerare, scilicet rationem, quare dicatur medium, et actum medii. Dicitur autem aliquid medium ex hoc, quod est intra extrema. Actus autem medii est extrema conjungere. Mediator igitur dicitur aliquis ex hoc, quod actum medii exercet conjungendo disjunctos (quod quatuor modis fieri posse ostendit Becanus summae theol. p. 3 tr. 1 c. 21 n. 1). Non potest autem actum medii exercere, nisi aliquo modo natura medii in ipso inveniatur, ut scilicet sit inter extrema. Esse autem inter extrema convenit quantum ad duo; scilicet quantum ad hoc, quod medium participat utrumque extremorum: et secundum ordinem, in quantum est sub primo et supra ultimum: et hoc exigitur ad rationem medii proprie dicti: quia medium dicitur secundum respectum ad primum et ultimum, quae ordinem dicunt. Christo autem secundum humanam naturam haec tria conveniunt. Ipse enim secundum humanam naturam pro hominibus satisfaciens, homines Deo conjunxit; ipse etiam ab utroque extremorum aliquid participat in quantum homo: a Deo quidem beatitudinem, ab hominibus autem infirmitatem; ipse etiam in quantum homo supra homines fuit per plenitudinem gratiarum et unionem, et infra Deum propter naturam creatam assumptam. Et ideo proprie loquendo ratione humanae naturae est mediator. Ratione autem compositae personae potest etiam dici mediator quantum ad duas dictarum conditionum, scilicet in quantum conjunxit homines Deo et in quantum utrique extremorum communicat in natura plenarie, non participative; sed tertia conditio deficit, quia secundum personam non fuit minor Patre. Sed quantum ad divinam naturam nullo modo competit sibi ratio mediatoris.«

636. **Demonstratio p. I.** J. Christum, qui per excellentiam dicitur *mediator Dei et hominum* 1. Timoth. 2, 5, mediatorem esse moralem demonstratione non indiget, cum evidens sit, eum partes omnes mediatoris moralis explesse, et ut nos Patri reconciliaret, quod etiam ex dicendis patebit; et ut nobis Patris voluntatem manifestaret mandataque ejus ad nos deferret, *apostolus* (Dei ad nos) et *pontifex* (reconcilians nos Deo) confessionis nostrae (Hebr. 3, 1) factus. Eum vero esse mediatorem naturalem, omnia demonstrant, quibus ostendimus, Christum simul esse Deum et hominem; quibus opportune adjunges, quae de congruentia diximus incarnationis Verbi ad reconciliandum humanum genus Patri coelesti th. 141. Patres hanc naturalis mediatoris rationem tamquam fundamentum mediationis moralis disertissime et magno consensu declarant. Ita e. g. Irenaeus III, 18: „Oportuerat mediatorem Dei et hominum per suam ad utrosque domesticitatem in amicitiam et concordiam utrosque reducere.“

637. **Demonstratio p. II.** Christum esse sacerdotem data opera Paulus in epist. ad Hebraeos a c. 5 ad 10 usque docet, eumque saepe vocat sacerdotem magnum, sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech, pontificem confessionis nostrae; eum autem esse sacerdotem undique perfectum, prae quo sacerdotium vel aaronicum umbrae

tantum rationem habet, cui propterea nullum aliud est unquam substituendum, multiplici ex capite probat. Probat

1. ex juramento 7, 20 ss., quo Christus sacerdos constitutus fuit: *Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum* Ps. 109, 4: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum), in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus;*

2. ex dignitate hostiae 9, 12: *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta* etc.;

3. ex unitate sacrificii, quod semel oblatum multorum peccata exhausit aeterna redemptione inventa ibid. 10, 1 ss.; 9, 28;

4. ex hujus sacrificii effectu, inquinatos enim non sanctificat ad emundationem carnis tantum, sed semel oblatum consummavit in aeternum sanctificatos 9, 13 ss.; 10, 4 ss. Ad haec Christus est

5. *pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi* 7, 26.

6. Fuit praeterea non merus homo infirmitatem habens, cujusmodi erant sacerdotes levitici 7, 28, sed is, cui Pater dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* 5, 5; *talis enim decebat ut nobis esset pontifex . . . excelsior coelis factus* 7, 26; quique *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* 7, 24. Patrum doctrinam cf. apud Petavium XII, 11; Thomassinum X, 8 ss. Radulphus Ardens I. hom. 43 (Mig. 155, 1820 ss.) plures ejusmodi praerogativas recenset.

638. **Scholion.** *Christum ab ipso conceptionis exordio fuisse sacerdotem,* non vero ut opinantur sociniani, post suum in coelum ingressum, patet satis clare ex Hebr. 10, 4 ss.: *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio* etc., quibus significatur, Christum munus sacerdotale suscepisse in primo ingressu in mundum; quod patet etiam ex incarnationis fine. Cf. Thalhofer das Opfer des A. u. N. B. § 20.

639. **Thesis CLXIX.** ***Christus potissimum sacerdotii munus tum explevit, cum semetipsum in ara crucis hostiam immaculatam Deo obtulit.***

Declaratio. Potissimum sacerdotis munus est sacrificii oblatio, quod **1.** vel ipsi protestantes si non expresse et verbis, tacite saltem et re ipsa concedunt, cum rejecto quovis in suo cultu sacrificio nunquam sibi verum propriumque sacerdotium vindicent. Sane **2.** sacerdotis et sacrificii ideae sunt correlatae, quarum una alteram necessario supponit et involvit. Quare vel apud gentes proprium praecipuumque sacerdotum munus est sacrificia offerre; quod **3.** luculentius probatur ex oeconomia synagogae divinitus instituta, in qua proprium sacerdotum munus erat sacrificium; quapropter **4.** Paulus ge-

neratim pronunciat Hebr. 5, 1: *Omnis namque pontifex ex hominінus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Cf. 8, 3. Si ergo Christus verus fuit sacerdos, sacerdotis autem munus est sacrificium offerre: dubitari nequit, Christum praecipuum hoc sacerdotale munus explesse.

640. **Demonstratio.** Christum sacerdotis munus tunc explesse i. e. sacrificium obtulisse, cum se Patri aeterno in ara crucis obtulit, vel aliis verbis, ejus mortem in cruce verum fuisse sacrificium, contra socinianos, qui id negant, his probatur argumentis:

1. negari nequit, sacrificia cruenta V. T. rationem habuisse typi relate ad mortem Christi cruentam: *umbram enim habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,* uti docet Paulus Hebr. 10, 1, et saepissime etiam inculcant patres. Ita passim Augustinus, ut de civ. Dei X, 20: „Cujus veri sacrificii (in cruce oblati) multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum ob hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur." Et Ambrosius in prol. op. de Spir. s. n. 4: „Hic (scil. Christus) est, qui nunc in hoedi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur. Hoedi, quod sacrificium pro delictis sit; ovis, quod voluntaria hostia: vituli, quod immaculata sit victima." Cum ergo illa non propter materialem occisionem, sed quatenus erant sacrificia typi fuerint mortis Christi cruentae in cruce, huic qua antitypo ratio sacrificii insit necesse est.

2. Saepe in divinis literis sermo est de morte Christi; eaque constanter et diserte iis describitur verbis, quibus sacrificia V. T. designantur et describuntur. Verum ergo censeri debet sacrificium. Dicitur enim Christus [1]) sane ratione mortis suae *agnus* immolatus, cujus sanguine redempti sumus et expiati; dicitur *immolatus, oblatus* (nigaš verbum omnino sacrificiale), *sacrificatus;* dicitur *oblatio* et *hostia, propitiatio* i. e. sacrificium expiationis (cf. Num. 5, 8; Ez. 44, 27 etc.); dicitur victima pro peccato, *peccatum;* nam ut ait Augustinus serm. 134 n. 5: „Creberrime peccata dicta sunt sacrificia pro peccatis;" Christi vita exhibetur data *in pretium* pro hominibus ἀντίλυτρον pro omnibus, ejus sanguis dicitur *effusus in remissionem peccatorum.* Ejus morti sanguinisque effusioni tribuuntur tamquam fructus proprii redemptio, propitiatio, remissio peccatorum, purgatio, reconciliatio, justificatio, novum foedus etc., qui sunt fructus sanguinis sacrificialis.

3. Accedit doctrina Pauli in ep. ad Hebr.; testatur enim **a.** sacrificia V. T. typos fuisse oblationis Christi Hebr. 10, 1 ss.; instituit **b.** passim

---

[1]) Cf. Is. 53, 6 ss.; 2. Cor. 5, 21; Eph. 5, 2; Matth. 20, 28; Jo. 1, 29; Rom. 3, 25; 1. Cor. 5, 7; 1. Tim. 2, 6; 1. Petr. 1, 19; 1. Joan. 2, 2; Apoc. 5, 6 etc.

comparationem inter sacrificia maxime solemnia V. T. cum morte Christi, atque ostendit, quantum haec vi sanctificandi illis excelluerit, hinc quanta sit sacerdotii Christi praestantia prae levitico 9, 11 ss.; 24 ss.; 13, 11 (n. 637); **c.** adhibet verba sacrificialia de morte Christi, quibus sacrificia V. T. describit 7, 26; 10, 8 ss.

4. Christus exhibetur ut sacerdos, qui nos Deo Patri reconciliavit. Id ergo effecit modo sacerdotali. Atqui modus sacerdotalis continetur sacrificio: hoc enim offerre sacerdotis est proprium. Ergo nos Patri reconciliavit sacrificio. Atqui dicitur nos reconciliasse morte sua, expiasse sanguine suo, effudisse sanguinem in remissionem peccatorum. Ergo ipsa mors, effusio sanguinis Christi in cruce erat sacrificium.

641. **5.** Idem evincitur ex diligentiori consideratione hinc quidem sacrificii, inde vero mortis Christi. Sane **a.** sacrificium est actus externi cultus, expressio scil. et protestatio visibilis illius sensus interioris, quo agnoscimus supremam Dei majestatem ac dominium in vitam et mortem, absolutam omnium a Deo dependentiam nostrumque reatum. Hic autem sensus **b.** natura duce, cujus ductum vel ipse Deus approbavit, exprimitur quam aptissime destructione, immolatione alicujus rei ad hominem pertinentis, praesertim eorum, quae ad vitam humanam fovendam et nutriendam pertinent, maxime animalium. Huic vero immolationi **c.** inest vis substitutionis symbolicae, scil. qui sacrificium offerunt eaque oblatione infinitam Dei majestatem agnoscunt, pro se reis substituunt [1]) victimam, in qua visibili modo exprimant, quid se propter peccata meruisse sciunt et fatentur: atque ita victimae immolatio efficitur sacramentum seu symbolum cujusdam invisibilis sacrificii, quo se sacrificans impendit mactatque quodammodo invisibiliter; ut clare colligitur ex sacrificiis V. Testamenti [2]), in quibus ii, qui sacrificium offerre volebant, manum imponebant victimae, quo ritu transferebant velut in eam sua peccata, propter quae culpae poenaeque rei erant, ut immolatione victimae sibi substitutae a culpa liberarentur et poena. **d.** Haec substitutio symbolica typus erat alterius realis substitutionis, qua Dei Filius factus homo

---

[1]) Cf. Thalhofer § 9. Cum haec substitutionis ratio sacrificiis insita sit, factum est, ut nonnunquam homines, praesertim innocentes vel Deo accepti ut infantes et virgines, a gentilibus immolarentur. De ea deque sacrificiorum significatione bene disputat Guilelmus Alvernus episc. paris. apud Thomassinum X, 2. Cf. Franzelin th. 49; de euch. th. 5; Stentrup th. 77.

[2]) Cf. Gen. 22, 13, ubi narratur substitutio arietis pro Isaac, quem Deus prius jusserat sibi offerri. *Vidit* (Abraham) *post tergum arietem . . . quem assumens obtulit pro filio;* Exodi 29, 10; Lev. 1, 4; 3, 2; 4, 4; 17, 11: *Anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit.* Maxime hoc elucet e ritu sacrificii in festo expiationis oblati Lev. 16. Cf. Thalhofer l. c. § 8. Cf. infra t. III de euch. c. 2 a. 1.

seipsum pro genere humano lapso substituit, ut quod vetera illa sacrificia ostendebant necessarium et portendebant futurum, satisfactionem inquam pro peccatis, ipse se ipsum offerendo in sacrificium adimpleret. Haec autem substitutio, qua Filius Dei factus homo generis humani lapsi causam in se recepit, ut pro eo tamquam caput repraesentans membra satisfaceret divinae justitiae, idea est fundamentalis mysterii redemptionis, quae in Scripturis tam propheticis V. T., quam in declarationibus N. T. disertissime continetur. Dicitur enim positas esse in ipso iniquitates omnium nostrum Is. 53, 6; 1. Petr. 2, 24; ipsum factum esse maledictum, peccatum pro nobis Gal. 3, 13; 2. Cor. 5, 21; in carne ejus divinam justitiam condemnasse peccatum Rom. 8, 3; eum factum esse pro nobis pretium solutionis et redemptionis 1. Tim. 2, 6; eum fudisse sanguinem in remissionem peccatorum etc. Quare e. cum haec facta sunt in ara crucis, liquet illam mortem fuisse omnium maximum, solemnissimum, unicum Deo dignum sacrificium, quo uno propitiatus Deus, quo humanum genus emundatum, quod hebraei religiosis praemonstrabant figuris, quod natura, ut ait Thomassinus X, 6, quodam aegritudinis suae ingenio subodorabatur, et ideo nunc pecudes, nunc homines quasi tentabunda sacrificabat; illudque denique semel adepta omnia statim reliqua sacrificia damnavit et in totum abolevit.

642. Alia quoque ratione idem si non probari, saltem illustrari potest. Notetur enim sacrificium consistere oblatione quadam, qua res transfertur in Dei dominium; eamque aptissime significari immolatione, qua res homini subtrahitur atque in odorem suavitatis a Deo acceptatur. Atqui eo gratius Deo est sacrificium, quo nobilior victima: nihil vero nobilius offerens de suis potest offerre se ipso. Ergo sacrificii praestantia exigit identitatem offerentis et hostiae. Verum homini non licet semetipsum immolare; hinc factum est, ut ipsa natura duce alia sibi substitueret: sed Christus habens potestatem ponendi animam suam et iterum sumendi eam Jo. 10, 18, potuit se ipsum immolare; hinc cum ipse sit sacerdos infinitae majestatis ejusque natura atque vita humana infiniti valoris, ejus oblatio Deo fuit plane condigna. Christus vero sacerdos fuit pro hominibus constitutus; quare ab his eam victimam accipere oportuit. Porro illam accepit ipsa incarnatione factus ex semine David, propter quam cum universo humano genere consubstantialitatem quodam sensu dici potest, in ipso tamquam in primitiis immolatam fuisse universam naturam humanam. Ad rem Cyrillus alex. in Rom. 6, 6: »Crucifixi itaque cum eo fuimus, quo tempore caro ejus crucifixa est, quae universam quodammodo in se naturam continebat: sicut etiam in Adam, quando in maledictionem incurrit, natura universa morbum incurrit maledictionis.« Et quia lex divinitus statuta est, ut membra suo configurentur capiti Rom. 8, 29, Christus sacrificium suum quodammodo in Ecclesia continuat, integrat, consummat. Qua de causa scribit Paulus ad Coloss. 1, 24: *Gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Cum autem natura humana sit microcosmus, universi compendium: oblatione humanae naturae Christus obtulit sacrificium universale,

quo tamquam universi sacerdos et caput condignam Deo exhibet adorationem, gratiarum actionem et pro peccatis propitiationem, quibus impar erat universa creatura. Quare sacrificio crucis non tantum obtenta fuit lapsi generis reconciliatio et reparatio, sed et obtentus cumulatissime creationis finis, qui Dei gloria continetur. Cf. Scheeben, Mysterien des Christenthums § 65; Thomassinus IX, 19 ss. Quare autem Christus voluerit hoc sacrificium in ara crucis offerre, bene explicat s. Thomas 3 p. q. 46 a. 4.

643. **Corollarium practicum.** Hujus sacrificii momentum

1. collige ex ipsius latitudine, qua universum in suis complectitur primitiis (n. 642), et universo profuit mundo;

2. ex ejus longitudine, cum jam adumbratum fuerit in Abelis oblatione, unde Christus *agnus occisus ab origine mundi* dicitur Apoc. 13, 8, et idem commemorandum sit usque ad seculi consummationem;

3. ex ejus altitudine, ipsius enim virtus peccatores Deo reconciliat penetratque coelos, quos peccato clausos nobis iterum aperuit;

4. ex profunditate effectuum, nam animae maculas radicitus delet et vel ex infernis animas justorum ibi degentium eripuit; aut etiam ratione ss. Cordis Jesu, in quo radicatur. Huic enim cordi adscribi debet **a.** tantum pietatis consilium, quo nos dilexit usque *in finem* non solum suae vitae, sed etiam usque ad supremam caritatis mensuram: nam *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* Joan. 15, 13. Ex hoc corde **b.** tamquam e fonte manavit sanguis ille pretiosus pro mundi vita; **c.** ex amore illius cordis novum derivatur pretium hujus sacrificii, quia cum tanto oblatum est amore, ut hic plus contulerit ad mortem quam carnifices: eo enim non permittente, nihil hi potuissent. Hoc significavit Christus dicens Joan. 14, 31: *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem . . . surgite, eamus hinc.* Quocirca sacrificium crucis verum est *holocaustum*, cujus ignis erat intensissimus ss. Cordis amor.

644. Verum et alia ratione hoc sacrificium considerare licet, ut ejus magnitudinem et plenitudinem inexhaustam magis magisque agnoscamus illudque admiremur atque pro viribus aestimemus. Consideremus

1. ejus latitudinem, obtulit enim Christus in eo omnis generis bona: obtulit non solum **a.** corpus et sanguinem suum usque ad ultimam guttam, sed et **b.** libertatem, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. 2, 8, adeo ut in cruce ne manus libere movere potuerit clavis affixus; **c.** honorem bonumque nomen Barrabae postpositus, cum iniquis reputatus, blasphemiae accusatus; **d.** amorem, obsequium gratitudinemque sibi debita ob tot beneficia impensa quaeque merito exigere potuit, reprobatus a populo, in cujus salutem venerat, desertus a suis, traditus a discipulo, negatus ab eo, quem tot signis benevolentiae cumulaverat; **e.** commoda et delicias, toto corpore attritus et confossus Is. 35, 5; nam *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* Is. 1, 6; *vir dolorum* 53, 3; *ego autem sum vermis et abjectio plebis . . . Aruit tamquam testa virtus mea et lingua mea adhaesit faucibus meis* Ps. 21, 7. 16 etc. Passus est **f.** acerbissime et in suis amicis, praesertim in ss. sua matre, quam cruci adstantem vidit et maxime dolentem. **2.** Consideremus sacrificii longitudinem. Nam **a.** *ingrediens in mundum dixit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio...*

ut faciam, Deus, voluntatem tuam Hebr. 10, 5 ss. Hinc **b.** conceptus vixque natus in praesepio est passus, et **c.** abhinc nulla die secundum hominum judicium bene habuit semper colluctans cum paupertate, vitae incommodis, contumeliis etc. Accessit **d.** praescientia, qua jugiter ob oculos habuit crucis sacrificium, et praevidit hominum omnis conditionis singulorum seculorum ingratitudinem.

3. Consideremus profunditatem, magna enim et profunda velut mare erat contritio ejus Thren. 2, 13, vere immensus dolor: quia **a.** passus est ab omni hominum genere, a populo suo, quem adeo dilexerat, tot beneficiis cumulaverat; a magistratibus politicis et ecclesiasticis, a plebe et nobilibus et doctis, a suis, quorum unus eum tradidit, alius negavit, reliqui deseruerunt; passus est **b.** innocentissimus, **c.** omnis generis cruciatus in corpore secundum singula membra et sensus, in omnibus animae facultatibus, omnis generis injurias, quas humana, imo diabolica malitia excogitare potuit, **d.** calcatis omnibus juribus, spretis omnibus aequitatis legibus, judiciorum cautelis, **e.** a cunctis desertus vel a suo Patre coelesti, fere nullius commiseratione suffultus.

4. Consideremus sacrificii altitudinem seu motivi puritatem: passus est pro nobis miseris hominibus, vel *pro transgressoribus rogavit* Is. 53, 12 nullo suo lucro, non obstante frigore, imo et ingratitudine tot hominum. Vere *dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem* Apoc. 5, 12; dignum ut et nos gratitudinis ergo ipsi impendamus totos secundum omnia, quae habemus, abhinc saltem jugiter de die in diem tollentes crucem nostram Luc. 9, 23; etiamsi gravia et difficilia a nobis postulet ex sincerissimo erga ipsum amore et gratitudine. *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini . . . ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim praeteritum tempus etc.* 1. Petr. 4, 1 ss. Cf. s. Thomas 3. p. q. 46 a. 5—7 et comp. c. 227; Bonaventura 3. d. 20 q. 5, qui de modo satisfactionis per Christum exhibitae statuit: »Nobilissimus est inter omnes, qui possent esse vel excogitari. Fuit enim acceptabilissimus ad placandum Deum, congruentissimus ad curandum morbum, efficacissimus ad attrahendum humanum genus, prudentissimus ad expugnandum generis humani inimicum.«

645. **Scholion I.** *De forma sacrificii crucis.* — Actio sacrifica, qua victima offertur, et quae ad hanc se habet ut forma ad materiam, non potest esse alterius nisi ipsius sacerdotis sacrificantis. Ea autem non est posita in materiali destructione et occisione, ut patet vel ex sacrificiis V. T., sed in visibili directione mortis victimae (in sacrificio cruento) vel ab ipso sacerdote vel saltem ipsius nutu factae in honorem cultumque Dei. Quare corruit illorum exceptio, qui putant, propterea mortem in cruce non esse sacrificium, quod alioquin milites Christum crucifigentes dicendi essent sacerdotes, quod est absurdum. Actio ergo sacerdotalis in sacrificio crucis erat ipsa Christi sacerdotis oblatio sui ipsius, non solum intentione interna et invisibili, sed tali, quae prodierit in actum externum seque manifestarit in ipsa cruciatuum et mortis voluntaria admissione ac directione ad se ipsum Patri offerendum, atque in ipsa voluntaria spiritus emissione, quae quamvis naturaliter consequeretur cruciatus illatos, erat tamen in potestate Christi sacerdotis se offerentis secundum illa Joan. 10, 18: *Nemo tollit eam* (animam) *a me, sed ego ponam eam a meipso;*

et potestatem habeo ponendi eam. Quod si quaeras, quare martyrium non habeat rationem sacrificii, respondendum est, quia martyres nec ut victimae, nec ut sacerdotes ad se ipsos offerendos a Deo sunt instituti. Quae institutio et deputatio in cultu saltem juris positivi seu divinitus instituto ad legitimum sacrificium offerendum necessaria est ut de sacrificio missae agentes ostendemus.

646. **Scholion II.** *Sociniani refelluntur.* — Ex dictis rejicitur etiam socinianorum doctrina, quae ad haec revocatur capita: mortem Christi non fuisse sacrificium, sed tantum quandam victimae et sacrificii praeparationem: Christum tum demum fuisse sacerdotem, cum coelos ascenderet, ejusque sacrificium contineri apparitione ipsius coram Deo pro nobis per ingressum in coelum. Haec enim falsa probantur eo **1.** quod in Scriptura nuspiam dicatur, mortem Christi fuisse praeparationem sacrificii et in morte incepisse sacrificium consummandum in coelis; quod **2.** sacrificium Christi sit dicaturque Eph. 5, 1 coll. Hebr. 9, 25 ss.; 10, 1 ss. θυσία i. e. oblatio non sine mactatione. Atqui in coelis nulla Christi mactatio, quae solum facta est in terris. Ad haec **3.** tamquam proprium oblationis seu sacrificii Christi effertur, quod fuerit semel oblatus: *Neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit . . . Christus semel oblatus est* (προσενεχθείς) *ad multorum exhaurienda peccata* Hebr. 9, 25 ss.; cf. 7, 27; et iterum 10, 14: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Apparitio vero Christi coram Patre jugis est, dicitur enim 7, 24 *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Praeterea **4.** redemptio nostra est fructus sacrificii a Christo oblati. Atqui redemptio cum omnibus suis fructibus morti in cruce saepissime adscribitur Rom. 3 24 s.; 5, 6 ss.; Gal. 2, 21; Eph. 2, 16; 1. Petr. 2, 24; 3, 18 etc. Denique **5.** a Paulo ib. 1, 3 (secundum textum graecum), 9, 12; 10, 12 exhibetur Christus ad dexteram sedens Patris oblatione jam facta. Atqui jugis coram Patre apparitio subsequitur ejus sessionem ad dexteram Patris. Ergo in hac apparitione non continetur ipsius oblatio et sacrificium. Cf. Franzelin th. 51; Thalhofer § 15. 24. 30.

647. Frustra provocant sociniani ad Hebr. 9. Falso enim supponunt, illationem sanguinis in Sancta sanctorum per summum sacerdotem factam ipsum fuisse expiationis sacrificium Lev. c. 16. Ea enim fuit complementum tantum sacrificii jam peracti habens significationem symbolicam et typicam: erat illius coram Deo repraesentatio ideoque illius continuatio; quo sensu verissime dici potest, Christum oblatum in cruce sacrificium jugiter post suum in coelum ingressum Patri coelesti repraesentare, ut ejus intuitu gratia et reconciliatio in nos derivetur. — Neque juvat eos provocare ad Hebr. 8, 4: *Si ergo esset super terram* (sacerdos), *nec esset sacerdos, cum essent, qui offerrent secundum legem munera:* quibus Paulus non negat, Christum verum fuisse sacerdotem, cum visibilis in terra degeret: sed significare tantum vult, eum non fuisse sacerdotem terrenum, umbratilem, secundum ordinem leviticum: tum quia revera non fuit ex tribu Levi; tum quia visibili ritu non fuit initiatus; tum quia non offerebat sacrificia secundum ritum aliorum sacerdotum. Significare ergo vult apostolus, Christum fuisse sacerdotem altioris plane ordinis, melioris testamenti v. 6 ss., qui sacerdotales functiones continuet in coelo semper vivens ad interpellandum pro nobis, jugiter sacrificium crucis Patri repraesentans uberrimosque ejus fructus nobis applicans.

648. **Thesis CLXX.** ***Christus sacrificio crucis satisfecit Deo pro peccatis totius mundi, et quidem superabundanter; qua satisfactione exhibita Deum nobis reconciliavit, peccatorum poenaeque aeternae remissionem obtinuit, aperuitque fontes gratiarum Adami peccato obstructos promerendo omnibus gratiam ad salutem supernaturalem consequendam vere sufficientem.***

Declaratio. Nonnulla de satisfactionis notione praemittenda sunt:

1. Satisfactio active accepta compensatio est honoris laesi sive illatae injuriae; objective intellecta est ipsum opus et obsequium, quo quis compensat injuriam vel a se vel ab alio illatam.

2. Meritum est opere comparata dignitas ad remunerationem. Quare potest quis satisfacere, quin mereat, merere, quin satisfaciat. Satisfactio respicit debitum solvendum, meritum praemium obtinendum.

3. Valor est pretium, dignitas moralis ac proportio operis et obsequii cum injuria illata, si agitur de satisfactione pro culpa; cum poena sustinenda a reo, si sermo sit de satisfactione pro poena; cum praemio, si actio est meritoria. Valor operis infinitus non est aliquid physice infinitum, sed moraliter, et distinguitur a bonitate physica actuum, quae in Christi satisfactionibus non est intrinsecus infinita. Tunc autem habetur, quando dignitas et proportio operis bonum opus purae creaturae in infinitum praecellit, atque in ordine justitiae ad compensationem injuriarum et ad retributionem praemiorum tanta est, ut debitam pro quavis gravitate et pro quovis numero injuriarum compensationem et quaevis praemia ordinis finiti semper excedat: adeoque sit inexhausta non secus atque omnipotentia Dei inexhausta est in producendo.

4. Satisfactionis valor (idem dicatur de merito) pendet secundario tantum ex operis praestantia, primario e satisfacientis dignitate: cujus asserti hanc reddit Suarez rationem d. 4 s. 4, quia persona operans moraliter est quasi forma propria actionis, quam seipsa dignificat et reddit aestimabilem. Si ergo operans est infinitae majestatis, infinitam dignitatem illi velut imprimit; nam, ut addit, non tantum ipsa operatio in abstracto, sed ipsemet etiam operans, in quo persona includitur, sese submittit et offert in obsequium ejus, cui satisfacit.

5. Valor internus operis et dignitas ad satisfaciendum in actu primo independens est ab acceptatione illius, cui exhibetur, et etiam ab ordinatione et directione ad satisfaciendum et merendum; neque enim valor oritur, nec augetur ex acceptatione, sed huic supponitur. Formaliter autem et in actu secundo actio est satisfactoria vel meritoria dependenter ab acceptatione, praesertim si agitur de satisfactione vicaria, quae vice alterius exhibetur pro honore laeso. Praesupposita autem acceptatione ejus, cui exhibetur (quae in nostro casu ipsa Filii Dei mis-

sione continetur), satisfactio esse potest vel inaequalis seu congrua, vel aequalis seu condigna, vel superabundans, prout operis valor omnibus expensis vel non adaequat, vel adaequat, vel excedit injuriae gravitatem.

659. Cum ergo contendimus, Christum pro nobis satisfecisse, affirmamus, eum causam nostram in se suscepisse eaque vice nostra praestitisse, quibus injuriam a nobis Deo illatam compensaret iramque Dei justam a nobis averteret. Quod ita expressit Cyrillus hierosol. catech. 13 n. 33: „Definivit Deus peccantem mori oportere. Ex duobus igitur alterum fieri necesse erat, ut aut Deus sibi constans omnes interimeret, aut clementia usus datam sententiam dissolveret. Verum Dei sapientiam suspicare: suam servavit et sententiae firmitatem et bonitati efficaciam. Assumpsit Christus peccata in corpore (suo) super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui justitiae viveremus.“ Verum Christus non tantum pro debito nostro satisfecit, sed insuper uberrimas nobis promeruit gratias. Statuitur assertio in primis contra socinianos, secundum quos Christus non est mortuus ad nostra expianda peccata, sed ut sanguine confirmaret doctrinam suam, foveret spem resurrectionis, attraheret ad sui amorem daretque nobis fortitudinis exemplum; est deinde etiam contra pelagianos, Abaelardum (Migne 182, 1050), necnon Hermes, qui circa hoc doctrinae caput plus minusve errarunt. Thesis est de fide, Christum enim pro nobis satisfecisse aequivalenter jam statuit conc. ephesinum can. 10: „Obtulit (Christus) semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri;“ in symb. toletano dicitur Christus „solus pro nobis peccatum factus i. e. sacrificium pro peccato;“ expressius jam id docet conc. tridentinum sess. 6 cap. 7: „Causa meritoria (justificationis est) . . . D. N. J. Christus, qui cum essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit.“ Ceterum id significat Ecclesia ex unanimi theologorum interpretatione et fidelium sensu, quoties profitetur, Christum pro nobis esse mortuum, sanguine suo nos redemisse etc. Forte ad omne dubium submovendum paratus erat canon (IV, 6) a patribus conc. vaticani sanciendus (Coll. lac. VII, 566; cf. et cap. 4 n. 7. 8 ib. 561): „Si quis non confiteatur, ipsum Deum Verbum in assumpta carne patiendo et moriendo pro peccatis nostris Deo potuisse satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse, A. S.“

650. **Demonstratio p. I.** Probatur Christi satisfactio vicaria

1. ex dictis n. 640 s. Eo ipso enim, quod mors Christi fuit sacrificium et quidem pro peccatis nostris, cujus fructus erat expiatio nostra;

quod pro nobis impiis mortuus Rom. 5, 6, a Patre traditus est 8, 32; quod est propitiatio pro peccatis nostris 1. Jo. 2, 2; 4, 10; Rom. 3, 24, et agnus, qui tollit peccatum mundi Jo. 1, 29, cujus sanguis nos emundat ab omni peccato 1. Jo. 1, 7, et per cujus mortem reconciliati sumus Deo Rom. 5, 8 ss.; Eph. 2, 13 s., liquet illud fuisse satisfactorium; de ratione enim sacrificii satisfactorii est, ut victima substituatur reo, pro quo offertur, ut hic expietur, Deo reconcilietur etc.

2. Christus singulari ratione dicitur Redemptor, qui fuso sanguine nos redemit. Atqui redimere proprie „nil aliud significat, teste ipso Socino de J. Christo Serv. p. 2 c. 1, quam captivum manibus illius, qui eum detinet, pretio illi dato liberare." Exhibuit ergo Christus aliquid, quo velut soluto pretio delevit *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis* Col. 2, 14 nosque addicens ob peccata captivitati et damnationi, scil. pro nobis satisfecit.

3. Hoc eo magis tenendum, quod Christus dicitur non aurum vel argentum, sed *pretiosum sanguinem suum* pretii instar Patri obtulisse coelesti, quo reconciliaretur nobis, imo animam suam pro nobis posuisse 1. Jo. 3, 16, seipsum in pretium ἀντίλυτρον dedisse, ut nos redimeret ab omni iniquitate, in redemptionem etiam earum iniquitatum, quae erant sub priori testamento. Eph. 5, 2; 1. Petr. 1, 18 s.; 1. Tim. 2, 6; Tit. 2, 14; Eph. 1, 7; Hebr. 9, 15. Atqui pretii exhibitio, cujus fructus est debiti relaxatio et reconciliatio, nomine quidem, non re differt a satisfactione.

4. Idem quoque significatur, cum Christus exhibetur obedientia sua Adami inobedientiam, exinanitione ambitum aequalitatis cum Deo compensasse, morte mortem sustulisse, maledictum fieri voluisse, ut a maledicto nos solveret Rom. 5, 18 s.; Phil. 2, 6 ss.; Gal. 3, 13; Hebr. 2, 14 ss.

5. Luculenter vero haec veritas traditur Is. c. 53. Supponimus hoc caput esse messianum, ut colligitur ex unanimi nominis christiani ad sec. XVIII. usque consensu, quam ob rem jam Tychonius in l. de septem regulis reg. 1 disserens de v. 4 et 6 hujus c. affirmat, haec „in Dominum convenire omnis Ecclesiae ore celebratur;" ex confessione vel ipsorum judaeorum, ex disertis testimoniis s. Scripturae Luc. 22, 37; Marc. 15, 28; Act. 8, 33 ss.; Matth. 8, 17; 1. Petri 2, 21 ss. Jam vero **a.** Messias describitur gravissimos sustinens dolores (ipsa flagellatio et crucifixio haud obscure secundum textum hebraicum adumbratur v. 5); et v. 3 *despectus et novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem;* quorum **b.** dolorum causa non sunt propria ipsius peccata; neque enim fecit malum, neque dolus inventus est in ore ejus v. 9; sed **c.** confossus et contritus dicitur ab iniquitatibus nostris v. 5, quas Dominus omnes in eo posuit v. 6, et idcirco in eo posuit, ut nobis mederetur pacemque obtineret v. 5. 6.

Voluntarie vero **d.** eas Messias in se suscepit seque sacrificium propitiationis pro nobis obtulit v. 10, cujus **e.** oblationis fructus multorum est justificatio: in se enim suscipiens peccata nostra, justitiam nobis impertiit. Atqui nil luculentius afferri potest pro vicaria Christi satisfactione, qua loco nostro satisfecit iramque placavit divinam. Quapropter vel ipse Gesenius, quamvis sibi non constans, comm. in h. c. fatetur: „Plerique lectores hebraei, ideis de sacrificiis et substitutionibus assueti, non aliter hunc locum intelligere poterant: nec dubium est, apostolicum conceptum de morte expiatoria Christi praesertim huic loco inniti." Cf. Reinke, integro in h. c. opere; Thalhofer § 19; Petavium XII, 9.

651. **Demonstratio p. II.** Satisfactionem Christi non fuisse sufficientem solum vel condignam, sed superabundantem, liquet ex pretii magnitudine: *empti enim estis pretio magno* 1. Cor. 6, 20. Nam quid pretiosius concipi potest sanguine et vita Filii Dei, imo ipso unigenito Dei Filio, in quo sibi Pater aeternus complacuit? „Non corruptibilibus auro et argento, inquit ad rem Clemens VI. apud Raynaldum ad a. 1349 n. 11, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sangine nos redemit, quem in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse."

Quod idem testantur patres, e quibus Chrysostomus hom. 10 in ep. ad Rom.: »Multo plura, quam debebamus, persolvit Christus ac tanto plura, quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit.« — Ita et Cyrillus hieros. catech. 13 n. 33: »Non minimi pretii erat, qui mortuus est pro nobis: non erat ovis sensibilis: non erat nudus homo; non erat angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta ejus qui nostri gratia moriebatur justitia. Non tantum nos peccavimus, quantum ille justitia excelluit.« — Et Gilb. Foliot ep. londin. († 1187) in Cant. 1, 1 (Mig. 202, 1162): »Sed quid istud est, cum ad poenam homo teneretur aeternam, Filius vero Dei mortem tantum temporalem horis quadraginta pertulerit? Quomodo justitiae divinae aeternas ab homine poenas exigenti, in ipsius morte satisfactum est? Sed procul dubio satisfactum. Appendantur enim in statera mors ipsa Filii Dei, si placet, etiam momentanea, et omnium hominum quantumcunque debita mors aeterna; cui dubium est, quin praeponderet ipsa mors unigeniti, licet temporalis, morti, licet aeternae, quorumcunque mortalium? Merito quippe majus est et natura mirabilius, Deum mori, nulli peccato et morti obnoxium, quam mori multitudinem quantamcunque mortalium et peccatorum.« Caveas tamen, ne putes ratione horum verborum, Christum satisfecisse tantum pro poena nobis debita, non vero pro culpa. Satisfecit enim pro culpis nostris et hinc pro poena, quae debita est tantum ratione culpae. Neque colligere licet ex his verbis, de ratione satisfactionis Christi fuisse, ut poenas nobis debitas sustinuerit. Suffecit enim plane, ut compensaverit injuriam Deo illatam: ad quam compensandam inter varios modos, quibus id

praestare potuit, conveniens sane, sed non necessarium, fuit, ut poenae (alicui, non omni) nobis debitae se subjecerit. Cf. Thomas 3. q. 48 a. 2: Stentrup prael. de Verbo inc. p. altera th. 7—37, qui accurate docteque de hoc argumento disputat, praesertim th. 21; Suarez disp. 4 sect. 4, qui assertionem vocat communem, veram, sanam; Lugo disp. 6 s. 1; Berlage christkath. Theologie t. 6 § 53; Dörholt Die Lehre von der Genugthuung Christi.

652. **Demonstratio p. III.** Reconciliationem cum Patre, remissionem peccatorum poenarumque, nec non gratias, quibus vitam consequi possimus aeternam, fructus esse laetissimos hujus sacrificii, diserte Scripturae testantur. Joan. 3, 14 ss.: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* 1. Joan. 2, 2: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* Rom. 3, 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum*; Rom. 5, 9: *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum;* Gal. 4, 4 ss.: *Misit Deus Filium suum . . . ut eos, sui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus* etc.; Coloss. 1, 14: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;* Hebr. 5, 8 s.: *Filius Dei didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Cf. praeterea Matth. 26, 28 col. Hebr. 9, 13 ss.; Joan. 1, 12; 1. Joan. 1, 7; 2. Cor. 5, 21; Apoc. 1, 5; 5, 9 etc.

Colligitur deinde ex ipso incarnationis fine, de quo n. 447. 634 fuse egimus. Venit enim Christus qua alter Adamus, sed priori longe praestantior, quaerere quod perierat Matth. 18, 11, reparare ruinam per Adamum illatam Rom. 5, 15 s.; ut nos exsules revocaret ad patriam coelestem. „Factus est, ut toties inculcant patres cum Augustino de civ. Dei XXI, 15, unicus natura Dei Filius propter nos misericordia filius hominis, ut nos natura filii hominis filii Dei per illius gratiam fieremus;“ ideoque dedit nobis potestatem filios Dei fieri Jo. 1, 12. Atqui haec obtineri nequeunt, quin prius remittantur peccata, quin relaxetur poena aeterna, quin gratiis iterum irrigemur, quibus donatus est Adamus; nisi media suppeditentur proportionata ad hunc finem. Unde efficax plane est Pauli illatio Rom. 8, 32: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ergo Christus cum suam expleverit missionem praecipue sacri-

ficio crucis, per hoc omnia illa nobis promeruit. Cf. Thomas 3. q. 49; expos. in symb. n. 15 opusc. XVI., 198 ss.

653. **Scholion.** Non desunt difficultates, quas sociniani et rationalistae contra vicariam Christi satisfactionem urgent: pro quarum solutione, sicut et pro uberiori thesis declaratione haec notentur:

1. Quamvis injustum sit, innocentem afficere formaliter poena seu punire: injustum tamen non est, innocentem loco alterius, pro quo sponte sua se vadem exhibet, suscipere in se satisfactionem, quae in libera malorum etiam toleratione consistat, consentiente et acceptante ejusmodi satisfactionem ipso legislatore offenso, ut ea ratione injuriam illatam compenset. Paratus erat canon (5) sanciendus a conc. vaticano (coll. lac. VII, 566): »Si quis affirmare praesumpserit, satisfactionem vicariam, unius scil. Mediatoris pro cunctis hominibus, justitiae divinae repugnare, A. S.« Ex consensu etiam ipsius generis humani magna est satisfaciendi vis innocentiae: hinc animalia munda in sacrificiis offerebantur, subinde infantes et virgines innocentes: innocentia patiens exarmat iram. Ad rem s. Thomas compendii c. 226: »Quia, inquit, quae per amicos facimus aut patimur, aliqualiter nos ipsi facere aut pati videmur, eo quod amor est mutua virtus ex duobus se amantibus quodammodo faciens unum, non discordat a justitiae ordine, si aliquis liberetur amico ejus satisfaciente pro ipso.« Cf. c. gentes III, 158. Atqui Christus sponte se vadem obtulit pro humano genere Patri coelesti, qui hanc acceptavit oblationem. Cf. Thomassinus IX, 10 § 18 ss.; I, 4.

2. Duplex in peccatis secernatur ratio, intestina inordinatio et debitum satisfactionis. Quamvis utraque sit personalis, quia personae peccanti inhaeret, et prior per alium nequeat tolli, nisi mediate, impretatione scil. gratiae pro peccatore, ut poenitentiam agat salutarem: debitum tamen per alium suppleri potest, si accedit legislatoris acceptatio. Aliis verbis, ad peccati veniam obtinendam praeter dolorem et veniae petitionem requiritur satisfactio condigna, qua injuria illata compensetur: hanc accedente offensi acceptatione alius praestare potest; et hanc praestitit Christus, qui simul peccatoribus gratiam impetravit, ut sicut oportet dolere et veniam petere internamque deordinationem tollere possint: eosque insuper caritatis sanctitatisque suae exemplo efficaciter ad peccati detestationem, poenitentiam vitaeque seriam emendationem provocat. Unde ordo moralis laesus undique et plenissime reparatur.

3. Ideo autem quod Christus pro nobis satisfecit, non sequitur **a.** nos ad nullam amplius teneri sive satisfactionem sive poenitentiam; **b.** homines fore eximendos ab omnibus miseriis, quae consecutae sunt peccatum originale; **c.** justificationem nostram non amplius fore gratuitam contra disertam Pauli doctrinam. Nam **a.** Christus pro nobis quidem satisfecit, sed ita, ut voluerit satisfactionem suam nobis prodesse ad consequendam salutem sub variis conditionibus a nobis adimplendis, cujusmodi sunt fides, peccati detestatio et de eodem poenitentia, usus sacramentorum, opera etiam satisfactoria etc., quibus non adimpletis, salus non obtineatur. Voluit scil. sapientissimo consilio, ut sicut ipse pro nobis est passus ad nos redimendos, et nos cum ipso compatiamur (Rom. 8, 17. 29). **b.** Christus satisfaciendo et merendo voluit quidem restituere ordinem supernaturalem, non vero praeternaturalem, e quo Adamo peccante excidimus et ad quem spectat immunitas a concupiscentia, miseriis hujus vitae etc. Cf. s. Thomas in 3 dist. 19 q. 1 a. 3 qcla 2.

c. Justificatio nostra dici potest et gratuita et debita: debita Christo, nam Christus qua caput nostrum vere satisfecit et meruit pro nobis: ideoque Pater coelestis accepto pretio sanguinis Christi non ex misericordia, sed titulo justitiae (qualis in Deo locum habere potest) debet intuitu meritorum Christi hominibus praescriptas conditiones adimplentibus condonare peccata; gratuita autem est respectu hominum, qui nil boni fecerunt vel facere potuerunt, quo talem tantumque promererent redemptorem.

4. Gravior vero illa est difficultas, ex doctrina catholica sequi, Christum sibimetipsi satisfecisse; nam satisfaciendum erat Deo, ipse autem est etiam Deus. Atqui satisfactio omnino ad alterum refertur. Fatemur quidem **a.** non rite solvere difficultatem illos, qui putant, satisfactionem exhibitam fuisse soli Patri, Christum igitur non sibi ipsi satisfecisse. Etsi enim satisfactio ratione termini, cui eadem exhibetur, appropriatur Patri, communis tamen est toti Trinitati. Melius **b.** respondet Billuart de incarn. diss. 19 a. 7: „Licet in Christo sit unum tantum suppositum secundum rem et formaliter, gerit tamen vices duplicis suppositi ideoque virtualiter est multiplex: cum enim possit subsistere in pluribus naturis, potest etiam praestare, quae facerent plura supposita: et quia quod est virtualiter multiplex, tantam habet virtutem, quantam haberet, si foret formaliter multiplex: ideo sicut si foret formaliter multiplex suppositum in Christo, unum divinum, alterum humanum, facile conciperemus, quod suppositum humanum rigorose satisfaceret ex hac parte supposito divino: ita ex hoc, quod sit virtualiter multiplex, concipimus, quod Verbum ut subsistens in humana natura sibi ipsi rigorose satisfecerit, ut subsistenti in divina natura, serveturque conditio requisita, esse scil. ad alterum" etc. Quod **c.** theologi illustrare solent exemplo haud inepto illius, qui simul est et creditor et tutor pupilli. Hic enim potest tamquam creditor a pupillo exigere solutionem et tamquam tutor sibi ipsi praestare pupilli nomine solutionem. Atqui humanum genus erat hic pupillus, qui satisfacere nequibat: quocirca datus est ei tutor et advocatus Christus, qui ex bonis humanae naturae satisfecit Patri, sibi et Spiritui sancto. Cf. Scheeben § 236. 262. 263.

654. Succedunt plures quaestiones pro uberiori dogmatis intelligentia.

I. Quaeritur *secundum quam naturam Christus fuerit mediator* et sacerdos. Resp.: Quamquam omnes mediationis functiones ipsaeque adeo sacerdotales uni Christo seu Verbo incarnato sunt tribuendae illarumque dignitas ex Verbi repeti debet persona: eaedem tamen spectatae efficienter seu secundum principium, *quo* illas Christus est operatus, adscribi ei non possunt, nisi quatenus homo est seu secundum naturam humanam. Ratio primi est, quod persona sit subjectum, cui omnes actiones tribuuntur: haec autem est in Christo ipsum Verbum. — Ratio secundi est, quod functionis valor pendet a dignitate operantis: quamobrem damnata fuit prop. 19 Baji: »Opera justitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt

majorem valorem;« confirmatur etiam ex schemate cit. (l. c. pag. 561), in quo legimus: »Haec vero vis satisfaciendi pro peccatis omnium et merendi nobis justificationis gratiam et hereditatem passioni Redemptoris inerat propterea, quod humani ejus actus valorem habebant secundum dignitatem personae divinae per assumptam naturam operantis.« — Tertium patres constanter asserunt contra arianos et theopaschitas, et patet ex ipsa natura operationum. Quare ad rem Petavius de incarnat. XII, 3. 4 notat duo considerari posse in hac quaestione: ipsum mediatorem et ejus mediationem. Si consideratur mediator, is duplici ex natura coalescit: si mediatio, ea continetur operationibus humanae naturae, quae tamen pretium suum mutuantur ex natura divina, seu ex personae dignitate propter naturam divinam, quam habet, infinita. Quare tam illi errant, qui contendunt, Verbum secundum naturam divinam esse sacerdotem, ideoque jam ante incarnationem sacerdotis obiisse munus: quam ii, juxta quos Christus mediator est secundum humanam tantum naturam. Simili ratione disserendum est de victima. Qui enim oblatus est in sacrificio, est hic homo J. Christus adeoque divina persona sub formali ratione, quatenus homo est: non autem natura dumtaxat humana fuit oblata.

655. **II.** Quaeritur, *utrum opera Christi de se habuerint valorem* et condignitatem ad hujusmodi satisfactionem, an solum ex divina acceptatione. Hoc posterius tuetur Scotus cum aliis, qui inde inferunt, quod attinet justitiae aequalitatem, tantum potuisse esse in operibus puri hominis ad satisfaciendum pro peccatis humani generis, quantum fuit in operibus Christi: potuisset enim Deus illa opera ad eundem effectum ordinare et acceptare. Arminiani etiam negant, mortem Christi fuisse ex se aequivalentem pro peccatis nostris satisfactionem. Verum haec sententia adversatur dictis n. 651; doctrinae Pauli Hebr. cc. 7—10, qui internam sacrificii Christi praestantiam super sacrificia levitica colligit ex ineffabili sacerdotis dignitate (n. 637), et inde illius eminentem satisfaciendi vim infert; doctrinae patrum, qui personae divinae incarnationem ad perfectam satisfationem pro peccatis exhibendam omnino exigunt (n. 455 s.); communi theologorum sententiae atque rationi, quae satisfactionis valorem primario ex personae satisfacientis dignitate derivat.

656. **III.** *Num opera Christi Domini fuerint valoris et efficaciae infinitae* ad satisfaciendum. Communis, vera et sana doctrina est, opera Christi valorem habuisse absolute et simpliciter infinitum ad satisfaciendum et merendum propter infinitam Verbi majestatem, cui tamquam principio quod tribuenda sunt, et tamquam subjecto insunt, et etiam propter rem oblatam: seipsum enim Deo Patri in ara crucis obtulit. Merito autem notat Suarez disp. 4 s. 4 (n. 648 [4]), infinitatem valoris sacrificii in cruce oblati magis derivari ex parte personae, quatenus est offerens, quam quatenus est oblationis objectum seu res oblata. Nam cum b. Virgo obtulit Filium Dei vel cum sacerdos illum offert in sacrificio missae, oblatio, quatenus fit a persona creata, valoris est finiti: quia Christus in ea se habet tantum per modum objecti et quasi extrinsecus tantum dignificat actum. Oblatio igitur rei finitae a persona infinitae majestatis facta semper est infiniti valoris; oblatio vero objecti infiniti a persona creata facta habet tantum valorem ex re oblata infinitum secundum quid, scil. »superantem omnem aestimationem cujuscunque sacrificii, in quo res offertur finita, etiamsi in infinitum augeatur, dummodo cetera sint paria ex parte personae offerentis.« Cf. Stentrup th. 10.

657. **IV.** Quaeritur *quare,* cum singula Christi opera fuerint infiniti valoris et meriti, *redemptio nostra specialiter adscribatur passioni et morti Christi Domini.* Ad hanc quaestionem respondet Suarez l. c. n. 44: »Ratio est primo, quia illud (opus patiendi etc.) fuit praecipuum opus redemptionis nostrae et maxime accommodatum ad satisfaciendum pro nobis. Secundo, quia in illo fuit consummata nostra redemptio: ex divina enim ordinatione omnia merita Christi erant veluti in fieri, et non expiabantur per singula lapsus et reatus humanae naturae: neque acquirebatur illi perfectum et absolutum jus ad gloriam, donec per passionem consummarentur.« Quod etiam s. Thomas Quodl. 2 q. 1 a. 2 ita enunciat: »Si loquamur de redemptione humani generis quantum ad quantitatem pretii, sic quaelibet passio Christi etiam sine morte suffecisset ad redemptionem humani generis propter infinitam dignitatem personae. Si autem loquamur quantum ad deputationem pretii, sic dicendum est, quod non sunt deputatae ad redemptionem humani generis a Deo Patre et Christo aliae passiones Christi absque morte, et hoc triplici ratione. Primo quidem, ut pretium redemptionis non solum esset infinitum valore, sed etiam esset ejusdem generis, ut scil. nos de morte per mortem redimeret. Secundo ut mors Christi non solum esset pretium redemptionis, sed etiam exemplum virtutis, ut videlicet homines non timerent pro veritate mori. Tertio ut mors Christi esset etiam sacramentum salutis, dum nos virtute mortis Christi morimur peccato et carnalibus concupiscentiis et proprio affectui. Ideo humanum genus non est redemptum per aliam passionem absque morte Christi.« Alias rationes addit Suarez l. c.: »Ita ordinatum fuit a Deo **1.** ad ostensionem caritatis suae; **2.** ut cognosceretur melius, quanta sit peccati gravitas; **3.** ut gratia et remissio peccati majori in pretio ab hominibus haberetur; **4.** propter exemplum.«

658. **V.** Quaeritur, *num Christi satisfactio fuerit secundum justitiam.* Negant veram propriamque justitiam intercessisse inter Christum satisfacientem et Deum Vasquez, Molina, Lessius, de Lugo etc.; affirmant Suarez, Valentia, Bellarminus, Tanner, Zumel aliique, quorum sententia omnino est praeferenda. Huic enim favent quae diximus de necessitate incarnationis in hypothesi condignae satisfactionis exhibendae pro hominum peccatis (n. 455 s.). Dein profecto Deus habuit jus ad satisfactionem pro injuria sibi illata. Haec vero copiosissime exhibita fuit per Christum (n. 651 col. 655 s.). Satisfactum est ergo juri divino. Satisfactio ergo Christi fuit secundum justitiam. Quod si quis urgeat, ad satisfactionem secundum justitiam requiri etiam, ut Deus ex justitia debuerit eam acceptare: non posse autem demonstrari, Deum obligatum fuisse ex justitia acceptare satisfactionem Christi: respondent **a.** nonnulli acceptationem, quae necessaria est, ut satisfactio condigna in actu primo revera compenset injuriam, non imminuere rationem justitiae, sicut acceptatio pretii necessaria ad conficiendum emptionis contractum non imminuit rigorem justitiae propriae hujus contractus. Verum cum haec comparatio nonnullis, ut Suario d. 4. s. 5 et Stentrup non videatur adaequata, respondent **b.** alii, satisfactionem Christi fuisse talem tantamque sive personam sive opus spectes, ut Deus eam non potuerit non acceptare, ut s. Bonaventura, Sotus, Valentia. Cum vero **c.** horum rationes non videantur satis efficaces, alii ut Scotus, Jo. Medina, Albertinus, Vega, Suarez etc. censent obligationem justitiae ex parte Dei acceptandi satisfactionem Christi inniti promissione divina sub conditione operis a Christo praestiti. Sane si ejusmodi promissio sufficit, ut Deus ex justitia teneatur elar-

giri mercedem justis sub conditione bonorum operum promissam 2. Tim 4, 7 s.: quanto magis ex justitia tenebatur acceptare satisfactionem Christi, cum solutionem debiti promiserit sub conditione talis satisfactionis exhibendae, ut satis colligitur ex Is. 53, 10 ss.

569. Quaeritur **VI.** *num Christi satisfactio fuerit condigna secundum rigorem justitiae.* Solent theologi distinguere inter satisfactionem simpliciter condignam et satisfactionem condignam secundum justitiae rigorem. In hac omnes conditiones ad strictam justitiam requisitae servantur; in illa semper aliqua intercedit liberalitas vel ratione praemii vel ratione operis praestandi. Affirmant Capreolus, Vega, Suarez, Valentia comment. IV. d. 1 q. 1 p. 5, Stentrup th. 10. 11 aliique; negant vero Scotus, Durandus, Biel, Medina, Billot th. 50 etc., ob graves quae obstant rationes, quae ex ipsis conditionibus ad satisfaciendum necessariis petuntur. Ad satisfaciendum enim in rigore justitiae requiritur in primis, ut fiat ex bonis propriis; deinde ut fiat ex bonis nondum alio titulo debitis. Quidquid vero Christus homo habuit, donum fuit Dei; quidquid praestitit, Deo erat jam debitum titulo saltem gratitudinis. Verum ad primum respondent, requiri quidem ad rigorem justitiae, ut virtus merendi atque satisfaciendi non sit gratia facta personae satisfacienti ab eo ipso, cui satisfactio debetur: sed in nostro casu persona satisfaciens et merens, scil. Christus, est persona divina, non quidem ut est subsistens in natura divina, sed ut subsistens in natura humana: et ita ipsius sunt natura humana et proprii actus meritorii, in quos e dignitate suae personae in natura divina subsistentis praecipuus satisfaciendi valor redundavit. Verbo autem per unionem cum humana natura, per quam satisfacere et merere potuit, nulla facta est gratia; si qua facta est gratia, ea tota est illius naturae singularis exaltatae, per quam Verbum satisfecit, et humani generis, pro quo satisfecit. Ergo cum subsistens in natura humana satisfecit pro nobis, ex propriis omnino satisfecit. — Ad alterum respondetur, opera Christi utpote valoris infiniti sufficere ad solvendum multiplex debitum. Cf. Franzelin th. 47.

660. **Thesis CLXXI.** ***Christus pro omnibus hominibus mortuus est.***

Demonstratio. De fide est, Christum esse mortuum non tantum pro praedestinatis; imo etiam eum mortuum esse pro omnibus fidelibus: ut in symbolo sat clare profitemur (n. 97). Propositio vero universalis, qua dicimus, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, enunciat sententiam theologorum communem, imo doctrinam catholicam: hinc damnata est ab Alexandro VIII. prop. (4): „Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.“ Evidenter autem thesis veritatem tradunt divinae literae, cum docent Christum mortuum esse **a.** pro toto mundo ut 1. Jo. 2, 2: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* **b.** pro omnibus hominibus 1. Tim. 2, 6 (n. 100); **c.** pro omnibus iis, quorum assumpsit naturam: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: et liberaret*

eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti Hebr. 2, 14 s.; **d.** pro omnibus, adversus quos chirographum damnationis erat: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* Col. 2, 14; ne iis quidem **e.** exceptis, qui pereunt 2. Petr. 2, 1; quare Paulus tamquam efficacissimo motivo ad deterrendos fideles a praebendo scandalo hac utitur ratione 1. Cor. 8, 11 et Rom. 14, 15: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Verbo, tam late patet redemptio, quam ruina per Adamum, *venit enim Filius hominis salvare, quod perierat* Matth. 18, 11; omnibus enim illis profuit mors Christi, quibus Adamus nocuit Rom. 5, 15 s., 1. Cor. 15, 22. Idem patres saepe admodum diserteque testantur, quorum testimonia collegerunt Petavius XIII, 2 ss.; Dechamps de haeresi jansen. l. 2 disp. 7; Stentrup th. 31 ss. etc. et jam antea collegit Hincmarus rhem. de praedest. c. 33 s. Quare doctrinam catholicam sincere exprimit concilium carisiacum (a. 849) can. 4: „Christus Jesus D. N. sicut nullus homo est, fuit vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit: ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur."

661. **Scholion. I.** *Mortis Christi fructus.* — Mortis Christi fructus immediatus non est singulorum salus, ut patet ex facto; neque enim omnes consequuntur salutem: sed est possibilitas consequendae salutis, quam Adami peccato amisimus, quod ita jam expressit Clemens romanus ep. 1 n. 7: „Animum intendamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam obtulit." Ut vero haec salutis possibilitas reducatur ad actum, seu ut actu nobis prosit Christi passio ita, ut salutem revera consequamur, adimplendae sunt certae conditiones, ut patebit ex tract. de gratia et de sacramentis: quod belle significat Prosper in resp. ad obj. 1 Vinc.: „Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur."

662. Quare et hic applicanda est distinctio voluntatis divinae in antecedentem et consequentem (cf. n. 91). Vult scil. Christus, quantum est ex se, serio et sincere voluntate antecedenti omnibus suam prodesse passionem: et revera omnibus prodest, quatenus omnes iterum destinati sunt ad finem supernaturalem, omnibus obtinuit possibilitatem consequendae salutis, qua antea propter Adami peccatum caruerant, omnibus promeruit salutis media proxime vel remote sufficientia. Quia vero actualem omnium salutem serio quidem et sincere vult, sed sub conditione per homines gratia sua adjutos adimplenda, hinc consequenter ad praevisionem cooperationis hominum, eorum tantum vult salutem, quos

praevidet conditiones omnes adimpleturos. „Habuit ille sanguinem, inquit Augustinus serm. 344 n. 4, unde nos redimeret: et ad hoc accepit sanguinem, ut esset, quem pro nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te: si nolueris, non est datus pro te . . . Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium (cf. n. 104)." Ex quibus liquet, quo sensu Christus dici possit mortuus pro omnibus et quo sensu pro multis; intelligitur etiam distinctio theologorum de morte Christi pro omnibus quantum ad sufficientiam pretii seria intentione oblati, et pro electis quantum ad efficaciam. Quod ita expressit Is. Habert theol. patrum graec. de gratia l. 2 c. 9 § 5: „Diligenter considerandum est, redemptionem duobus modis spectari posse: primo quidem active ex parte Christi redimentis, secundo passive ex parte redemptorum. Ex parte redimentis adhuc duobus modis: primo quidem secundum valorem ac dignitatem pretii (quam quidem s. Prosper recte potentiam pretii appellat), et quidem hoc modo nemini dubium est, pretium illud infinitum omnium damnatorum non solum exsistentium, sed etiam possibilium redemptioni plus aequo sufficere; altero vero modo quoad voluntatem redimentis in actuali pretii solutione, quam adhuc duplicem statuimus, antecedentem respectu omnium hominum, de qua b. Leo s. 1: ‚Christus sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit;' consequentem respectu solum electorum, quae respondet tum voluntati divinae gratiam efficacem intuitu illius exhibiturae, tum etiam voluntati humanae adultorum isti gratiae cooperaturae: et ideo ratione istius redemptionis passivae ultimum redemptionis effectum complectentis Christus solus est redemptor praedestinatorum, ratione vero pretii pro universo genere a se soluti est redemptor omnium."

663. **Scholion II.** Quod eos attinet, qui ante Christi adventum mortui et damnati sunt, dici vere potest, etiam pro illis Christum esse mortuum, quatenus et illis Deus intuitu passionis et mortis Christi futurae auxilia gratiae, quibus salvari potuissent, dederit. Eo vero sensu dici nequit, Christum pro illis suam obtulisse mortem, quod cognita jam eorum damnatione serio cogitavit de applicando ipsis passionis suae fructu. Hoc vel simili tantum sensu synodus valentina III. a. 854 can. 4 reprobavit doctrinam conc. carisiaci supra allatam (n. 660): quam tamen reprobationem patres illi in concilio lingonensi revocarunt, cognito genuino illius capituli sensu.

664. **Corollarium.** Meritum redemptionis ita consummatum, satisfactio pro culpa ita est completa sacrificio crucis [1]), ut nullum sit hominis

---

[1]) Quaeritur, quo sensu Paulus dicat Rom. 4, 25 de Christo: *Traditus est propter nostra delicta et resurrexit propter nostram justificationem.* Conveniunt quidem theologi in eo, hisce non significari Christum sua resurrectione nostram meruisse

peccatum, pro quo non fuerit praestita cujusque remissio in actu primo et ex parte Dei non sit parata: illius enim intuitu Deus dicit per os Jeremiae 31, 34: *Et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.* Unde nulla alia datur oblatio pro peccatis, quo meritum remissionis comparetur, quamvis esse possit oblatio, qua illud meritum singulis applicetur. Hinc infert Paulus Hebr. 10, 18: *Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato;* et hebraeis in fide nutantibus ob oculos ponit v. 26: *Voluntarie enim peccantibus nobis* (i. e. deficientibus a Christi fide) *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Christus igitur *non habet necessitatem quotidie . . . hostias* (alias atque alias) *offerre: hoc enim fecit semel seipsum offerendo* Hebr. 7, 27 . . . *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* 10, 14; cf. 9, 52 ss. Thesaurus ergo ille infinitus meritorum crucis nec minui potest, nec amplius alio sacrificio augetur. Quaecunque vero gratia inde a lapsu primi hominis collata unquam fuit vel conferetur, quaecunque fuit vel est mediorum sanctificantium generatim dignitas et virtus ad salutem, id totum est ex merito consummato in cruce, ejusque ad singulos applicatio ab origine ad consummationem usque seculi decurrens, semper nova in effectu et semper vetus in causa sua. Cf. Franzelin th. 7 de ss. euch. sacrif.; Stentrup. th. 33 ss.; 63.

665. **Scholion III.** *De descensu Christi ad inferos.* — In symbolis apostolico [1]) et athanasiano profitemur Christum descendisse ad inferos. Hujus articuli veritas contra calvinianos colligitur **a.** ex Ps. 15, 10: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem;* quae verba esse intelligenda de Christo patet ex authentica interpretatione ap. Petri et Pauli Act. 2, 31; 13, 35. Atqui hic nomine *inferni* neque intelligi potest mors, cum anima Christi non sit mortua; neque sepul-

---

justificationem, sicut patiendo meruit delictorum nostrorum remissionem, cum omne ejus meritum in passione et morte completum fuerit: sed non ita conveniunt in determinando accuratius illius incisi sensu. Videtur Paulus significare vel Christum resurrexisse propter nostram justificationem ita, ut sua resurrectione typum nobis praeferret resurgendi ad justitiam seu vitae novitatem; vel resurrexisse, quia, Deo sic ordinante, uberrima pretii redemptionis etsi jam persoluti applicatio ad hominum justificationem non erat futura, nisi post Christi resurrectionem misso Spiritu s. et missis apostolis in mundum; vel resurrexisse, ut sua resurrectione confirmaret fidem, quae est fundamentum et radix justificationis; vel resurrectionem, quamvis ea seorsim spectata non sit meritoria, considerat Paulus ut ultimum passionis et mortis terminum harumque velut ratihabitionem et cum illis quasi unum idemque opus morale redemptionis generis humani constituentem.

[1]) Deest hic articulus in formis antiquis hujus symboli priorum trium seculorum, etiam in antiqua romana: reperitur primum in forma ravennatensi sec. 4; in formula fidei sirmiensi a. 358 et conc. CP. a. 359, deinde in symbolo apostolico ecclesiarum aquilejensis, hispanae, gallicanae et probabiliter hierosolymitanae secundum s. Cyrillum cat. 4 et 14. Cf. Denzinger in Enchirid. symb.

crum, cum corpus, non anima, fuerit inclusum sepulcro. — Eph. 4, 9: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? qui descendit, ipse est qui et ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia:* quae neque de incarnatione, neque de sepulcro apte explicantur, sed de loco distincto a coelo et terra, ut exigit causa finalis: *Ut impleret omnia.* — 1. Petr. 3, 18 s.: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est . . . mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu* (non secundum animam mortuus, secundum quam semper vivus mansit, quam significationem habere potest ζωοποιεῖν, cf. Act. 7, 17), *in quo* (scil. spiritu i. e. anima) *et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam* (pollicentes sibi longanimem Dei patientiam, quae dissimularet peccata, nec minas per Noë intentatas exsequeretur) *in diebus Noë, cum fabricaretur arca* [1]). — Huc etiam referri possunt Matth. 12, 40: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Accedit **b.** luculenta traditio: ita jam Thaddaeum unum ex 70 Christi discipulis praedicasse ex antiquis ecclesiae edessenae tabulariis refert Eusebius H. E. I, 13; »Quot et quanta a judaeis (J. Christus) perpessus, qualiter crucifixus sit, et ad inferos descenderit claustrumque ab omni aevo intactum disruperit: quo pacto resurrexerit et mortuos, qui multis retro seculis sepulti jacebant, secum una suscitaverit etc.« — Ita Irenaeus IV, 27 n. 1: »Propter hoc, inquit, Dominum in ea, quae sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum exsistente his, qui credunt in eum;« quod fusius inculcat V, 31. — Clemens al. Strom. VI, 6: »Praedicavit Dominus iis quoque, qui erant apud inferos.« — Tertullianus de anima c. 55: »Christus . . . descendit in inferiora terrarum, ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret.« Haec fides **c.** expressa reperitur in actis martyrum, hymnis ecclesiasticis et in liturgiis s. Basilii, Gregorii, Marci, in alexandrina et aethiopica apud Renaudot coll. lit I, 14. 65. 96. 106. 146. 489. Nec desunt **d.** concilia, quae hanc veritatem profiteantur, ut toletanum IV. a. 633 in fidei professione: »Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibi tenebantur erueret;« lateranense IV. cap. 1 ‚Firmiter': »Descendit ad inferos, resurrexit a mortuis et ascendit in coelum. Sed descendit in anima« etc. Neque desunt **e.** rationes convenientiae, quas dilucide proponit s. Thomas 3. p. q. 52 a. 1. Cf. Körber Die kath. Lehre von der Höllenfahrt J. Chr.; Stentrup th. 45—53; Teipel Tüb. Qtlschr. 1860 p. 577—653.

---

[1]) De hoc textu integram scripsit epistolam (164) s. Augustinus, in qua omnia congerit, ut ostendat, illius interpretationem esse difficilem. Et revera Lorinus novem hujus loci affert explicationes, addens decimam. Sed quaecumque demum est legitima interpretatio, semper inde eruitur adventus Christi secundum animam ad defunctorum (saltem quorundam) animas seu descensus ad inferos, praesertim si ratio habeatur 4, 6. Ex eo autem, quod dicitur Christus praedicasse *incredulis,* non sequitur, eum praedicasse damnatis, cum incredulorum nomine intelligi possint ii, qui Noë praedicanti et minas intentanti noluerunt credere: instante vero diluvio in ipso articulo mortis poenitentiam egerunt atque salvati fuerunt juxta illa Ps. 73, 34: *Cum occideret eos, quaerebant eum:* unde dicuntur etiam, *qui increduli fuerant aliquando.* Horum autem s. Petrus non ad aliorum exclusionem, sed speciminis gratia mentionem facit, eo quod mox baptismum confert arcae.

666. Ad pleniorem hujus articuli illustrationem tenendum est

1. contra Durandum, Christi animam descendisse ad inferos secundum substantiam suam et realem praesentiam, non tantum metaphorice secundum virtutem et efficaciam. »Ita interpretantur, inquit Suarez disp. 43 s. 2 n. 7, hoc mysterium omnes doctores scholastici in 3. d. 23, uno excepto Durando, cujus sententia non solum non est probabilis . . . verum potius est erronea et plane haeretica. Primo quia est contra Scripturam, ut ab omnibus patribus exponitur, et ab Ecclesia unanimi consensu intelligitur. Secundo quia loquitur contra proprietatem verborum Scripturae sine ulla necessitate metaphorici sensus et sine ulla auctoritate. Tertio verba illa: *Non derelinques animam meam in inferno,* nullo modo admittunt illum sensum de exsistentia per solam operationem et efficaciam.« Hinc Innocentius II. damnavit in conc. senonensi a. 1140 capit. 18 Abaelardi: »Quod anima Christi per se non descendit ad inferos, sed per potentiam tantum.«

2. Quaeritur vero quid Christus secundum animam ad inferos descendens, ibidem sit operatus, et respondemus, eum animabus sanctis, quae in sinu Abrahae erant, essentialem beatitudinem ac cetera animae dona, quae illam consequuntur, contulisse. Quod de fide certum existimat Suarez. Tenendum enim omnino est ex praescripto doctrinae catholicae, justos V. T. caruisse visione beatifica neminemque ad eam fuisse admissum ante Christi passionem, ut colligitur ex Hebr. 9, 8; 10, 19 et ex patribus, de quorum doctrina cf. Mamachi de animabus justorum in sinu Abrahae ante Christi mortem; et infra th. 268. Quod autem illum in finem ad inferos descenderit Christus, clare tradunt patres et insinuatur Eph. 4, 8: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem,* coll. Zah. 9, 11; *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Aliam adhuc hujus descensus rationem reddit s. Thomas in expos. symb. n. 19, scil., ut Christus »perfecte de diabolo triumpharet. Tunc enim perfecte triumphat aliquis de aliquo, quando non solum vincit in campo, sed etiam invadit eum usque in domum propriam et aufert ei sedem regni et domum suam . . . Et ideo descendit illuc et diripuit omnia, et ligavit eum et abstulit ei praedam suam. Coloss. 2, 15; *Exspolians principatus et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Similiter etiam quia potestatem et possessionem acceperat Christus coeli et terrae, voluit etiam possessionem accipere inferni, ut sic secundum Apostolum ad Phil. 2, 10 *in nomine Jesu omne genu flectatur* etc.«

3. Non tamen liberavit Christus ad inferos descendens damnatos, quod tenendum est contra graecos recentiores, idque de damnatis universim enunciatum censet Suarez de fide, cum opinio opposita adversetur dogmati de poenarum aeternitate et doctrinae certae, secundum quam sola praesens vita est stadium salutis et meriti. Ideoque etiam Philastrius scribit de haer. c. 125: »Alii sunt haeretici, qui dicunt, Dominum in infernum descendisse, et omnibus post mortem etiam ibidem renunciasse, ut confitentes ibidem salvarentur: cum hoc sit contrarium dicenti prophetae David: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (Ps. 6, 6)? etc.« Quae verba s. Gregorius M. laudat et citat scribens Ep. VII, 15 Georgio presb., qui in eo errore erat: »De qua re volo, ut charitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe (Christus) ad inferos, solos illos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt et praecepta ejus vivendo tenuerunt.« Et citatis illis Philastrii verbis subjicit: »Cujus verbis b. quoque Augustinus in eo libro concordat,

quem de haeresibus scripsit.« Et revera s. doctor »alia (haeresis), inquit n. 79, descendente ad inferos Christo credidisse incredulos et omnes exinde existimat liberatos.« »An vero, subdit Suarez s. 3 n. 6, ex speciali privilegio sua voluntate et arbitrio aliquem damnatum e gehenna Christus eduxerit, dubitari quoquo modo potest. Nam licet videatur temerarium hoc affirmare contra generales regulas Scripturae sine fundamento vel auctoritate, simpliciter tamen non videtur esse erroneum vel haereticum.« Habuit vero, ut prosequitur Suarez, Christus in damnatis eum effectum, quem ponit Thomas 3. p. q. 52 a. 6 ad 1. Nam seipsum secundum animam illis manifestavit, et ut se adorarent compulit, ut generaliter verum sit illud: *In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum* Phil. 2, 10. Contra graecorum errorem ad rem sunt quae adnotat Benedictus XIV. de festis D. N. J. Chr. § 350, et ex eo Nilles Kalendarii manualis II, 324.

4. Cum eodem s. Thoma ib. a. 7 tenendum est, Christum in suo ad inferos descensu non liberasse pueros, qui cum originali peccato decesserant: erant enim jam extra statum viae et salutis, nec ulla exstat ratio gravis theologica, quae tanti beneficii collationem suadeat.

5. Quod attinet animas purgatorii variae sunt theologorum sententiae: »verum neque in Scriptura, inquit Suarez ib. n. 12, neque in patribus est aliquod sufficiens fundamentum ad asserendum, Christum liberasse omnes animas purgatorii; ergo cum aliunde stet lex generalis divinae justitiae, ut qui in hac vita non satisfecit, in alia satispatiatur, non potest sine fundamento Scripturae et ss. patrum aliquid probabiliter affirmari, quod huic legi justitiae repugnet.« Admitti tamen potest exceptio, quam ita enunciat s. Thomas a. 8 ad 1, illis fuisse collatum liberationis beneficium, »qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur a temporali purgatorii poena.«

6. Cum nomine inferni designetur et locus damnatorum et purgatorium et limbus puerorum in originali peccato defunctorum et ipse sinus Abrahae: quaeritur ad quem horum locorum Christus descenderit. Ex hactenus dictis patet jam responsum, quod s. Thomas a. 2 optime ita enunciat: »Respondeo dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid esse alicubi. Uno modo per suum effectum: et hoc modo Christus in quemlibet infernorum descendit, aliter tamen et aliter. Nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum, quod descendens ad inferos, eos de sua incredulitate et malitia confutavit. Illis vero, qui detinebantur in purgatorio, spem gloriae consequendae dedit. Sanctis autem patribus, qui pro solo peccato originali (quoad maculam jam remisso) detinebantur in inferno, lumen aeternae gloriae infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alicubi, per suam essentiam, et hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo justi detinebantur: ut quos ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, et eos etiam secundum animam visitaret et loco. Sic autem in una parte inferni exsistens effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivavit, sicut et in uno loco terrae passus, totum mundum sua passione liberavit.«

7. Hinc liquet, quam alienum sit a sensu antiquitatis, imo ab omni sensu christiano, stultum Calvini figmentum, Christum in suo ad inferos descensu vere dolores animarum damnatarum passum esse ex metu salutis propriae amittendae et quia apprehendit Deum sibi iratum.

667. *De interpellatione Christi.* — Alterum sacerdotis munus praeter sacrificii oblationem est interpellatio; verum non omnis interpellatio est sacerdotalis, sed illa tantum, quae sacrificio nititur, et qua sacerdos sacrificii virtutem satisfactoriam et meritoriam Deo exhibet. Haec enim est quaedam oblati sacrificii continuatio. Atqui Christum in coelis perpetuo et interpellare pro nobis et interpellationem ejus esse sacrificii semel oblati repraesentationem coram Deo, docent nos s. Paulus Rom. 8, 34, secundum quem Christus est *semper vivens ad interpellandum pro nobis* Hebr. 7, 25; et s. Joannes 1. ep. 2, 1: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, J. Christum justum;* ipseque vidit Apoc. 5, 6 in coelo *Agnum stantem tamquam occisum.* Est etiam haec Christi repraesentatio coram Patre ut victimae quondam in cruce oblatae una ex causis, propter quas secundum patres ipse voluerit vulnerum insignia in corpore glorificato retinere. „Vulnera suscepta, inquit Ambrosius in Luc. X, 170, pro nobis coelo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet."

668. Controvertunt autem theologi, cum nec patres eodem semper loquantur modo, utrum Christi interpellatio sit explicita et actualis postulatio, an vero nil aliud sit, quam ipsum objectivum meritum sacrificii in cruce oblati et repraesentatio naturae humanae, quam intulit in coelum, secundum illa Primasii in Rom. 8, 34 verba: »In hoc interpellare dicitur, dum semper hominem, quem suscepit, glorificatum quasi nostrum pignus Patri ostendit et offert, ut verus et aeternus sacerdos.« Si interpellatio definitur cum s. Thoma 3. p. q. 21 a. 1 »explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat,« quo sensu supponit tantum voluntatem distinctam a voluntate divina, et illius subordinationem et dependentiam ab hac, videtur sententia, quae proprie dictam interpellationem Christo adscribit, probabilis. Patres, quos collegerunt Vasquez disp. 82 c. 2 s., Suarez disp. 45 s. 2, Thomassinus IX, 6 pro sententia opposita, non videntur negare ipsam explicitam interpellationem, sed certum aliquem orationis modum. Vel enim negant Christum aliquid orando postulare secundum quod Deus est; vel negant orationem, quae sit mera supplicatio ad misericordiam sine exhibitione adaequati meriti ac dignitatis plenissimae in ipso postulante. Ejusmodi interpellatio certe Christo non competit. Cum vero orationis stricto sensu acceptae notione has imperfectiones concipimus, et ad discriminandam personam Christi a puris creaturis, idcirco non consuevit Ecclesia Christum invocare hac precatione: Jesu Christe, ora pro nobis. Cf. Franzelin th. 51; Stentrup th. 123.

669. Absolvemus tr. de Christo Redemptore nonnullis quaestionibus.

I. Quaeritur *quo sensu Christus dicatur sacerdos in aeternum.* Dicitur

1. sacerdos in aeternum ratione personae et dignitatis. Nam ipsa incarnatione unctus est in sacerdotem, ac semper vivit semperque manet: nulli in sacerdotio successit, nullum habet in eo successorem, neque unquam ejus sacerdotium transferetur in alium. *Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* Hebr. 7, 24.

2. Est sacerdos in aeternum ratione effectus, nam *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* ib. 5, 9. Ita appellatur

3. ratione functionis, nam sempiternum habens sacerdotium, *salvare in perpetuum potest* et revera salvat sacrificii a se oblati applicatione *accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* ib. 7, 25. Specialiter vero dicitur sacerdos in aeternum

4. ratione sacrificii, quod jugiter ad finem usque seculi per vicarios sacerdotes in Ecclesia militante offert; et juxta de Lugo non improbabili ratione sacerdos dici potest etiam post diem judicii, propter quandam potestatem ad aliquos saltem actus sacerdotales etiam tunc exserendos: inter quos forte referri possit illa laus, quam nomine universi, qua hujus caput et mediator, Deo Patri semper offert.

670. **II.** Quaeritur *quo sensu Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Dicitur ita, quia est sacerdos ad normam, similitudinem Melchisedech, qui erat typus Christi sacerdotis, assimilatus Filio Dei Hebr. 7, 4. Quod si quaeritur, in quo sita sit similitudo, respondemus, Paulum plura innuere similitudinis capita, quae fusius explicant patres.

1. Erat Melchisedech Christi typus ratione nominis, sed ita ut quod ipse dicebatur, Christus revera esset, rex scil. justitiae et pacis;

2. secundum repraesentationem: in Scriptura enim Melchisedech inducitur sine patre, sine matre, sine genealogia: non quasi his caruerit, sed haec omissa sunt non sine destinato certoque s. Spiritus consilio mysterii causa; hoc enim silentio adumbratur, quantum fieri potest, aeternitas personae Christi atque singularitas sacerdotii, in quo non habet successores.

3. Secundum praestantiam, nam Melchisedech praecellit Abrahamum, patrem credentium, quatenus decimas ab eo accepit eique benedixit: ita in Christo et per Christum judaei, imo gentes omnes benedicuntur; quacum similitudine alia cohaeret, universalitatis scil. similitudo, quatenus Melchisedech non solum judaeis, sed et gentibus profuit.

4. Quibus addunt patres magno consensu similitudinem ratione ipsius sacrificii oblati panis et vini, cujus quidem Paulus non meminit, cum non faceret ad scopum, qui erat ostendere, Christum esse sacerdotem longe excellentiorem sacerdotibus omnibus aaronicis, quibus nil praestantius esse opinabantur judaei; eam tamen non negat. Ex eo autem, quod Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non sequitur summos judaeorum sacerdotes non etiam fuisse typos Christi sacerdotis. Fuerunt quidem et ipsi typi, communi tamen quadam ratione: Melchisedech vero ratione prorsus singulari; in iis nimirum, in quibus Christi sacerdotium differt a sacerdotio aaronico atque hoc ipsum antecellit. Cf. infra th. 235 p. 3; Stentrup th. 73 ss.; Petavius XII, 12.

671. **III.** Quaeritur *qua ratione reparatio per Christum excedat Adami ruinam* secundum Pauli doctrinam Rom. 5, 15—17: *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum:*

multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Excedit **1.** quatenus Adamus nos uno tantum infecit peccato: Christus vero non solum ab hoc, sed etiam a peccatis liberat personalibus: idque etiam repetitis vicibus; **2.** ratione donorum, nam Christus longe majorem gratiae et charismatum abundantiam nobis donavit, quam per Adamum amisimus, ut patet v. g. ex sacramentis eucharistiae, ordinis, confirmationis. Quamvis vero **3.** ratione extensionis reparatio non excedat ruinam, imo videatur superari, cum omnes homines peccato obnoxii nascantur, non vero omnes per Christum ab illo mundentur: habetur tamen in eo paritas, quod Christus, quantum est ex se, omnibus comparaverit salutis possibilitatem, adeo ut non ex redemptionis defectu sit, si non omnes redimantur. Cf. n. 368.

672. **IV.** Quaeritur *num Christus aliquid meruerit angelis.* Nonnulli cum Suarez affirmant, Christum gratiam et sanctitatem meruisse angelis; quae opinio plurimum innititur hypothesi de Verbi incarnatione decreta et definita antecedenter et independenter ab Adami lapsu, quam supra th. 143 ut minus probabilem rejecimus. Merito notat Thomassinus II, 12 n. 25: »Si per carnem operata sit Deitas Verbi salutem angelicam, patritiae et apostolicae theologiae fundamenta penitus convelluntur. Perinde enim et humanam salutem exstruere potuerit in extranea quapiam natura sibi copulata . . . Labat illud (principium), quod in natura victa vincendus fuerit victor diabolus . . . Labat illud, quod liberatum non sit, quidquid assumptum non est . . . Labat illud, quod quia pueri communicarunt carni et sanguini, et ipse communicaverit eisdem (Hebr. 2, 14)« etc. Quare »communis sententia, inquit de Lugo disp. 27 s. 3, negat, meruisse Christum angelis nisi aliquas illustrationes et alia dona accidentalia, gaudium item de reparatione suarum sedium per redemptionem hominum et his similia. Hanc docent communiter fere omnes theologi, quos refert et sequitur Vasquez disp. 49;« ita etiam s. Thomas in 3. d. 13 q. 2 a. 2 sol. 1. Etsi autem Christus dicitur angelorum etiam caput, non propterea sequitur, eum eodem modo esse angelorum quo hominum caput: neque enim constitutus est illorum caput ad eos redimendos: *nusquam enim angelos apprehendit* (ἐπιλαμβάνεται, velut fugientes manu injecta apprehendit, redemit), *sed semen Abrahae apprehendit* Hebr. 2, 16; sed in praemium suae exinanitionis super choros omnium angelorum est exaltatus. Quocirca non negamus ex Christo capite in angelos aliqua gratiae et gloriae (accidentalis) dona redundasse. Ceterum profuit angelis passio et mors Christi eatenus etiam, quatenus redemptione hominum per Christum »instaurantur quae in coelis sunt, cum id, quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur«, ut inquit Augustinus Enchir. n. 61. Deinde nec illud contemni debet, Christi morte reparatam quoque fuisse injuriam Deo ab angelis lapsis peccato illatam, quod certe gaudio replevit angelos bonos, qui et suam adorationem et gratiarum actionem adjunxisse holocausto a Christo oblato merito praesumuntur. Cf. Stentrup th. 30; Scheeben § 266.

673. **Corollarium.** *Christi redemptio argumentum ejus divinitatis.* — Sicut solum ex Christi divinitate sufficienter explicatur redemptionis

condignitas: ita vicissim quae revelatio christiana tradit de redemptione per Christum, evidenter Christi manifestant divinitatem. Et sane

1. consideremus redemptionis ubertatem quoad locum, tempus, redemptorum numerum scelerumque multitudinem et gravitatem. Ad rem Cyrillus al. de recta fide: „Si Christus ut homo vulgaris mente concipiatur, quomodo illius sanguis vitae omnium aestimationem exaequat? Si autem Deus erat in carne, qui dignitate omnes superat, satis decenter per proprium sanguinem cumulata exstitit redemptio totius mundi.“

2. Consideretur naturae redemptae dignitas, cujus maculae nullis animalium sacrificiis etsi multiplicatis elui poterant Hebr. 10, 1 ss.;

3. redemptionis efficacia secundum omnes fructus et effectus plane divinos, quorum illa fons est inexhaustus. Quibus diligenter expensis vera probantur Isaiae verba 35, 4: *Deus ipse veniet et salvabit vos.*

674. Quare concludamus verbis seniorum, quae audivit in Apocalypsi 5, 9 ss. Joannes: *Dignus es, Domine . . . quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua et populo et natione . . . accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem;* et verbis Damasceni F. O. IV, 4: „Euge, Christe, Dei Verbum, sapientia et potentia, atque omnipotens Deus, quid tibi nos inopes et egeni pro istis omnibus rependemus? Tua enim sunt omnia. Quin nihil quidquam a nobis exposcis, nisi salutem nostram: cujus cum tu ipse largitor sis, nihilominus pro inenarrabili tua bonitate illis gratiam habes, qui eam consequuntur. Gratias tibi, qui et esse et bene esse nobis concessisti; cumque hinc excidissemus, inexplicabili demissione et indulgentia eodem nos reduxisti.“

INDEX.

Theologia specialis.

Tractatus V.

De Deo uno et trino.

Pars prima.

De Deo uno.

Caput I.

De habitu inter Deum et rationem humanam in ordine cognitionis.

Caput II.

De perfectionibus seu proprietatibus essentiae divinae.

Pag.

Pars secunda.
De sanctissimo Trinitatis mysterio.

Caput III.

Scholastica expolitio mysterii sanctissimae Trinitatis.

Caput IV.

Regulae nonnullae loquendi de sanctissimo Trinitatis mysterio.

Tractatus VI.

De Deo Creatore.

Pars prima.

De creationis actu.

Pag.

Articulus tertius.

Defenditur doctrina catholica de statu originali.

Caput IV.

De Adami lapsu lapsumque consecuta miseria.

Articulus primus.

De Adami lapsu.

Articulus secundus.

De exsistentia et transfusione peccati originalis.

Articulus tertius.

De peccati originalis natura.

Pag.

Tractatus VII.

De Verbo incarnato.

Pars prima.

Christologia.

Caput I.

De incarnationis convenientia, necessitate et possibilitate.

Caput II.

De persona assumente naturam humanam.

Caput III.

De natura humana assumpta.

Caput IV.

De unione naturae humanae cum Verbo.

Articulus primus.

De unione hypostatica.


§ 1. Dogmatis catholici probatio.


§ 2. Dogmatis catholici uberior expositio.

Pars secunda.

De Christo Salvatore.

A. M. D. G.




3 1197 21064 2994

